POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

XII.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS XII. CONTINET

III. Part. Sect. II.

Cap. 8. *De Exorcismis et Benedictionibus.*

9. *De supplicationibus, quæ Processiones nuncupantur.*

10. *De piis usibus nullâ Ecclesiæ lege præscriptis, sed Fidelium arbitrio relictis.*

11. *De Visitatione Episcopali.*

Conclusio totius Operis.

Appendix.

Tractatus de sacris Christianorum Ritibus.

Litteræ Apostolicæ Leonis Papæ XII. quibus Sectæ occultæ et clandestinæ damnantur.

Epistola Encyclica Gregorii Papæ XVI.

S. Apostolicæ Sedis Responsa circa lucrum ex mutuo, ab anno 1822. *ad febr.* 1833.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS DUODECIMUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

ALMA COLLEGE
254
LIBRARY
1862
Alma, California

Rev. James Vila P.P.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD FORMAM CATECHISMI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO II.

CAPUT OCTAVUM.

De Exorcismis et Benedictionibus.

§. 1. De Exorcismis.

I. QUID est Exorcismus?

R. Exorcismus est ritus sacer ab Ecclesiâ institutus ad expellendos vel arcendos dæmones, vel à corporibus quæ illi possident vel obsident, vel ab aliis rebus abutuntur aut abuti possunt.

I. Quis dedit hanc Ecclesiæ potestatem ut dæmones expelleret?

R. Christus ipse. *Convocatis*, inquit Lucas, *duodecim Apostolis, dedit illis* (Jesus) *virtutem et potestatem super omnia dæmonia.* (*Luc.* IX. 1.) Et Marcus, *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient.* (*Marc.* XVI. 17.) Et alibi passim.

I. Cur exorcizantur etiam res vitâ et ratione carentes?

R. Quia illis dæmones abuti possunt, et quotidiè abuntur, ad hominum perniciem.

Nam, ut ait Apostolus (*Rom.* VIII. 19. 22.), *exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.*

His verbis Apostolus docet res omnes etiam vitâ carentes, quia ad gloriam Dei creatæ sunt, esse velut in statu violento, quando contra Dei institutum vanitati et cupiditati hominum serviunt. Vanitati tamen illi subjiciendas illas esse usque ad consummationem seculi, quia ad finem usque seculi dæmones et homines creaturis abutentur, ad fovendam

augendamque mundi corruptionem. Proindè illas veluti gemere et parturire donec ab illa servitute corruptionis liberentur.

Meritò itaque exorcizat Ecclesia res vitâ carentes. His exorcismis Ecclesia postulat à Deo, ut ne dæmones abutantur rebus ad Dei gloriam conditis, quibus uti vult Ecclesia ad sacros usus.

I. Quas res sæpiùs exorcizat Ecclesia?

R. 1° Homines quorum corpora à dæmonibus vel possidentur, vel obsidentur.

2° Loca à dæmonibus infesta.

3° Res quibus utitur Ecclesia ad sacros ritus, verbi gratiâ, aquam, sal, oleum, etc.

I. Quid præcipuè observandum in exorcismis faciendis ad liberandos homines ab obsessione vel possessione dæmonum?

R. 1° Non temerè faciendi exorcismi, sed attentè et sedulò considerandum an vera sit possessio dæmonis, nec tentandum eâ de re quidquam inconsulto Episcopo, ne detur errori vel fraudi locus.

2° Ad exorcismum præparet se Exorcista jejunio et oratione, est enim *genus dæmoniorum*, inquit Christus (*Matth.* XVII. 20.), *quod non expellitur nisi oratione et jejunio.*

3° Magnâ debet esse Exorcista præditus humilitate, magnâ vitæ integritate.

4° Inter exorcizandum abstineat ab omni quæstione curiosâ et inutili; et sequatur ad amussim quidquid libro exorcismorum continetur. (A)

(A) RITUALE ROM. *de Exorcismis.* Sacerdos, seu quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, eâ quâ par est pietate, prudentiâ, ac vitæ integritate præditus esse debet: qui non suâ sed divinâ fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus exsequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, et non solùm officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere rectè fungatur, cùm alia multa sibi utilia documenta ..... ex probatis Auctoribus, et ex usu nosse studeat; tùm hæc pauca magis necessaria diligenter observabit.

In primis ne facilè credat aliquem à dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atrâ bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsedentis dæmonis sunt ignotâ linguâ loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere: distantia et occulta patefacere: vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere; et id genus alia, quæ cùm plurima concurrunt, majora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post unum aut alterum exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore: ut sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Advertat, quibus artibus ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimùm fallaciter respondere, et difficilè se manifestare, ut Exorcista diù defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse à dæmonio vexatus. Aliquando postquàm sunt manifesti, abscondunt se, et relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omninò esse liberatum: sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcunque possunt impedimenta, ne infirmus subji-

ciat se exorcismis, vel conantur persuadere infirmitatem esse naturalem; interdùm in medio exorcismi faciunt dormire infirmum, et ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui ostendunt factum maleficium, et à quibus sit factum, et modum ad illud dissipandum: sed caveat ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quàm ad Ecclesiæ Ministros confugiat, aut ullâ superstitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quiescere, et suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur. Denique innumerabiles sunt artes et fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

Quare, memor Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, *quod non ejicitur, nisi per orationem et jejunium* (*Matth.* XVII. 20.), hæc duo potissimùm remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tùm per se, tùm per alios curet adhiberi.

In Ecclesiam, si commodè fieri potest, vel in alium religiosum et honestum locum seorsùm à multitudine perductus energumenus exorcizetur; sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honestâ de causâ, in domo privatâ exorcizari poterit.

Admoneatur obsessus, si mente et corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet, et sacrâ confessione et communione sæpiùs ad arbitrium Sacerdotis se communiat: et dùm exorcizatur, totum se colligat, et ad Deum convertat, ac firmâ fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cùm vehementiùs vexatur patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conspectu crucifixum: reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint decenter ac lutò colligatæ, et coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur: sed caveatur, ne res sacræ indignè tractentur, aut illis à dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris et occultis, ad suum munus non pertinentibus: sed jubeat immundum spiritum tacere, et ad interrogata tantùm respondere: neque ei credatur, si dæmon simularet se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ verò interrogationes sunt, ut de numero, et nomine spirituum obsidentium, de tempore quo ingressi sunt, de causâ, et aliis hujusmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, risus et ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, et circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum: sed potiùs humiliter et enixè Deum pro eo precentur.

Exorcismos verò faciat, ac legat cum imperio et auctoritate, magnâ fide et humilitate, atque fervore: et cùm viderit spiritum valdè torqueri, tunc magis insistet et urgeat: et quoties viderit obsessum in aliquâ corporis parte commoveri, ac pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum crucis, et aquâ benedictâ aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Observet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, et ea sæpiùs repetat; et quando pervenerit ad comminationem, eam iterùm et sæpiùs proferat, semper pœnam augendo: ac si videat se proficere, in ipsâ perseveret per duas, tres, quatuor horas, et ampliùs prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caveat proindè Exorcista ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat, sed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dùm exagitatur à dæmonio: quæ quidem personæ sint patientes, si fieri potest, cognatione proximæ. Atque honestatis memor Exorcista caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis.

Dùm exorcizat, utatur sacræ Scripturæ verbis potiùs quàm suis, aut alienis: jubeatque dæmonem dicere, an delineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, ea

I. Quid agere debent qui præsentes adsunt exorcismis ?

R. Debent fundere preces ad Deum pro Exorcistâ, et pro eorum liberatione in quorum gratiam fiunt exorcismi.

revelet, et inventa comburantur. Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si verò obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat à peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi : ne fiant *novissima hominis illius pejora prioribus.* (*Luc.* XI. 16.)

Itaque Sacerdos, sive alius Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commodè fieri potest, sanctissimo Missæ sacrificio, divinoque auxilio piis precibus imploratò, superpelliceo, et stolâ violaceâ, cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, et coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se et adstantes communiat signo crucis, et aspergat aquâ benedictâ, et genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias, etc.

RITUALE PARIS. *Tit. de Exorcismis. Postquàm ea ferè quæ ex Rituali Rom. attulimus descripsit, addit :* Caveat in primis (*Exorcista*) ne quemquam exorcizet, nisi petitâ et obtentâ à D. Archiepiscopo exorcizandi facultate.

In Ecclesiam, si commodè fieri potest, vel in alium religiosum et honestum locum seorsùm à multitudine perductus, præsentibusque duntaxat paucis viris probis, præsertim verò Ecclesiasticis ex licentia speciali D. Archiepiscopi, et non aliàs, energumenus exorcizetur. *Cætera ut suprà in Rituali Rom.*

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas mulieres à Domino Archiepiscopo facultatem habentes, quæ energumenum teneant dùm exagitatur à dæmonio.

Sacerdos, exorcizaturus energumenum, præmissâ confessione aut saltem internâ peccatorum detestatione, indutus superpelliceo et stolâ violacei coloris, vel post celebrationem Missæ albâ et stolâ, cum cruce et aquâ benedictâ, cereoque accenso, habens energumenum coram se genuflexum ; post invocationem Spiritûs sancti et adstantium monitionem ut suas preces cum Sacerdotis actione conjungant, præmisso etiam crucis signo super se, dicat clarâ voce, *In nomine Patris*, etc.

RITUALE ROM. *Taurini ann.* 1580. Vide ne delecteris aut credas nugis immundi spiritûs : sed exemplo Christi et Sanctorum insta ut obmutescat et exeat. Et omnes cruces fac in fronte cum pollice, nisi ubi specialiter in aliâ parte corporis fieri debeat.... Si adhuc oppressus non fuerit liberatus, prosequere fide forti, et noli quasi fatigatus desperare ; sed etiam cave ne sub curiositate cujusquam tibi fiat mora vel protractio in loquendo cum immundo spiritu, quamvis multa occulta et mirabilia dicat ; sed continua, et devictâ omni confusione, legendo apertè et distinctè, devotionem tuam non permittas interrumpi, vel retardari.... Primò interroga quod est nomen illius, et quot socios habet.... Accipe ignem cum sulphure benedictum, et perfumiga, donec dixerit veritatem.... Aspergat eum aquâ benedictâ, et dimittat in pace.

INSTRUCT. SUR LE RITUEL D'ALETH. 5. *Instruct. sur les Exorcismes.* Il faut que l'Exorciste ait beaucoup de sagesse, de modestie, de foi, de pureté de cœur, d'humilité et de discrétion, pour opposer aux artifices, aux bouffonneries, à la malice et à l'orgueil du démon, et pour se pouvoir conduire selon les règles de la prudence chrétienne.

On ne doit point entreprendre d'exorciser que par l'ordre de l'Evêque, à qui il faut toujours s'adresser, et lui découvrir tous les signes de la possession qu'on remarque, afin qu'il examine si elle est véritable, pour éviter toutes les fourbes qui se font dans cette matière. Il faut aussi savoir de lui de quelle sorte on se doit conduire en cette action.

RITUALE CATALAUNENSE *ann.* 1649. *de Exorcismis.* Sacerdos obtentâ licentiâ ab illustrissimo Domino Episcopo.... si dubium aliquod occurrat obsessionis vel possessionis, recurratur ad illustrissimum D. Episcopum, et caveat diligenter quilibet Sacerdos, etiam regularis, ne quemquam exorcizet, eo inconsulto, et non ab eo scriptis obtentâ exorcizandi facultate.

§. 2. Quid sit Benedictio.

I. Quid est Benedictio ?

R. Vox ea, *Benedictio*, plures habet significationes.

1° Sumitur pro Beneficio alicui collato ; quo sensu gratiæ Dei dicuntur benedictiones : *Benedictus Deus.... qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus.* (*Ephes.* I. 3.)

Hoc etiam sensu eleemosynam Apostolus vocat benedictionem. *Necessarium*, inquit (2. *Cor.* IX. 5.), *existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam.* De eleemosynis loquitur.

2° Sumitur pro abundantiâ et copiâ ; quo sensu ait Apostolus loco mox laudato, *Benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam :* ac deindè ibidem, *Qui parcè seminat, parcè et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* (*Ibid.* 6.)

3° Sumitur pro faustâ apprecatione beneficiorum Dei, sive illâ precatione beneficia reipsà conferantur, sive non. Eo sensu Melchisedech benedixit Abrahæ, id est, ipsi fausta et prospera precatus est ; Isaac benedixit filio suo Jacob ; Jacob benedixit duodecim filiis suis ; omnis populus Israël benedixit Judith in urbe Bethuliâ post trucidatum Holophernem. Infinita propemodùm alia habentur in Scripturis exempla benedictionis eo sensu acceptæ. (A) Eo quoque sensu Sacerdotes populo benedicunt.

4° Sumitur pro precibus quibus flagitat à Deo Ecclesia, ne dæmones vel homines rebus ad gloriam Dei et usum hominis conditis abutantur. Eo sensu benedicit Ecclesia domos, naves, aquam maris, fluminum et fontium, agros, vineas, thalamum nuptialem, pannos quibus infantes involvuntur, arma et vexilla bellica, vestes, baculos peregrinorum, omne ciborum genus, etc. His benedictionibus pre-

(A) GENES. XIV. 18. At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, 19. benedixit ei, (Abrahæ,) et ait : Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et terram ; 20. et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.

XXVII. 27. Accessit, et osculatus est eum (*Isaac Jacob.*) Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait (Isaac :) Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

XLIX. 25. Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus : donec veniret desiderium collium æternorum : fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.... 28.... Hæc locutus est eis pater suus (Jacob,) benedixitque singulis, benedictionibus propriis.

JUDITH XV. 10. Quæ cùm exisset ad illum (*Joacim summum Sacerdotem*) benedixerunt eam omnes unâ voce, dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. 11. Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris : ideò et manus Domini confortavit te, et ideò eris benedicta in æternum. 12. Et dixit omnis populus : Fiat, fiat.

catur Ecclesia, ut iis omnibus utantur homines ad Dei gloriam, suamque salutem, nec dæmonum fraudibus circumveniantur et deludantur. (B)

5° Sumitur pro precibus et ritibus sacris, quibus Ecclesia applicat homines alicui officio, vel ad aliquam evehit dignitatem, datque iis solemni ritu officii ejus vel dignitatis insignia, precaturque Deum ut ad Dei laudem, suamque et proximi salutem electus suo munere fungatur. Eo sensu benedicit Ecclesia Abbates, Abbatissas, Virgines, Milites, etc. Hùc referri quoque potest coronatio Imperatorum, Regum et Reginarum.

6° Sumitur pro precibus et ritibus sacris, quibus Ecclesia res quasdam ab usu profano ad usum sacrum transfert. Eo sensu benedicuntur Ecclesiæ, Oratoria, Calices, Cœmeteria, Cruces, Campanæ, Altaria, Vasa, Ornamenta, Linteamina, Vestes, Aqua, Sal, Oleum, quidquid denique in usum sacrum assumitur. Si autem ad has benedictiones sacrum chrisma, vel oleum adhibeatur, hæc benedictio *consecratio* appellatur : proindè Ecclesiæ, Altaria, Calices, Patenæ Deo dicuntur consecrari. Homines Baptismo, Confirmatione, Ordinatione Deo consecrantur.

His precibus et ritibus aliquando petit Ecclesia, ut Deus virtutem sancti Spiritûs effundat in res inanimas, ut per eas effectus aliqui divini præter naturæ ordinem producantur. Hoc petit in benedictione aquæ baptismalis, sacri olei, et chrismatis, quæ sunt materia Sacramentorum. Hoc petit etiam in benedictione salis et aquæ, quibus constat aqua lustralis, quæ benedicitur singulis Dominicis diebus. Hoc petit summus Pontifex quotannis in benedictione agnorum cereorum. Hoc quotidiè petitur in benedictione rosariorum, scapularium, numismatum, aliorumque hujusmodi, quorum benedictione satisfit piæ populorum devotioni. Ejusmodi benedictionibus petit à Deo Ecclesia, ut qui his rebus piè et fideliter usi fuerint, affectum Ecclesiæ precibus designatum consequantur.

I. Vereor ne quid superstitionis insit in usu benedicendi res inanimas, ad producendos per eas effectus aliquos præter naturæ ordinem ?

R. Si quis putaret absque virtute et potentiâ divinâ fieri posse ut res inanima producat effectum aliquem præter naturæ ordinem, superstitiosa esset ejusmodi cogitatio. Nihil autem est quod superstitionem sapiat, si existimemus cum Ecclesiâ his rebus, non propriâ virtute, sed virtute et potentiâ Dei, posse aliquid præter naturæ ordinem effici. Fide credimus virtutem hanc divinitùs inesse illis rebus quæ sunt materia Sacramentorum, si forma materiæ applicetur. De cæteris rebus hoc unum credit Ecclesia, nimirùm posse

(B) *In* PONTIFICALI ROMANO *à pag.* 384. *ad pag.* 388. *reperies benedictionem crucis proficiscentium ad defensionem terræ Sanctæ, armorum, ensis, vexilli, etc.*

Deum illis vim divinam infundere, ad remunerandam iidem eorum qui iis utuntur cum debitâ his rebus reverentiâ quas Ecclesia orationibus suis benedixit et consecravit.

I. Orationes illæ quæ benedictiones appellantur, suntne veteris in Ecclesia ritûs ?

R. Ritûs Apostolici. Sic enim loquitur Apostolus primâ ad Timotheum Epistolâ : *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* (1. *Timoth.* IV. 4. *et* 5.) Hic loquitur de cibis, atque nullum ex iis esse rejiciendum ut naturâ suâ malum; omnis enim Dei creatura, naturâ suâ bona est : at quoniam peccato factum est, ut dæmones vel homines creaturis abutantur ad malum, ideò eas verbo Dei et oratione sanctificari, id est, precibus et benedictionibus effici ut illæ Dei gloriæ serviant secundùm intentionem Creatoris.

Erat ergo temporibus Apostolicis hoc in usu positum, ut orationes funderentur super res omnes hominum usui servientes. Orationes autem illas benedictiones appellamus, quarum perpetuum usum probant et omnium seculorum scripta, et Euchologia seu libri rituales omnium omninò Ecclesiarum tam Orientis quàm Occidentis.

§. 3. Qui sint præcipui Ritus Benedictionum.

I. Quos ritus frequentiùs adhibet Ecclesia in benedictionibus, præter orationes ?

R. 1° Signum crucis. 2° Aspersionem aquæ benedictæ. 3° Fumes suffitum. 4° In consecrationibus addit olei et chrismatis unctionem.

1° Signum crucis adhibet, ut hoc signo intelligamus, non posse quidquam post primi peccatum hominis accipere benedictionem a Domino, nisi per Christum, et per virtutem crucis ejus. Neque enim in homines solùm operatur crux Christi, sed etiam in cæteras res omnes. Natura omnis peccato hominis confusa et turbata est. Hoc peccato factum est ut dæmones creaturis omnibus ad hominum perniciem abutantur, ut homines ipsi dæmone instigante abutantur quoque creaturis omnibus ad fovendas cupiditates suas. Hæc est vanitas illa, *cui*, ut loquitur Apostolus, *omnis creatura subjecta est non volens.* (*Rom.* VIII. 20.) Non nisi per Christum, et per virtutem crucis ejus liberantur ab illâ servitute corruptionis creaturæ; quia non possunt homines creaturis ad Dei gloriam et propriam salutem uti, nisi per gratiam quam illis Christus in cruce moriendo promeruit : nec potest cohiberi potestas satanæ, nisi per virtutem Christi crucifixi. Et hæc quidem ratio est, cur dicat Apostolus, Deum Patrem *instaurare omnia in Christo quæ in cœlis et quæ in terra sunt.* (*Ephes.* I. 10.)

Hæc quoque ratio est, cur Ecclesia, præter signum crucis *quod* in omnibus benedictionibus adhibetur, sæpe præ-

mittat exorcismum benedictioni, ut jam diximus (§. 1. *hujusce Cap.*) nam etsi ligata est nunc dæmonis potestas in homines Christianos, adeò ut non possit nocere cuiquam Christiano nisi volenti, magnam tamen habet, Deo ita permittente, potestatem in cæteras res, quibus proindè quotidiè abutitur.

2° Thus adhibet Ecclesia ad benedictiones, ad significandum orare se, ut dirigantur orationes suæ sicut incensum in conspectu Domini (*Ps.* CXL. 2.), ad impetrandam benedictionem à Domino.

Est quoque aliquando thuris suffitus species exorcismi, secundùm id quod ait Raphaël Angelus Tobiæ, loquens de corde piscis (*Tob.* VI. 8.): *Cordis ejus*, inquit, *particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro sive à muliere, ita ut ultrà non accedat ad eos.*

3° Aquam lustralem adhibet, ad cohibendam quoque virtutem diaboli, ut patebit ex infrà dicendis (§. 10. *hujusce Cap.*), dùm agemus de aquâ lustrali.

4° Tandem unctionem olei et chrismatis adhibet in consecrationibus: qui ritus ex veteri Testamento sumpsit originem, et in novo, traditione Apostolicâ, continuatur. In veteri quidem Testamento legimus ante legem Mosaïcam à Jacob Patriarchâ unctum fuisse oleo lapidem in consecrationem. (A) In lege Mosaïca quidquid Deo consecratum est, fuit olei inunctione, Dei ipsius jussu, consecratum. (B) Idcircò autem Ecclesia ex traditione Apostolicâ olei unctione utitur, non secùs ac synagoga, quod unctio illa denotet et significet Spiritûs sancti infusionem et virtutem. Jesus ab unctione *Christus* dicitur, quia erat in eo Spiritus sanctus: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*, inquit. (*Isaï.* LXI. 1. *et Luc.* IV. 18.) Et in Actibus Apostolorum dicitur, *Convenerunt adversùs puerum tuum Jesum quem unxisti*,

(A) GENES. XXVIII. 18. Surgens ergo Jacob manè, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. XXXI. 13. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi.

(B) EXOD. XXIX. 36. Mundabisque altare cùm immolaveris expiationis hostiam, et unges illud in sanctificationem.

XXX. 25. Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii. 26. et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, 27. mensamque cum vasis suis, candelabrum, et utensilia ejus, altaria thymiamatis, 28. et holocausti, et universam suppellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. 29. Sanctificabisque omnia, et erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur. 30. Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut Sacerdotio fungantur mihi.

XL. 9. Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur: 10. altare holocausti et omnia vasa ejus: 11. labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum. 12. Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aquâ 13. indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. *Id pluribus sacrarum Litterarum testimoniis confirmare possem, sed hæc sufficiant, cùm res sit per se notissima.*

Herodes et Pilatus cum gentibus et populo Israël. (*Act.* VI. 27.) (C) Et de Christianis loquens Joannes Apostolus ait, *Unctio spiritûs ejus docet nos, etc.* (1. *Joan.* II. 27.) (D)

Certissimum est ergo in Scripturis virtutem Spiritûs sancti exprimi et significari unctione. Cum ergo res consecrandas unguit Ecclesia, hâc unctione virtutem Spiritûs sancti postulat iis infundi, ad effectus ad quos illa benedicuntur et consecrantur.

§. 4. Cur reserventur Benedictiones quædam Episcopis, aliæ Presbyteris permittantur.

I. Possuntne Presbyteri res omnes benedicere et consecrare?

R. Sunt benedictiones et consecrationes quædam solis reservatæ Episcopis ex institutione Christi, qualis est Ordinatio Presbyterorum et Episcoporum, et administratio ordinaria sacramenti Confirmationis.

Sunt quædam quæ ex traditione Apostolicâ, multis firmatâ conciliorum canonibus, solis etiam competunt Episcopis; qualis est benedictio SS. oleorum et chrismatis.

Sunt quædam quæ ex institutione Ecclesiæ solis quoque competunt Episcopis, qualis est dedicatio Ecclesiæ, Consecratio altarium, calicum, patenarum; Benedictio Abbatum, Abbatissarum, Regum; Consecratio virginum, etc. quæ tamen possunt concedi Presbyteris ex indulto et privilegio Ecclesiæ.

Sunt quædam quæ reservantur Episcopis vel Presbyteris habentibus speciale ad illud ab Episcopo potestatem, qualis est benedictio et reconciliatio Oratorii et cœmeterii, benedictio minus solemnis Ecclesiæ, benedictio Sacerdotalium indumentorum, linteaminum sacri altaris, novæ crucis quæ palam exponenda est, imaginum quæ publico fidelium cultui exponuntur, tabernaculi seu vasculi pro servandâ sacrosanctâ Eucharistiâ, campanæ, armorum et vexillorum bellicorum, etc.

Sunt denique benedictiones quæ fieri possunt à quolibet Presbytero, sine Episcopi speciali licentia; qualis est benedictio aquæ Baptismalis, aquæ lustralis, domorum, navium, ciborum, cinerum, cereorum, ramorum, agrorum, cæterorumque omnium quæ libro Rituali non Pontificali continentur.

(C) Hebr. I. 9. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterèà unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis. (*Ps.* XLIV. 7.) *Hujus unctionis rationem edit Apostolus* Coloss. I. 19. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: 20. et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

II. 9. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: 10. et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs et potestatis.

(D) 2. Cor. I. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus.

1. Joan. II. 20. Sed vos unctionem habetis à Sancto, et nostis omnia.... 27. Et vos unctionem quam accepistis ab eo manet in vobis.

I. Cur reservantur quædam benedictiones Episcopis ?

R. Præter benedictiones quæ Christi vel Apostolorum auctoritate reservantur Episcopis, ut diximus, alias quasdam Episcopis Ecclesia reservavit ob eminentiam Pontificiæ dignitatis, alias ad disciplinæ Ecclesiasticæ custodiam, ne quid fiat inordinatum, ne abusus irrepant.

Ob eminentiam Pontificiæ dignitatis et honoris, vel jurisdictionis, vel solemnitatis causâ reservantur Episcopis benedictiones Abbatum, Abbatissarum; consecratio virginum; coronatio Imperatorum, Regum, Reginarum; benedictio novorum militum, armorum et vexillorum bellicorum; benedictio crucesignatorum proficiscentium ad bellum sacrum : item dedicatio Ecclesiarum, consecratio altarium, calicum, patenarum.

Ad disciplinæ Ecclesiasticæ custodiam, ne quid fiat inordinatum, ne abusus irrepant, reservantur Episcopis benedictiones quædam, quas, licèt minus solemnes, fieri tamen non expedit nisi vel ab Episcopo, vel à Sacerdote delegato : quales sunt benedictio minus solemnis Ecclesiæ, benedictio oratorii, cœmeterii, campanæ, Sacerdotalium indumentorum, linteaminum sacri altaris, corporalium, sacrorum vasorum, Tabernaculi, Crucis vel imaginis palàm exponendæ, et cæterorum id genus. Antequam enim hæc omnia benedicantur, et usui Religionis destinentur, necesse est ut nihil in iis sit indecens, nihil præter Canones et statuta Synodalia : verbi gratiâ, si benedicenda sit campana in usum alicujus Ecclesiæ parochialis, videndum est priùs n'an quid sculptum in eâ sit quod parùm deceat. 2° An facilè sonus ejus exaudiri possit per totum Parochiæ ambitum. Si crux, si imago palàm et publicè exponenda sit fidelium venerationi, videndum est priùsquam benedicatur, ne quid in iis sculptum pictumve sit quod parùm conveniat Christianæ religionis majestati. Idem dicendum de vasis, et ornamentis, et linteaminibus in usum Ecclesiæ benedicendis : idem dicendum de oratoriis et cœmeteriis benedicendis. At judex horum omnium est Episcopus. Ne quid ergo benedicatur in usum Ecclesiæ contra Canones, quod parùm deceat, quod non sit rectè dispositum, quod non sit suis omnibus numeris absolutum, reservat Ecclesia benedictiones illas Episcopis, qui singulis maturè perspectis et cognitis, vel per se, vel per delegatos Sacerdotes, quorum notam habent probitatem et in illis rebus peritiam, res benedicendas benedicunt, non benedicendas respuunt.

§. 5. De Benedictione sacrorum Oleorum et Chrismatis, quæ fit ab Episcopo feriâ V. in Cœnâ Domini.

I. Quæ olea benedicuntur ab Episcopo feriâ V. in cœnâ Domini ?

R. 1° Oleum ad ungendos infirmos. 2° Oleum ad ungendos

Catechumenos. 3° Oleum mixtum balsamo, quod *Chrisma* dicitur; quo quidem chrismate utitur Ecclesia ad Sacramenta et ad Consecrationes. Olea autem illa aliis etiam usibus destinantur.

I. Oleorum benedictio estne ritûs antiqui?

R. Ritus ille traditione Apostolicâ ad nostra usque tempora perseverat, et solis Episcopis eâdem traditione reservatur.

Id constat. 1° ex omnibus, quotquot exstant etiam antiquissimi Pontificales libri Ecclesiæ, tùm Orientalis tùm Occidentalis. 2° Ex usu omnium omnino Ecclesiarum: neque enim ante Lutheranos et Calvinum vel una fuit quæ ritum hunc non observaret. 3° Ex Conciliis et Patribus seculorum omnium, etiam eorum quæ a Protestantibus puriora nuncupantur; ex secundo Concilio Carthaginensi; ex tertio Carthaginensi, ex primo Toletano (A); ex SS. Cypriano, Basilio, Cyrillo Hierosolymitano, Augustino. (B) Possem

(A) Concil. Carthag. II. *ann.* 397. *can.* 3. Fortunatus Episcopus dixit.... Memini præterito Concilio fuisse statutum, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon et puellarum consecratio, à Presbyteris non fiant... Ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, et puellarum consecratio, à Presbyteris non fiant.

Concil. Carthag. III. *can.* 36. Ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret; chrisma verò nunquam conficiat.

Concil. Tolet. I. *ann.* 400. *can.* 20. Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo nemo chrisma conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis, Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hâc die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma facere, et per diœcesim destinare: ita ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi; ut confectum chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ possit occurrere (*vel, ut habet alia lectio*, possit ad tempus deferre.) Episcopo sanè certum est omni tempore licere chrisma conficere: sine conscientiâ autem Episcopi, nihil penitùs faciendum. Statutum verò est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum. Hujusmodi constitutionem meminerit semper Archidiaconus, vel præsentibus, vel absentibus Episcopis suggerendam; ut eam Episcopi custodiant, et Presbyteri non relinquant.

(B) S. Cyprian. *Epist.* 70. *ad Januar.* Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. Porrò autem Eucharistia est unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum. *Cyprian. per Cyrill. interpretare infrà n.* 3.

S. Basil. *De Spiritu sancto, cap.* 27. Consecramus autem aquam baptismatis, et oleum unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacitâ secretâque traditione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit?

S. Cyrill. Hierosol. *Catech. mystag.* 2. Deindè verò jam exuti, exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis, et participes effecti fructiferæ illius olææ Jesu Christi.... Illud ergo exorcizatum oleum, symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, et quòd omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit. Nam ut insufflationes Sanctorum, et nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quædam flamma urit dæmones, et in fugam convertit: sic et exorcizatum hoc oleum, per orationem, Deique invocationem, tantam virtutem consequitur, ut non modò ardentia peccatorum vestigia expurget: verùm etiam omnes invisibiles dæmones repellat.

Catech. mystag. 3. *n.* 1. Vobis, postquàm.... ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus.

proferre et alia multa SS. Conciliorum et SS. Patrum testimonia pro hoc ritu. Proferant Protestantes, si possunt, vel unum ex Conciliis aut SS. Patribus antiquioribus vel recentioribus, qui usum hunc vel observari neget, vel observatum improbet. (C)

I. Qui ritus observantur in benedictione oleorum?

R. Hæc sunt quæ Pontificali Romano præcipiuntur.

Feriâ quintâ in cœnâ Domini singulis annis benedicitur ab Episcopo oleum infirmorum, et oleum catechumenorum; et conficitur Chrisma.

Ad hanc benedictionem præter Ministros ordinarios Pontificis adhibentur duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi et alii inferiores Clerici; omnes induti vestibus sacris suo Ordini congruentibus.

Quibus ad altare suo ordine dispositis celebratur Missa more solito, usque ad hæc verba Canonis exclusivè, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas.* Quæ verba antequam recitet Pontifex, procedit ad benedictionem olei infirmorum in hunc modum.

Monet Archidiaconus afferri oleum infirmis destinatum. Hoc Subdiaconus è sacrario affert, et tradit Archidiacono. Archidiaconus ampullam olei acceptam à Subdiacono collocat super mensam ante Pontificem, qui illud præmisso exorcismo benedicit: factâ benedictione refertur oleum ad sacrarium, ibi diligenter custodiendum. Prosequitur autem Missam Pontifex; factâque communione, procedit ad benedictionem sacri chrismatis, et olei catechumenorum, in hunc modum.

Jussu Archidiaconi Presbyteri duodecim, septem Diaconi, totidem Subdiaconi, cæterique inferioris ordinis Clerici solemni pompâ vadunt ad sacrarium; et cum eo comitatu infert Subdiaconus vasculum cum balsamo, Diaconi ampullas ad sacrum chrisma et pro oleo Catechumenorum deferunt: interimque canitur Hymnus. Collocato vase balsami et ampullâ olei chrismalis super mensam per Archidiaconum, Pontifex benedicit balsamum, benedictumque

N. 2. Vos uncti estis unguento facti participes et consortes Christi.

N. 3. Cæterùm vide ne illud esse putes unguentum tantùm. Quemadmodùm enim panis Eucharistiæ, post sancti Spiritûs invocationem, non ampliùs est panis communis, sed est corpus Christi: sic et sanctum hoc unguentum, non ampliùs est unguentum nudum, nec, ut ita dicam, commune, postquàm jam consecratum est: sed est charisma quod Christi et Spiritûs sancti, id est, divinitatis ejus præsentiam efficit, quo frons et alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur, et corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.

S. AUGUST. *lib.* 5. *de Baptismo contra Donat. cap.* 20. *n.* 27. *ad objectiones Donatistarum.* Quomodò aquam mundat et sanctificat homicida? Quomodò benedicunt oleum tenebræ? *Respondet:* Si autem Deus adest Sacramentis, et verbis suis per qualeslibet administrentur, et Sacramenta Dei ubique recta sunt, et mali homines quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt. *Eadem ferè iterat. n.* 28.

(C) *De his, vide quæ diximus suprà hujusce Operis* 2. *Part. Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 10.

miscet cum modico olei ex ampullâ chrismali sumpti. Quo facto Pontifex ter halat in modum crucis super os ampullæ chrismalis : idem faciunt Sacerdotes duodecim.

Deindè Pontifex præmisso exorcismo benedicit oleum ad chrisma, mixtumque tandem cum balsamo benedicto, ter salutat dicens : *Ave sanctum chrisma ;* osculaturque labium ampullæ sacri chrismatis. Duodecim Presbyteri accedentes per ordinem, ter quoque eodem modo singuli salutant sanctum chrisma, et osculantur labium ampullæ.

Factâ benedictione chrismatis, collocatur super mensam per Archidiaconum ampulla olei pro catechumenis, super quam tam Pontifex quam duodecim Presbyteri halant modo prædicto. Oleum hoc deindè Pontifex præmisso exorcismo benedicit : benedictumque salutat his verbis : *Ave sanctum oleum* ; tandemque osculatur ampullam olei. Idem faciunt Presbyteri duodecim. Quo facto sacrum chrisma et sanctum oleum refertur solemni pompâ in sacrarium : Pontifexque Missam prosequitur.

I. Cur ad has benedictiones adhibentur Presbyteri duodecim, septem Diaconi, totidemque Subdiaconi, cæterique inferioris ordinis Ministri?

R. Quia hæ benedictiones fiunt in Missâ solemni per Pontificem celebratâ, in quâ ex antiquissimo ritu adstabant Presbyteri concelebrantes, omnesque Diaconi, Subdiaconi, cæterique Ministri suis quisque vestibus sacris induti. (*Vide suprà Cap. 7. hujus Sect. §. 18. et alibi.*) Proindè habemus hic venerandæ antiquitatis vestigium : neque enim in solemnioribus ritibus facilè receditur à more antiquo.

Hæc responsio ut planior fiat, simulque facilius innotescat ratio ritûs illius, qui jam videtur insolens ; revocandum in memoriâ est quod jam suprà diximus, id prisco fuisse in more positum, ut quoties Episcopus solemne sacrum ageret, toties circum ipsum adstarent omnes Presbyteri suis induti vestibus sacris ipsique concelebrarent, ut fit hodieque in Ecclesiis Orientalibus : hujusque ritus vestigium habemus apud nos in Ordinationibus Episcoporum et Presbyterorum. (*Vide ibid. et hujusce Part. Sect. 1. Cap. 7. §. 12.*) Adstabant quoque omnes Diaconi, Subdiaconi, cæterique de Clero, suis quisque vestibus sacris induti. Intra Missarum solemnia fiebant olim, ut nunc, Ordinationes, pleræque benedictiones, cæterique ritus solemnes. (*Vide suprà hujusce Sect. Cap. 7. §. 22. num.* XXV.) Ex veteri fit etiamnum intra Missarum solemnia sacrorum oleorum benedictio. Presbyteri omnes adstantes Pontifici cùm essent cooperatores Sacrificii, erant quoque cooperatores rituum omnium qui in Missâ peragebantur. Apostolo docente (1. *Tim.* v. 14.), (D) novimus in Ordinationibus fieri a toto Presbyterio manuum

(D) 1. Timoth. iv. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.

impositionem, quod fit etiammùm in Presbyterorum ordinationibus. In benedictionibus oleorum adstantes Presbyteri duodecim halant super olea, eaque salutant non secùs ac Pontifex, dicunturque in Pontificali Romano adstare Pontifici *ut ministerii cooperatores*. Parisiis hàc die Archidiaconi simul cum Archiepiscopo Missam celebrant (E), idem fit in multis aliis Galliarum Ecclesiis, fiebatque olim ubique. (F) Hæc Presbyterorum adstantium cum Episcopo concelebratio unitatem sacrificii et sacerdotii novæ legis significanter exprimit. Diaconi verò et Subdiaconi adstant hic, inquit Pontificale Romanum, *ut ministri et spectatores*. Sunt autem numero septem, quia septem omninò Diaconos elegerunt Apostoli; ad quorum normam multæ olim Ecclesiæ non habebant Diaconos plures quam septem. Non fuerunt Romæ primitùs nisi septem Diaconi Cardinales totidem urbis regionibus præpositi. (G) Presbyteri autem nunc adhibentur numero duodecim, ut expressiùs designetur numerus Apostolorum duodecim, quibus Christus distribuit Sacramentum corporis sui, cujus hàc die recolitur institutio. In Sacramentario Gregoriano non determinatur ad hanc benedictionem numerus Presbyterorum et Diaconorum, sed dicitur solùm Presbyteros et Diaconos omnes adesse oportere. (H)

I. Qui nunc observantur ritus in benedicendis oleis sacris, suntne antiquissimo usu firmati?

R. Tam antiquo, ut horum prorsùs ignoretur initium. Id patet ex vetussimis Ecclesiæ seu Græcæ seu Latinæ libris, quibus harum benedictionum ritus continentur. Certè habentur in Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano. Gelasius autem seculo quinto floruit, Gregorius seculo sexto. Non fuit autem Gelasius rituum horum institutor. Quod à prædecessoribus accepit, hoc tradidit et scripto reliquit. (I)

(E) *Id præcipit* CÆREMONIALE PARIS. *ann.* 1703. *part.* 4. *cap.* 10. *artic.* 1.

(F) AMALAR. *de divinis officiis, lib.* 1. *cap.* 12. De oleo pro infirmo sic continetur in Sacramentario: antequàm dicatur, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, levantur de ampullis quas obtulerunt populi, et benedicit tam Dominus Papa, quàm omnes Episcopi,.... benedicit tam Dominus Papa, quàm omnes Presbyteri. Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint Presbyteri, et simul cum Pontifice verbis et manibus conficiant: at quia in ipsà periochà concluditur consecratio olei hujus, oportet ut simili modo sicut et cætera, cum Pontifice Presbyteri oleum conficiant.

(G) JACOB COHELLIUS *in notitiâ Cardinalatûs, cap.* 7. *ait*, Septenarium numerum Diaconorum longo tempore durasse, neque auctum usque ad mille annos; quia ante id tempus majorem Diaconorum numerum in Ecclesiâ non invenerit.

(H) S. GREGOR. M. *Feriâ* V. *in cœnâ Domini*. Indè horâ tertiâ ingressi sacrarium, induunt dalmaticas, tam Pontifex quàm omnes Diaconi.... Tunc (*scilicet* post consecrationem) offertur Pontifici oleum, et benedicit eum, tam ipse, quàm omnes Presbyteri ad ungendum infirmum.

(I) *Sacrament.* S. GREGOR. M. *Feriâ* V. *in cœnâ Domini*, præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum meliori defertur Pontifici, ut accepto balsamo, et commiscitato cum oleo, manu suâ impleat eam. Illam verò aliam Ministri refimeant plenam.... [*Post consecrationem verò adhil*

Tunc offertur Pontifici oleum, et benedicit eum, tam ipse, quàm omnes Presbyteri ad ungendum infirmum, his verbis : « Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum Paracletum, de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, » quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, » ut tuâ sanctâ benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates omnem ægritudinem corporis. Undè unxisti Sacerdotes, » Reges, Prophetas, et Martyres, Chrisma tuum perfectum, Domine, à » te benedictum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc » omnia, Domine, semper bona creas, Sanctificas ⁊, etc....

Post Communionem verò addit.... Et continuò duo Acolythi involutas ampullas cum sindone albâ sericâ, ita ut videri possint à medio, tenent in brachio sinistro, projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingant scapulam dexteram, qualenùs possint dependentia detineri, à quibus sub humero stantibus, venit Subdiaconus et accipit ampullam commixtam, unà cum sindone, et dat eam Archidiacono, et ille defert Pontifici ante sedem. Tunc Pontifex stans in sede, et respiciens ad Orientem, Archidiacono tenente ante ipsum ampullam in sinistro brachio revolutâ sindone..... halat in ipsâ ampullâ, et intrat in consecrationem chrismatis excelsâ voce : « Dominus vobiscum ; et cum spiritu tuo. Sursùm corda : Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. » Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, » nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui in principio inter cætera bonitatis et pietatis » tuæ munera, terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ » hujus pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur : quarum fructus » sacro chismati deserviret. Nam et David prophetico spiritu gratiæ tuæ » sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit (*Ps.* CIII. 15.) ; et cùm mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans, » per olivæ ramum pacem terris reddítam nuntiavit. (*Genes.* VIII. 11.) » Quod in novissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, » cùm baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc » olei unctio vultus nostros jucundos efficit ac serenos. Indè etiam Moysi » famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum priùs aquâ » lotum, per infusionem hujus unguenti constitueret Sacerdotem. (*Levit.* » VIII.) Accessit ad hoc amplior honor, cùm Filius tuus Jesus Christus » Dominus noster lavari se à Joanne undis Jordanicis exegisset, Spiritu » sancto in columbæ similitudinem desuper misso, Unigenitum tuum, » in quo tibi optimè complacuisset, testimonio subsequentis vocis ostenderes (*Marc.* I. 9. *et seq.*) : et hoc illud esse manifestissimè comproba- » res, quod cùm oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David » Prophetà decrevisset. (*Ps.* XLIV. 8.) Te igitur deprecamur, Domine » sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum » filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tuâ benedictione digneris, et sancti Spiritûs ei admiscere virtutem, cooperante potentiâ Christi tui, à cujus sancto nomine chrisma » nomen accepit : undè unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres, ut spiritalis lavacri baptismo renovandis, creaturam chrismatis » in sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes ; ut sanctificatione » unctionis infusâ, corruptione primæ nativitatis absorptâ, sanctum » uniuscujusque templum acceptabilis vitæ, innocentiæ odore redoleseat : ut secundùm constitutionis tuæ sacramentum regio et Sacerdotali, propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris » induantur : (*Joan.* III. 5.) ut sit his qui renati fuerint ex aquâ et Spiritu » sancto, chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, et cœlestis » gloriæ facias esse consortes. Per eumdem Dominum. »

Quâ expletâ benedicit ampullam ordine quo suprà declaratum est : et similiter halat in ipsâ, sed tacitè ipsam benedicat : « Dominus vobiscum : » et cum spiritu tuo. Oremus. Deus incrementorum et profectuum spiritalium, qui virtute sancti Spiritûs tui, imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem illius creaturæ purgationem

» mentis et corporis, ut si quæ illis adversantium spirituum maculæ » inhæserunt, ad tactum sanctificati olei hujus abscedant. Nullus spiri- » talibus nequitiis locus : nulla refugis virtutibus sit facultas : nulla insi- » diantibus malis licentia relinquatur; sed venientibus ad fidem servis » tuis, et sancti Spiritûs tui operatione mundandis, sit unctionis hujus » præparatio utilis ad salutem : quam etiam cœlestis regenerationis nati- » vitate in sacramento sunt baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum » Jesum Christum filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mor- » tuos, et seculum per ignem. »

Ampulla autem, quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut à nemine videatur, sed tenente eam Acolytho, omnes eam per ordinem salutent : nam Episcopus, et Diaconi omnes eam nudam salutant.

Ordo Romanus I. *n.* 30. Præparantur ampullæ quæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo, et commiscitato cum oleo, manu suâ impleat eam : illam verò aliam Ministri tenent plenam.... Antequàm dicatur, *Per quem hæc omnia*, benedicitur oleum pro infirmis quod populus affert.

N. 31.... Continuò duo Acolythi involutas ampullas cum sindone albâ sericâ, ita ut videri possint à medio, tenent in brachio sinistro, projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut perlingant scapulam dextram quâ tensiùs possint dependentia retinere. A quibus sub humero stantibus venit Subdiaconus, et accipit ampullam commixtam unà cum sindone, et dat eam Archidiacono, et ille defert Pontifici ante altare. Tunc Pontifex respiciens ad Orientem, et Diaconus tenet ante ipsum ampullam in sinistro brachio involutam sindone,.... hic halat ter in ampullam chrismatis, et dicit Pontifex : *Sursùm corda.* Resp. *Habemus ad Dominum ;* et intrat in consecrationem chrismatis excelsâ voce : sed antequàm benedicatur insufflat ter in ampullam. Quâ expletâ, benedicit ampullam olei ordine quo suprà delatam : et similiter halat in ipsam, sed tacitè. Ampulla autem, quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut à nemine nuda videatur, sed tenente eam Acolytho, omnes eam per ordinem salutent, quam Episcopus et Diaconus priùs nudam salutant.

Idem legitur in Appendice 3. n. 7. Musæi Italici tom. 2. pag. 33.

Ordo Rom. X. *n.* 1. Hàc die in toto orbe sanctum chrisma conficitur... Manè hujus diei primò Mansionarii præparent omnia, quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis : tres ampullas oleo mundissimo plenas, maximam verò ampullam, quæ ad chrisma debet fieri de panno serico albo, alias autem de alio serico coopertas. Sit autem pannus adeò subtilis, quòd ampullæ possint videri per eum. Horâ verò tertiâ vel sextâ sonetur signum, et veniant omnes ad Ecclesiam, in quâ chrisma consecrari debet.

N. 3. Deindè tam Pontifex, quam Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et alii Clerici, quisque induatur ornatu sui ordinis. Pontifex induit vestimenta alba, Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, Diaconi dalmaticas, pro reverentiâ chrismatis. Pontifex verò jam indutus dalmaticâ, habens mantum ad collum, sedeat in sede suâ. Cui præsentetur ampulla, quæ major est, cum oleo ab Acolythis, et balsamum : et ipse Pontifex balsamum cum oleo commisceat et conficiat, circumvolvendo cum palmis baculum immissum in ampullam. Omnes verò ampullæ remaneant ibi, et diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur.

N. 4. Postmodùm autem Pontifex lotis manibus, indutus planetâ procedit cum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, et Subdiaconibus, et Acolythis, et omnibus Ordinibus : et habeant in processione crucem, Evangelium, septem candelabra, thuribulum, cum incenso ; et sic processionaliter pergant ad altare cum ampullâ.

N. 5. Postquàm Dominus Papa intrat ad sacrificandum, tunc Acolythus conducit juniorem Diaconum Cardinalem, et cum eo plures Subdiaconi. Unus autem ex eis Subdiaconis portet crucem, Acolytho antecedente cum thuribulo et thure : et sic processionaliter vadunt ad Ecclesiam S. Thomæ vel S. Gregorii, ubi ampullæ cum chrismate et oleo conservantur. Cardinalis Diaconus accipit illam ampullam, quæ est chrismatis : duo alii Subdiaconi accipiunt illas duas olei exorcizati *et olei infirmorum*,

portantes eas super brachium sinistrum, et eo modo quo iverunt revertantur. Venientes autem ad altare, antequàm Dominus Papa dicat, *Per quem hæc omnia*, Subdiaconus qui bajulat ampullam olei infirmorum, repræsentet eam summo Pontifici ad benedicendum. Pontifex verò et omnes Episcopi et Presbyteri Cardinales, et alii existentes, dicant planâ voce, « Exorcizo te immundissime spiritus, etc. et per nomen dilectissimi » filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et » mortuos, et seculum per ignem. *Benedictio olei infirmorum*: Emitte quæ» sumus, Domine, etc. permanens in visceribus nostris in nomine Domini » nostri Jesu Christi qui venturus est, etc. »

N. 10. Perceptio itaque corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, Pontifex ascendit ad sedem ligneam, et continuò duo Acolythi deferunt ampullas involutas cum sindone albâ sericâ, in sinistro brachio, ita ut videri possit à medio: et Diaconus, qui assistit Domino Papæ, accipit ampullam unam mixtam cum balsamo, et repræsentat eam summo Pontifici, tenens eam in sinistro brachio involutam. Tunc Pontifex halet ter in illam: halent etiam in ipsam omnes Episcopi, qui assistunt ibi, et Presbyteri Cardinales, et dicant sine cantu, et sine *Dominus vobiscum*; « Exorcizo te creatura olei, etc. ut fias omnibus qui ex te ungendi sunt » in adoptionem filiorum per Spiritum; sanctum, in nomine Patris om» nipotentis, et Jesu Christi filii ejus Domini nostri, qui cum eo regnat » et vivit Deus in unitate ejusdem Spiritûs sancti. » Deindè dicit excelsâ voce, Episcopi et Presbyteri dicant submissè, « Per omnia secula, etc. » ut suprà in Sacramentario S. Gregorii. »

N. 11. Tunc Episcopus salutat chrisma nudum et cæteri omnes: quo expleto, benedicat ampullam olei delatam eo ordine quo suprà: et similiter halet Pontifex ter in ipsam, sed tacitè; et præter ipsum omnes Episcopi et Presbyteri Cardinales et alii Episcopi halent ter in ipsam, et tunc dicit sine cantu et sine *Dominus vobiscum*: « Exorcizo te creatura » olei in nomine, etc. ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanc» tificata, per eumdem, etc. *et dicit Pontifex*: Dominus vobiscum. Et » cum spiritu tuo. *Oratio*: Deus incrementorum et perfectuum spiritua» lium remunerator, etc. in sacramento sunt baptismatis adepturi: per » eumdem, etc. » Post benedictionem verò istam omnes Episcopi, et Presbyteri Cardinales, et alii Episcopi salutent sanctum chrisma, et oleum, ter pro quolibet, et in salutando inclinent capita dicentes: *Ave sanctum chrisma*, ter pro quolibet; et deosculentur ampullam semel tantùm, et deferatur à Subdiacono Ampulla olei: et summus Pontifex salutet oleum, et deosculando ampullam, sicut fecit de chrismate, et cæteri omnes salutent per ordinem ampullam in deosculando. Posteà reportentur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ, ad sacrarium, vel locum ubi sedere debent; et deindè distribuatur unicuique sicut decet, et fuerit opportunum.

ORD. ROM. XI. *n.* 40. Ad Missam descendit Dominus Pontifex in secretarium. Præparatis ampullis plenis oleo, miscitat balsamum cum oleo.... Sanctificat chrisma et oleum, sicut in ordine Episcopali dictum est.

ORD. ROM. XII. *art.* XI. *n.* 23. Feriâ V. in cœnâ Domini.... Dominus Papa.... induit se usque ad dalmaticam, et induunt se Diaconi Cardinales dalmaticis, Presbyteri planetis et mitris. Tunc præsentantur Domino Papæ. Sciendum est quòd Acolythi debent recipere de altari S. Petri unam aquariliam olei, et fanones, et ampullas: et Camerarius debet tres denarios pensali balsami. Præsentatur major ampulla cum oleo à priore Diacono, et residente ipso in sede suâ, mittit balsamum in ipsâ ampullâ, et miscet balsamum oleo cum quibusdam palmarum ramusculis. Postmodùm verò reponitur ampulla super altare sancti Thomæ....

N. 24.... Nos dicimus Symbolum propter consecrationem chrismatis.... Cùm autem Præfatio inchoatur, vadunt Diaconi Cardinales cum Subdiaconis et Acolythis pro ampullis afferendis ad benedicendum, præcedente crucem thuribulo et duobus cereis; antequàm dicatur, *Per quem hæc omnia*, Dominus Pontifex benedicit oleum pro infirmis... Statimque *post communionem* duo Acolythi tenent ampullas involutas cum sindone albâ sericâ in sinistro brachio, ita ut videri possint à medio, et veniens unus è Diaconibus accipit unam ampullam de balsamo mixtam, et portat

Archidiacono, et ille defert Pontifici ante altare. Tunc Pontifex respiciens ad Orientem, Diacono tenente ampullam ante ipsum in sinistro brachio involutam sindone, halat ter in ampullam, ut intret in consecrationem chrismatis... Completa benedictione benedicit ampullam olei, delatam ordine quo suprà : et similiter halat in ipsam, sed tacitè.. Porro ampulla, quæ de chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperiatur, ut à nemine videatur ; sed Diacono tenente, Dominus Papa salutat eam, et dicit, *Ave sanctum chrisma*, tribus vicibus, et osculatur eam. Acolythus verò recipit ampullam ; et eo tenente, omnes per ordinem salutant nudam eam, tam Episcopi, quàm Presbyteri et Diaconi.

ORDO ROM. XIV. *n.* 83... Hàc die (*in cænâ Domini*) in toto orbe sanctum chrisma conficitur, etc. *ut in Ord.* X. *n.* 1. *suprà.*

ORD. ROM. XV. *n.* 63. Sciendum quòd Romani Præsules in primo anno coronationis consueverant conficere sacrum chrisma.... Anno ergo illo in quo verè conficitur sanctum chrisma, summo manè quasi in ortu solis, Dominus Papa indutus paramentis, et Cardinalibus omnibus indutis sacris vestibus secundùm Ordinem suum, scilicet Episcopi pluvialia, Presbyteri casulas, Diaconi tunicellas et dalmaticas, et alii Prælati pluvialia recipiunt cum septem candelis, si sint processiones generales, ut conficiatur sanctum chrisma.

N. 65. Manè hujus diei primò Mansionarii, Sacrista, et Clerici capellæ ad hoc destinati, præparent omnia quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis, videlicet tres ampullas de argento, non tamen ejusdem quantitatis, quoniam major debet esse de sancto chrismate, mundissimo oleo plenas. Maxima verò ampulla quæ ad chrisma debet fieri, de panno serico albo tenuissimo cooperitur : aliæ autem de alio panno serico dissimili coopertæ habeantur : sed tamen pannus adeò subtilis, quod ampullæ possint videri per Papam, et alios.... Pontifex alba recipit paramenta, et omnes Cardinales et Prælati prout moris est, videlicet Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, Diaconi verò tunicellas et dalmaticas, pro reverentiâ chrismatis. Papa verò indutus jam dalmaticâ sedeat in sede suâ : cui præsentetur ampulla quæ major est, cum oleo ab Acolythis, et balsamum per Camerarium, aut per Sacristam : et balsamum cum oleo Papa misceat, nihil dicens ; et benè commisceatur vel conficiat. Omnes verò ampullæ, id est, aliæ duæ, ibidem super mensam remaneant coopertæ, et diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur.... Esse debent in processione septem candelabra cum cruce, Evangelio et ampullâ quæ est chrismatis, aliis ibidem remanentibus.

Nota quòd si non conficeretur hodiè sanctum chrisma, non essent nisi duo candelabra in processione. Notandum etiam quòd omni anno debent sanctum chrisma consecrare cum purissimo et mundissimo oleo olivarum, et additimus cum tribus guttis de finissimo balsamo, quas Episcopus non commiscere debet cum oleo : sed ita per alios, et non per Papam, nisi de septem in septem annos, nec alium in ejus præsentiâ.

Portatur thuribulum semper cum incenso, et sic processionaliter pergant ad altare cum ampullâ.... Incensato altare ampulla reportatur ad locum inter duas alias... Factâ ergo elevatione corporis Christi, vel post *Sanctus*, si expediat, unus Acolythorum ducit juniorem Diaconum Cardinalem, et cum eo plures Subdiaconos. Unus ex eis Subdiaconibus portat crucem, Acolytho antecedente cum thuribulo et thure sine luminaribus : et sic processionaliter vadunt ad capellam sancti Thomæ, vel sancti Gregorii, vel ubi ampullæ cum chrismate et cum oleo servantur : et Cardinalis Diaconus prædictus accipit illam ampullam, quæ est chrismatis ; et duo Subdiaconi accipiunt alias duas olei exorcizati, et olei infirmorum, super brachium sinistrum eas portantes : et eo modo quo venerunt, postèà revertuntur. Dominus verò Papa, vel ille qui conficit sanctum chrisma, aut celebrat ipsâ die, antequàm dicat, *Per quem hæc omnia*, descendet ad sedem sive cathedram suam ante altare paratam, versâ facie ante altare : et Subdiaconus qui bajulat ampullam infirmorum olei, repræsentat eam summo Pontifici ad benedicendum : et Papa dicat planâ voce, *Exorcizo te immundissime, etc.* Quibus benedictionibus peractis, Papa revertitur ad altare, et dicit : *Per quem hæc omnia.*

N. 66. Postea Papa, si facit sanctum chrisma, ascendit ad cathedram

coram altari paratam, versâ facie ad altare : et continuò duo Acolythi deferunt ampullas involutas cum tobaleâ subtili albo serico in sinistro brachio, ita ut videri possint medio. id est, per medium sericum et à medio sursùm ; et Diaconus junior, qui assistit Papæ, accipit ampullam unam mixtam cum balsamo, et repræsentat eam Papæ tenens eam in sinistro brachio involutam panno serico. Tùm Papa halet ter in ipsam, et posteà halent etiam in ipsam omnes Episcopi qui assistunt ibi induti sacris vestibus, et etiam Presbyteri, sive sint Cardinales, sive non. Quo facto Papa dicit sine cantu, *Dominus vobiscum. Exorcizo te creatura Dei, etc.*

Post benedictionem verò istam omnes Episcopi, et Presbyteri Cardinales salutent post Papam sanctum chrisma per ordinem suum. Qui quidem ordo sic debet observari, primò à latere dextro Papæ Episcopi Cardinales, et post eos Presbyteri Cardinales ; Patriarchæ verò inter Episcopos Cardinales à lateribus Papæ hinc indè juxta ordinem suum à latere sinistro ; Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri Cardinales induti secundùm Ordinem suum, et in balando, salutando post Episcopos Cardinales. Archiepiscopi, Episcopi debent præcedere Presbyteros Cardinales : quoniam ad solos Episcopos pertinet seu spectat sanctam chrisma conficere ; et Episcopos salutent Presbyteri Cardinales, et in salutando quilibet inclinet caput, dicens : *Ave sanctum chrisma*, ter ; et post salutationem quilibet deosculatur semel immediatè. Factâ salutatione et deosculatione chrismatis ab Episcopis et Presbyteris, Papa benedicet ampullam olei delatam in ordine quo suprà : et similiter halet Pontifex ter in ipsam, sed facilè : et omnes Episcopi et Presbyteri Cardinales, et etiam alii Episcopi halent ter in ipsam. Hic mutatur ordo inter Presbyteros Cardinales et Episcopos non Cardinales : et dùm halatur in ampullis ab aliis Pontifex sedet : sed quando salutat, stant omnes alii etiam. Deindè surgens dicit sine cantu, *Dominus vobiscum*, etc. *Exorcizo te creatura olei*, etc.

Post benedictionem verò istam omnes Episcopi et Presbyteri Cardinales salutent per ordinem suum sanctum chrisma, et in salutando inclinent capita dicentes : *Ave sanctum chrisma*, et deosculantur ampullam. Factâ salutatione chrismatis ab omnibus Episcopis et Presbyteris, statim debet fieri olei salutatio ab eisdem, hoc modo. Salutet Papa chrisma, et statim posteà oleum, dicens : *Ave sanctum oleum.* Ita et cæteri singuli dicere debent.

Posteà reportantur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ. ad sacrarium, vel ad locum quem Sacrista ordinavit, ubi stare debent. Deindè idem Sacrista distribuit unicuique sicut debetur, et fuerit opportunum.

AMALARIUS *de Ecclesiast. Offic. lib.* 1. *cap.* 12. Sexta varietas est in quintâ feriâ, quam vocamus cœnam Domini.... In eâ consecratur tribus modis oleum trium officiorum.... Illud oportet hoc in loco intimare, ut secundùm Apostolum, (*Hebr.* XI. 3.) ex visibilibus invisibilia intelligantur. Sine oleo enim potest Deus sanare infirmos, sanctificareque suos, et dæmones effugare.... Oleum enim visibile, in signo est : oleum invisibile, in sacramento : oleum spirituale, intùs est. Potest Deus per se oleum tribuere spirituale sine corporali : sed propter animales aguntur visibilia, ut invisibilia facilius capiantur. Si quis dixerit, si potest, quare tanto studio observatur cultus consecrationi olei ? Respondebitur, Nonne antiqui justi potuerunt Deo placere sine circumcisione ? Potuerunt utique : sed postquàm eis præceptum est, ut circumciderentur, nisi circumciderentur, peccati vinculo tenebantur.... Apostoli autem hâc arte ejus olei utebantur in redintegratione infirmorum : Apostolici viri in consignatione neophytorum. Quapropter non sine peccato à nobis potest dimitti, quod eorum auctoritas consecravit. Sic enim scriptum est in Evangelio : *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent : et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* (*Marc.* VI. 12. *et* 13.) Undè Beda : Dicit Apostolus Jacobus, *Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.... et si in peccatis sit, dimittentur ei.* (*Jacob.* V. 14. *et* 15.) Undè patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato. De eo oleo, quod infunditur super Neophytos, non tale

I. Cur Episcopus et Presbyteri singuli ter halant super ampullam chrismatis et olei catechumenorum ?

R. Hoc halitu postulant à Deo ut descendat super hæc olea virtus Spiritûs sancti. Christus ipse daturus Spiritum sanctum Apostolis, *Insufflavit super eos dicens : Accipite Spiritum sanctum.* (*Joan.* XX. 22.)

I. Cur absolutâ benedictione chrismatis, ac deindè olei catechumenorum, Episcopi ac dein Presbyteri salutant hæc olea his verbis, *Ave sacrum chrisma, Ave sanctum oleum?* Vereor ne ritus ille ad idololatriam proximè accedere videatur.

R. 1° Ritus ille vigebat jam à seculis quinto et sexto, quo quid legimus, sed tenemus Apostolicam consuetudinem, et auctoritatem suam accepimus à Romanâ Ecclesiâ, quam pro lege tenere oportet, dicente Augustino ad Casulanum Presbyterum de jejunio Sabbati : In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt. Nunc verò quia demonstratum est, de generali ratione olei, restat ut primò dicamus de oleo quod consecratur pro infirmo. Consecratur enim in ipso officio consecrationis corporis et sanguinis Domini : non habet proprium officium, id est, nec in capite verba salutationis, nec *oremus*, nec in fine concluditur, ut cæteræ orationes, *Per Dominum nostrum Jesum Christum:* sed tantùm, *in nomine Domini nostri Jesu Christi.* In eo loco ubi solemus uvas benedicere, ibi consecratur oleum pro infirmo, concluditurque conclusione, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas:* undè intelligimus emboliim esse suprà dicti officii.... Nunc transeundum est ad principalem consecrationem chrismatis. Ipsa enim dicitur principalis, quia ad ejus unctionem principalis spiritus tribuitur. Habet enim proprium officium per se, inchoatur à, *Sursùm corda:* finitur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit.* Consecratur in eo loco, ubi pacem inter nos solemus dare. Hic non solùm oleum, sed et balsamum consecratur.... Sequitur exorcismus olei : ut Isidorus, exorcismus Græcè, Latinè conjuratio, sermo increpationis est adversùs diabolum, ut discedat ; et concluditur sic, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per ignem.* Illo inunguntur catechumeni, ut si quæ maculæ inhæserunt corpori aut menti, postquàm ad scrutinium accesserunt, recedant, et munimentum deinceps habeant per hanc unctionem, et non possit diabolus repedare. Verba orationis hæc demonstrant, dicendo : *Ut si quæ illis adversantium spirituum inhæsere reliquiæ, ad tactum sancti olei omnes abscedant : nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas*, et reliqua.

PONTIFICALE ROM. *de Officio in quint. fer. cœn. Dom. pag.* 410. In primis procedit Thuriferarius quem sequuntur duo Ceroferarii : post hos septem Subdiaconi, bini et bini, et in tertio loco tres simul vadunt ; tum septem diaconi, etiam bini et bini, et in tertio loco tres ; post hos duodecim Presbyteri, bini et bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito : deindè Diaconus, et à dextris ejus Capellanus assistens : quos demùm Pontifex sequitur, incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesiâ suâ : alioquin ibit medius inter Diaconum et assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriarcha, et in Ecclesiâ suâ, portatur etiam in hujusmodi processione crux per unum ex Ministris ad hoc ordinatum, qui medius inter Ceroferarios incedit.

Duodecim Presbyteri, suo ordine, juxta sedilia in fine Presbyterii posita, hinc et indè stabunt, vel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad altare vertentes ; post eos stabunt septem Diaconi, et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus Presbyterii, etc. *ut in Ord. Rom.*

tempore nondùm erat idololatria planè exstincta. (K) Proindè si in eo ritu censuissent summi Pontifices, quid inesse quod idololatriam saperet, non tolerassent certè, nedùm hoc observari præciperent.

2° Salutatio illa immensùm distat ab adoratione. Salutantur quotidiè, et quidem ex perpetuo Ecclesiæ ritu, Christi crucifixi imagines pictæ vel sculptæ, altaria, sacrosanctæ Scripturæ libri, Sanctorum reliquiæ; quin et civili ritu salutantur Regum pictæ vel sculptæ imagines. Quis dixerit hos ritus seu sacros seu civiles ad idololatriam pertinere? Sive salutationes illæ tacitè fiant, sive salutando dicatur, *Salùto vos*, perindè est.

3° Salutatio illa non ad olea ipsa refertur, sed vel ad Christum, vel ad Spiritum sanctum, quorum virtus his continetur. (L)

§. 6. De Benedictione Campanarum.

I. Campanarum benedictio estne ritûs antiqui?

R. Non semper usa est Ecclesia campanis ad congregandos fideles. Baronius censet eorum usum introductum fuisse à Joanne XIII. anno 968. Quidquid sit de harum antiquitate,

(K) *Sacramentarium* S. GREGOR. MAGN. *in cœnâ Domini. Vide suprà hoccc* §. *litt.* (I)

(L) AMALARIUS *de Ecclesiast. Offic. lib.* 1. *cap.* 12. Ampulla enim cum chrismate, quodammodo corpus Domini ex Virgine Mariâ assumptum significat.... At postquàm salutata est à Pontifice et Ministris altaris ampulla, cooperitur, ut à nemine nuda videatur: cooperta tamen salutatur ampulla. Christus namque postquàm præsentiam suam eis secundùm suam dispositionem exhibuit, quos voluit esse testes suæ resurrectionis, ascendit in cœlum, et invisibilis hominibus factus est.... Quamvis præsentiam ejus corporalem non videamus, tamen venerando eam quotidiè salutamus.

RUPERTUS. Abbas, *lib.* 5. *de divinis Officiis*, *cap.* 18. In hoc loco ubi solemnis unas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurque conclusione, *Per quem hæc omnia, etc....* Hujus verò chrismatis olei consecratio, quæ dicitur principalis, quia ad ejus unctionem principalis tribuitur spiritus, id est, septiformis Paracletus, habet officium per se. Primo exorcizatur, deindè ejus benedictio inchoatur.... Consecratur autem in eo loco, ubi pacem solemnis inter nos dare, et hoc est opus divinæ gratiæ, ut pax et concordia regnet in nobis. Duodecim Presbyteri, qui ordinantur circa Episcopum, testes et auditores ejusdem mysterii, duodecim Apostolos significant: quorum in præsentiâ summus Pontifex Christus hodiè testamentum conscripsit, totamque hæredi atem salutis, suæque discessionis fructum, id est, spiritum Paracletum ostendit.... Ejus namque gratiæ sacramentum chrisma continet, qui ex quo mortis pretio quodammodo emptus et acquisitus est, cœpit (quod antè non fiebat) in remissionem peccatorum dari. Unde et Paracletus tunc primùm appellatus est.... Ampulla cum chrismate quodam modo significat corpus Christi, sumptum ex Virgine, corporaliter in se habitantem, continens Spiritûs sancti plenitudinem. (*Coloss.* II. 9.).... Ampulla verò, postquàm benedicta fuerit, et ab altari redit, à Pontifice et Ministris altaris visibiliter et nuda salutatur; hoc significat, quòd Christus, postquàm ab altari crucis transivit, præsentiam suam corporalem eis præbuit quos testes suæ resurrectionis esse voluit. Quòd cæteris invisibilis et operta ad salutandum defertur, significat, quod Christus rediens in cœlum, invisibilis hominibus factus est (*Luc.* XXIV. 51.), ut ipse testatur. *Exivi à Patre, et veni in mundum: iterùm relinquo mundum, et vado ad Patrem.* (*Joan.* XVI. 28.) Nos verò, quamvis corporalem ejus præsentiam non videamus, tamen venerando eum quotidiè salutamus.

certum est jam à seculo septimo id fuisse positum in more, ut benediceret Ecclesia signum, qualecunque tandem illud esset, quo congregabatur populus ad Ecclesiam. (A)

(A) Joan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 1. Quia difficilè potuit credentium multitudo ætate, sexu, conditione diversâ, et habitatione ac loco dissidens, statis horis in Ecclesiâ adunari; credibile est aliquod signum antecessisse, quo omnes in unum cogerentur. Quale autem hoc fuerit, conjicere quidem possumus, sed non certò definire. Amalarius *lib.* 4. *de div. offic. cap.* 21. lignorum sonitu Christianum populum congregatum ait, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Non assentitur Amalario Baronius *ann.* 58. *num.* 108. et meritò: tùm quia hujus rei nullum exstat antiquum monumentum: tùm etiam quia ratio ipsa non patitur ut eo tempore, quo abdita loca ad conveniendum studiosissimè quærebant, eo lignorum strepitu se proderent, et ad necem sibi inferendam Gentiles provocarent. Verisimilior videtur Strabonis conjectura *cap.* 5. *de rebus Eccles.* quòd nimirùm sola devotio aliquos cogeret ad statutas horas concurrere; alii prænuntiationibus publicis invitarentur, et in unâ solemnitate proximè futuras discerent. Sed hæc referre ad nascentis Ecclesiæ tempora difficillimum est, nam vexati fideles acerbissimis gentium persecutionibus, locum sæpè mutare, eumque abditissimum, nec inventu facilem quærere cogebantur, undè nec so'o religionis studio convenire poterant, nec in uno conventu alteriùs præmoneri.... Aliquam sanè tesseram sive signum fuisse, quo Christiani et se mutuò agnoscerent, et loca scirent ac tempora synaxeos peragendæ, certæ fidei res est; sed quale hoc signum fuerit, ignoramus.

N. 2. Converso autem ad fidem Constantino, cùm pace et tranquillitate poliri cœpit Ecclesia, summa pietas Imperatoris, et Christianorum alacritas, quam describit Eusebius testis oculatus *initio libri* 10. *suæ historiæ*, nos dubitare non sinit, quin publicis signis, quæ ab omnibus perciperentur, populus ad Ecclesiam cœperit convocari. Ea diversa fuisse veterum Scriptorum monumenta testantur. Pachomius Abbas tubæ sonitu congregari Monachos præcipit, sicut olim Moysi imperavit Deus *Numer. cap.* 10. ut duas tubas argenteas faceret, quarum sonitu ad movenda castra, ad festa, ad sacrificia multitudo convocaretur. *Cùm audierit*, inquit Pachomius Regulæ suæ cap. 3. *vocem tubæ ad Collectam vocantis, statim egrediatur.* Climacus idem ait *Gradu* 19. signo sacræ tubæ canente coactos Fratrum cœtus. Alii malleo utebantur, quo singulorum cellæ pulsabantur. Historia Lausiaca cap. 104. in vitâ Abbatis Adolii: *Excitatorio malleo*, inquit, *pulsabat cellas omnium, eos congregans ad Oratoria.* Cassianus lib. 4. Institut. cap. 12. *Cùm sonitum pulsantis ostium ac diversarum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis unusquisque prorumpit.* In Bethleemitico Monasterio hàc voce, *Alleluia*, convocatas Moniales ad Collectam scribit Hieronymus *Epist.* 27. Usi sunt etiam Græci lignorum percussione, quorum usum antiquissimum esse ex actis secundæ Synodi Nicænæ constat. Ibi enim *Act.* 4. ex libro miraculorum S. Anastasii Martyris legimus, quòd cùm ejus Reliquiæ Cæsareæ appropinquarent, cives omnes lætitiâ magnâ perfusi ligna sacra pulsantes obviam facti sunt. Eorumdem frequens habetur mentio apud Græcos Scriptores. Theodorus Petreorum Episcopus in vitâ S. Theodosii Archimandritæ: *Monachi*, ait, *lignum pulsabant præter solitam propemodùm horam.* Nicephorus Blemides in vitâ S. Pauli Latrensis, imperat, *ut ante tempus lignum congregans Monachos pulsetur, et sacra Mystagogia peragatur.* Theodorus Studita in carminibus, *Velati tubâ percute lignum tempore suo ut opus est.* Auctor vitæ S. Niconis cognomento Metanœitæ, *Et ligni pulsatione omnes fratres convocat.* Et tubæ quidem ac mallei usus ad sola Monasteria pertinuisse videtur, ligna autem ab omnibus Ecclesiis Orientalibus usurpata fuerunt, longoque spatio permansit eorum consuetudo: quia ut paulò post videbimus, campanas seriùs receperunt. Nunc quoque Græci et aliæ nationes sub tyrannico Turcarum imperio iisdem ignis utuntur quæ à Græcis semanteria, sive chirosemantra, quòd manibus tenean'ur atque pulsentur, nuncupantur. Easic describit Leo Allatius in dissertatione de recen-

I. Qui ritus observantur in benedictione campanarum?

R. Plures instituit Ecclesia, eosque venerabiles. Hos subjicio ex Pontificali Romano.

1° Canuntur plures Psalmi, ad impetrandam divinam misericordiam et protectionem; quibus recitatis, Pontifex seu Presbyter ab eo delegatus, aquâ priùs cum sale more solito à se benedictâ, totam campanam interiùs exteriùsque lavat, adjuvantibus Ministris. Quæ lotio est species quædam exorcismi, cujus rationem supra reddidimus (§. 2. *hujus Cap.* ubi de præcipuis benedictionum ritibus ageretur, dicemusque deindè plura ubi de benedictione lustralis aquæ sermo erit. (*Hujusce Cap.* §. 10.) Dùm autem Ministri lotionem a Sacerdote inchoatam perficiunt, ac deinde campanam absterguntlinteo, Sacerdos Psalmos alios in laudem Dei recitat.

2° Sacerdos campanam inungit semel in modum crucis oleo sancto infirmorum : quo facto, recitat orationem ad impetrandam Spiritûs sancti virtutem, ad depellendas hoc tintinnabulo tempestates et fugandas potestates aëreas. Canitur deindè Psalmus XXVIII. *Afferte Domino :* quo absoluto, Sacerdos septies inungit in modum crucis exteriùs campanam oleo infirmorum, et quater interiùs per spatia æqualia sacro chrismate; et ad singulas unctiones ait (*Pontif. Rom.*),

tiorum Græcorum templis : « Sacerdotes Græci ligneo instrumento ad » Græcos in Ecclesiam convocandos utuntur. Id est lignum binarum de- » cempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine » quatuor, quàm optimè dedolatum, non fissum aut rimosum, quod » manu sinistrâ medium tenens Sacerdos vel alius, dextrâ malleo ex eo- » dem ligno cursim hinc indè transcurrens modò in unam partem, modo » in alteram, propè vel eminùs ab ipsâ sinistrâ, ita lignum diverberat, » ut ictum nunc plenum, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extensum » edens, perfectâ musices scientiâ auribus suavissimè moduletur.

N. 6. Mihi verò propius videtur, statim ac reddita Christianis est pax, ad convocandum populum adhibita fuisse tintinnabula, primùm minora, deindè grandiora...: Nec dubito quin de tintinnabulo S. Benedictus intelligi debebat, cùm de significandâ horâ operis Dei agens, in Regulâ cap. 43. ait, *Ad horam divini Officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus summâ cum festinatione curratur....*

N. 7. Signum verò sive campanam pulsare pertinebat antiquitùs ad Sacerdotes, et S. Benedictus *in Regulâ cap.* 47. hoc munus Abbati imponit, ut ipse horam operis Dei diù noctuque nuntiet, aut tali sollicito fratri injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 1. hoc officium non esse à Presbytero subterfugiendum ait : et in Capitul. Caroli magni *lib.* 6. *cap.* 168. statuitur, ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis... At hodiè officium Ostiarii est, quem decet superpelliceo indutum esse, dùm signa pulsat, quia munus sui ordinis exercet. Nec sine ratione majores nostri decreverunt à Deo sacratis viris signa tangi, quia et sacra res est fidelem populum ad divinum officium, ad Missam, ad communionem, ad audiendum verbum Dei coadunare : et ipsæ campanæ Episcopali benedictione, sanctique olei unctione consecratæ sunt, et inter sacra Ecclesiæ vasa connumerantur.... In ipsa verò consecratione nomine alicujus Sancti campana insignitur, sive ut à cæteris proprio veluti nomine distinguatur; sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi hujus ritûs institutores, si voce alicujus Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur.

Vide quæ diximus supra hujusce Operis Parte 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 10.

Sancti † ficatur, et conse † cretur, Domine, signum istud. In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spi † ritûs sancti : In honorem sancti N. Amen. Pax tibi. Tùm recitat orationem aliam, « qua » postulat à Deo, ut tintinnabulum hoc cœlesti benedictione » perfundat, ut ante sonitum ejus longiùs effugentur ignita » jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, » læsio tempestatum : ut cùm præsens vasculum, sicut » reliqua altaris vasa, sacro chrismate tangitur, oleo sancto » ungitur, quicunque ad sonitum ejus convenerint, ab om- » nibus inimici tentationibus liberi, semper fidei catholicæ » documenta sectentur. »

Ideò autem campanam inungit Sacerdos sancto oleo et sacro chrismate, quia ut jam diximus, ad consecrationes omnes olei et chrismatis unctio adhibetur. In honorem Sancti alicujus campana consecratur, ut eo nomine distinguatur a cæteris. Addit Sacerdos, *Pax tibi*, id est, *Ne amplius usibus profanis servias, sis signum et instrumentum pacis, quo nunquam dæmones abutantur.*

5° Sacerdos imponit in thuribulo thymiama, thus, et myrrham, si haberi possunt : quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur campanæ, ut totum fumum recipiat : interimque canuntur versiculi quidam ex Psalmo LXXVI. quibus absolutis Deum precatur Sacerdos in hunc modum :

Omnipotens Dominator Christe (*Pontif. Rom.*), *quo.... dormiente in navi, dùm aborta tempestas mare conturbasset, te protinùs excitato et imperante dissiluit* (*Luc.* VIII. 23. *et* 24.), *tu necessitatibus populi tui benignus succurre : tu hoc tintinnabulum sancti Spiritûs rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus ; invitetur ad fidem populus Christianus ; hostilis terreatur exercitus ; confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus : ac sicut Davidicâ citharâ delectatus descendat Spiritus sanctus,.... ita dùm ejus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conventum manus conservet Angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per Dominum, etc.*

Jam diximus supra cur in plerisque benedictionibus thus adhibeatur. (§. 3. *hujusce Cap.*)

4° Tandem totus benedictionis hujus ritus absolvitur solemni lectione Evangelii ex Lucæ capite X. sumpti, ubi dicitur Martha excepisse Christum in domum suam, et dum illa satageret circa frequens ministerium, Maria soror ejus sedens audisse verbum Christi : quâ lectione exprimitur, ad hoc præcipuè benedici et consecrari campanas, ut congregent populum Christianum ad audiendum in Ecclesiâ verbum Dei, et sacrum cum Christo convivium agendum. (B)

(B) Hugo Menardus Monach. Bened. Congreg. S. Mauri *in doctissimis suis ad Sacrament. S. Gregor. notis pag.* 207. *Ordo in benedictione signi, hoc est nolæ, seu campanæ. Qui exstat in codicibus* Remensi, et Ratoldi *Abbatis.* In codice igitur Remensi ita habetur : *Ad signum Ecclesiæ benedicendum :* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, etc. In

Potest et totus ille prædictus consecrationis ritus allegoricè explicari de Pastoribus, quorum ut ita dicam typum campanæ exhibent, ut patebit ex mox dicendis. (C)

1° Campanæ in altum suspenduntur. Debent esse Pastores, ut ait S. Augustinus (*Enarrat. 2. Ps.* XVIII. *n.* 5.), *à terrâ suspensi, præceptis tonantes*: a terrâ, inquam, suspensi, hoc est, à terrenis omnibus cupiditatibus alieni. In altum positi (D), speculatores scilicet constituti domui Israël (*Ezech.* III. 17.), quorum jam conversatio in cœlis sit. (*Philip.* III. 20.)

2° Campanarum sonus longè latèque diffunditur. De Apos-

cod. Ratoldi: *Ad signum Ecclesiæ benedicendum. In primis intingue ter in aquâ, et laves in eâ quæ benedicenda est, his verbis:* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, etc. ut in Ordine Romano. *Post hæc cantabis Psalmos sex*, Lauda, anima mea, Dominum, *usque ad finem Psalterii.* (*Ps.* CXLV. *et seq.*) *Interim laves eum de aquâ* (benedictâ videlicet, ut præcipitur in cod. Remensi); *cum oleo et sale, et dic:* Deus qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, etc. ut in Ord. Rom. *Tunc exterges eum linteo, et dicas:* Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas (*Ps.* XXVIII. 3.), *usque in finem. Post hæc tangis eum de chrismate septem vicibus foris, intus quaternis. Oratio:* Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis, etc. *ut in ord. Rom.* In codice Remensi legitur in hunc modum: *Et dicis antiphonam cum capite,* vox Domini, etc. *Tunc pones incensum in acerrâ* (lege *acerra*, id est, thuribulo) *et myrrham; et faciat fumum intus et extrà: cantes:* Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ (*Ps.* LXXVI. 17.), *usque ad finem Psalmi.* Omnipotens Dominator, Christe, cui (*lege*, quo) secundùm assumptionem carnis dormiente in navi, etc. ut in Ord. Rom. In Codice Remensi sic habetur: *Tunc imponis incensario, et thymiamata et myrrham, et erigis cloccam, et dicis antiphonam*, Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? (*Ps.* LXXVI. 14.) *v.* Viderunt te aquæ Deus, *usque ad finem Psalmi; et dicis collectam*, Omnipotens Dominator Christe, etc. Et hæc de signi benedictione. Clocca autem cujus est in codice Remensi mentio, signum est, nola, campana, Gallicè *Cloche.* Ita docet Otholonus lib. 2. de vitâ S. Bonifacii Episcopi Moguntini: *Interèà signum Ecclesiæ, quod vulgò appellari solet gloccæ* (lege *clocca*) *absque humano motu sonare cœpit.* Mentio fit in Epistola Gutberti ad S. Lullium, quæ 89. est inter Epistolas ejusdem S. Bonifacii, *et cloccam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus.*

JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. l.* 1. *cap.* 22. *n.* 6. *et* 7. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

(C) GEMMA ANIMÆ. (*Hujus libri Auctor florebat ann.* 1124.) *lib.* 1. *cap.* 5. Campanæ sunt Prophetæ, campanæ sonabant, quia Prophetæ Christi adventum prænuntiabant.

Cap. 142. Signa, quæ nunc per campanas dantur, olim per tubas dabantur. Hæc vasa primùm in Nolâ Campaniæ sunt reperta, undè sic dicta. Majora quippè vasa dicuntur campanæ, à campaniæ regione; minora nolæ, à civitate Nolâ campaniæ. Itaque Prædicatores designant, qui populum ad Ecclesiam convocant. Earum sonatio est illorum prædicatio, quorum *sonus in omnem terram exivit, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Ps.* XVIII. 5.) Ex ære sunt fusæ, quod est durum et sonorum; quia prædicatio illorum contra vitia est dura, et de virtutibus est sonora. Ideò autem in modum vasorum formantur, quia Prædicatores vasa Spiritus sancti appellantur.

(D) ISAI. XL. 9. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: ecce Deus vester.

S. AMBROS. *lib.* 3. *Hexaem. cap.* 12. *n.* 50. Posuit (Deus) in Ecclesiâ velut turrim Apostolorum, et Prophetarum, atque Doctorum, qui solent pro Ecclesiæ pace prælendere.

olis autem, quibus Pastores Ecclesiæ successère, dicitur : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Psal.* XVIII. 5. *Rom.* X. 18.)

3° Campanæ convocant populum ad Ecclesiam, tempus orationis annuntiant : hoc esse munus Pastorum patet. (E)

4° Campanæ tempestates avertunt, et vim habent ad depellendas potestatum aërearum insidias. Hoc quoque munus est et officium Pastorum, ut verbo, exemplo, oratione, sacrosancto Sacrificio vim omnem dæmonum infringant. (*Jerem.* XV. 20. *Ezech.* XIII. 5.) salvent populum ab irruentibus malis, moneant, satagant, murum opponant pro domo Israël : adeò ut si, dicente Domino ad populum, *Morte morieris* (*Ezech.* III. 18.), non moneat Pastor; si malis ob peccata populi imminentibus, iram Dei quantum in se est non avertat Pastor, sanguis populi de manu Pastoris requirendus sit. (F)

His positis, facile est intelligere allegoricè de Pastoribus ritus omnes benedictionis campanarum.

Campana interiùs exteriùsque tota abluitur, postquàm multi recitati sunt Psalmi, ad impetrandam divinam misericordiam et protectionem : quo ritu intelligimus debere neminem ad Pastoris munus evehi, nisi priùs fuerit ab omni sorde peccati mundatus, et Spiritûs sancti virtute expiatus et sanctificatus. Oportet enim Pastorem esse sanctum, innocentem, mundum à peccatis, irreprehensibilem; ut Christum perfectiùs exprimat, de quo scriptum est (*Hebr.* VII. 26.) : *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, etc.*

1° Septies ungitur exteriùs campana oleo, et quater interiùs sacro chrismate campana : unguntur et Sacerdotes, et consecrantur unctione olei et chrismatis.

2° Septies ungitur exteriùs campana oleo sacro : unguntur et Sacerdotes oleo; quo significatur septiformis gratia Spiritûs sancti. Quater ungitur interiùs campana sacro chrismate : Sacerdotes quoque sacro chrismate consecrantur, ut intelligamus Sacerdotis intima veluti præcordia Spiritu sancto penetrari oportere, ut possit esse vox Dei, qui dat voci suæ vocem virtutis. Quadripartita autem illa unctio cha-

(E) Isai. LVIII. 1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. 1. Cor. IX. 16. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit : væ enim mihi est, si non evangelizavero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est.

(F) Ezech. XIII. 13. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione meâ, et imber inundans in furore meo erit : et lapides grandes in irâ in consumptionem. 14. Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento : et adæquabo eum terræ, et revelabitur fundamentum ejus : et cadet, et consumetur in medio ejus : et scietis quia ego sum Dominus. 15. Et complebo indignationem meam in pariete, et in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis : Non est paries, et non sunt qui liniunt eum.

ritatem designat sacerdotalem ad omnia, et si necesse sit, ad quatuor mundi cardines extendi oportere ; in omnem enim terram ad Dei notum exire debet sonus Sacerdotis, et in fines orbis terræ verba ejus. Tempestates undequaque imminentes debet pro viribus avertere, dissipare.

5° Campanæ sacro chrismate unctæ supponuntur aromata fumigantia. Quo ritu magna res nobis innuitur, nimirùm Sacerdotis esse sacro chrismate uncti gestare in corde vota, preces, gemitus, necessitatem omnem populi Christiani, ut ea offerat ad altare Dei. Sacerdos enim, ut ait Malachias, *Angelus Domini exercituum est.* (*Malach.* II. 7.) At Angelorum est perferre ad thronum Dei vota fidelium (G) : preces autem fidelium incensi aromatibus designantur in Scripturis : *Ascendit fumus incensorum*, inquit Joannes in Apocalypsi, *de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* (*Apoc.* VIII. 4.) (H)

4° Tandem lectione Evangelii, quâ ritus illius benedictionis perficitur, duo nobis declarantur. Primum, unum ex præcipuis Pastorum officiis esse, ut populum Christianum adnortentur et convocent ad audiendum verbum Dei, ad sacram Christi mensam : alterum, ut ipsi meminerint peracto ministerio suo, sibi quotidiè redeundum ad Christi pedes, ad audiendum verbum illius, sacraque Scripturarum mysteria meditanda. (I)

(G) TOBIE XII. 12. Quando orabas cum lacrymis ..... ego obtuli orationem tuam Domino.

(H) PSAL. CXL. 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

APOC. V. 8. Et cùm aperuisset (agnus) librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

(I) S. GREG. MAGN. *Regul. Pastor. part.* 2. *cap.* 11. Sed omne hoc ritè à Rectore agitur, si supernæ formidinis et dilectionis Spiritu afflatus, studiosè quotidiè sacri eloquii præcepta meditetur : ut in eo vim solliciludinis, et erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter desiruit, divinæ admonitionis verba restaurent : et qui ad vetustatem vitæ per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis adspiratione renovetur. Valdè namq; ie inter humana verba cor deflut : cùmque inhabitanter constet quòd exteriis occupationum tumultibus impulsum à semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est enim quòd prælatum gregi discipulum Paulus admonet, dicens : *Dùm venio attende lectioni.* (1. *Tim.* IV. 13.) Hinc David ait : *Quomodò dilexi legem tuam Domine ? totâ die meditatio mea est.* (*Ps.* CXVIII. 97.) Hinc Moysi Dominus de portandâ arcâ præcepit, dicens : (*Exod.* XXV. 12. *et seq.*) *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. Faciesque vectes de lignis sethim, et operies auro : inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus ; ut portetur in eis : qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quid per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur ? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubenfur adjungi : quia in eo quòd per quatuor mundi partes dilatata tendifur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur ; quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient, et quasi intromissis circulis arcam por-

I. Cur benedictio campanarum vocatur baptismus?

R. Populari illæ locutioni parùm accuratæ locum dedit conformitas quædam inter baptismi et benedictionis campanarum ritus.

Quia sicut in baptismo nomen accipimus suggerentibus susceptoribus, qui Patrini et Matrinæ vulgò nuncupantur, abluimurque, et tandem inungimur oleo et chrismate; ita abluitur campana, oleoque et chrismate ungitur, et nomen alicujus Sancti accipit, suggerentibus, ut moris est in nonnullis Diœcesibus, viro et femina, qui patrinus et matrina nuncupantur à plebe.

Verùm non campanæ solùm, sed res aliæ, ut altaria et templa, ante consecrationem abluuntur, post ablutionem inunguntur oleo et chrismate, et nomine Sancti alicujus designantur; nec propterea horum consecratio baptismus appellatur. Baptismi quidem vox si sensum litteralem spectes, cuilibet lotioni congruit; sed usu Ecclesiæ determinatur ad significandum sacramentum regenerationis, quod pro hominibus solis institutum est.

I. Cujus est pulsare campanas?

R. Id erat olim Presbyterorum officium. (K) S. Benedictus in suâ Regulâ præcipit (*cap.* 47.) vel ab Abbate ipso, vel ab alio Monacho cujus diligentia perspecta sit, cæteros Monachos ad oratorium convocari. (L) Is etiam nunc Carthusiatent. Vectibus quippè arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dùm sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus aptè subditur: *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quia nimirùm necesse est, ut qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubentur, ut cùm portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cùm spiritale aliquid à subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valdè est si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Sed circulis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine morâ elevent, si quidquid necesse est, protinùs docent.

(K) *Capitula* CAROLI MAGNI *lib.* 6. *cap.* 171. Ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis, et illorum officium agant, sive diurnale, sive nocturnale, quia scriptum est, *Sine intermissione orate* (1. *Thessal.* v. 17.); et idcircò non dimittant horas canonicas.

Capitula CAROLI MAGNI *ann.* 802. *capitul.* 8. Ut omnes Sacerdotes horis competentibus dici et noctis suarum sonent signa Ecclesiarum, et sacrata Deo celebrent officia, et populos erudiant quomodò aut quibus Deus adorandus est horis.

Capitulare quidam, *cap.* 5. Ut ipsi Presbyteri tales scholares habeant, id est, ita nutritos et insinuatos, ut si fortè ei contingat non posse occurrere tempore competenti ad Ecclesiam suam officii gratiâ persolvendi, id est, tertiam, sextam, nonam, et vesperas; ipsi scholarii et signum in tempore suo pulsent, et officium honestè Deo persolvant.

Capitula HERARDI. Archiep. Turon. *cap.* 54. Ut signa pulsentur horis canonicis, et ut nullus se per ambitionem alteri præferat; sed omnes agnoscant tempus suæ ordinationis.

(L) *Regula* S. BENEDICTI, *cap.* 47. Nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura Abbatis, ut aut ipse nuntiet, aut tali sollicito fratri injungant hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur.

norum mos est, ut singuli Monachi chorum ingressi *pulsent* campanam. Ideoque ex veteri more campanilia vel super vel juxta choros Ecclesiarum posita sunt.

Nunc campanarum pulsatio Ostiariorum officium est; et ex quo pleraque Ostiariorum officia commissa sunt laicis Apparitoribus, qui Bidelli et Macicoti alicubi sive alio speciali nomine nuncupantur, ministerium illud iis permittitur. Sed satius esset, et menti Ecclesiæ magis accommodum, si à Clericis indutis veste lineâ pulsarentur campanæ, saltem minores: nam vix fieri potest ut majores et immensi ponderis campanæ, in majoribus Ecclesiis turribus suspensæ, pulsentur ab aliis quam ab apparitoribus. Et hæc quidem ratio est, cur præter turrita campanilia, in quibus majores campanæ suspenduntur, sint in Ecclesiis majoribus campanilia minora juxta chorum, quibus campanæ minores suspenduntur. Illas autem campanas minores à Clericis sacrâ veste indutis pulsari oporteret, ut fit in Ecclesiâ Parisiensi, et alibi fortè. Est enim hoc ostiariorum Clericorum officium.

I. Quinam abusus irrepere possunt circa campanas, vel eorum pulsationem?

R. 1° Si in fusione metalli fiat aliqua superstitio.

2° Si pulsentur campanæ ad usus merè profanos.

3° Si ad funera, cæteraque pro defunctis officia, pulsentur immoderate, contra monita et præcepta Episcopi, cum gravi vicinorum incommodo.

4° Si campanis sacris quis moduletur cantus profanos, ut diximus de organorum modulatione. (*Hujus Sect. Cap.* 6. §. 6.) Profanos autem cantus dico eos, qui ex frequenti usu populi verba profana his cantibus accommodata revocare solent in memoriam, statim atque audiuntur.

§. 7. De ritu Consecrationis et Dedicationis Ecclesiæ, et Altaris.

I. Estne prisco in more positum, ut dedicentur et consecrentur Ecclesiæ?

R. Tantæ antiquitatis est ille ritus, ut ejus ignoretur initium. Hunc jam ab ineunte quarto Ecclesiæ sæculo viguisse testes sunt omni exceptione majores S. Athanasius, Eusebius Cæsariensis, S. Ambrosius (A), etc. Ad Ecclesiarum

Amalarius *lib.* 3. *cap.* 1. *de divin. offic.* Presbyter, qui signum movet, quando funem sequitur sursùm, id agit, ut in se ipso recogitet quantùm ad bona opera sit erectus: quando deorsùm trahit, id considerat quantùm jaceat adhuc in pravis.... Ne despiciat Presbyter hoc opus agere, ut in ipso imitator sit filiorum Aaron, sicut et in multis cæteris. Qui se cognoscit debitorem esse prædicationis, non debet se retrahere à movendis signis, cùm ex eisdem possit prædicare populo.

(A) **S. Athanas.** Episc. Alexandr. *ad Imperat. Constantin. Apolog.* Cæterùm quia de magnâ Ecclesiâ crimen concinnant, quòd ibi synaxis habita sit, priusquàm dedicaretur, age, etiam eà de re tuæ pietati responsum demus: eò enim nos trahunt illi, qui in nos odia congerunt. Factum est (agnosco:) nam cùm prima dixerim sine mendacio, non hic quod verum est inficiabor; sed longè aliter, quàm ipsi criminantur, res gesta est. Age quæso, accipe quæ dicam. Non Encæniorum festum celebravimus, religiosissime Auguste: id enim celebrare ante tuum

decretum prorsùs nefarium fuisset; neque de industriâ cò devenimus, neque Episcopus quispiam, aut ullus Clericus eo nomine evocatus est, neque ullâ denuntiatione ad synaxim coitum est, ut isti indè aliquam detrectandi occasionem rapiant. Sed quid actum est, norunt omnes: tu autem, quæso, pro mansuetudine et longanimitate auscultà: Festum erat Paschæ, et tanta vis populorum aderat, quantùm Christianorum in urbe esse Christicolæ Principes optarunt. Cùm igitur et Ecclesiæ paucæ parvæque essent, magnoque tumultu posceretur, ut in magnâ Ecclesiâ conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tuâ salute fierent, quod et factum est, egoque reniterer adhortationibus, ut rem aliquousque differrent, et potiùs quomodocunque liceret, etiam cum compressione et afflictione in aliis Ecclesiis cœtus agerent, mihi neutiquam obtemperatum est. Quin potiùs urbem egredi parati erant, ut in desertis locis, et sub dio conventus facerent, melius esse laborem itineris ferre, quàm cum luctu festum celebrare.... Cùm non ignorarem istiusmodi exempla apud patres superesse. Beatæ siquidem memoriæ Alexander, cùm alia loca angusta essent, in Ecclesia majore Theone, quam ædificabat, synaxes celebrari voluit: id enim jubebat hominum frequentia, nec in cogendo populo respexit, eam nondùm exædificatam esse. Quinimò frater tuus beatæ memoriæ in hujusmodi templo cùm Aquileiæ synaxis haberetur, ipse quoque eò se contulit. Ita nimirùm et ego quoque feci, nec tamen celebrata sunt à nobis Encænia, sed tantummodò precationum synaxis habita est.... Superest igitur, ut anticipem in quod ille dentem figere posset: objicit enim in suis calumniis, opus nondùm dedicatum fuisse: ac proindè illegitimè ibi preces conceptas.

EUSEBIUS *lib.* 10. *Hist. Ecclesiast. cap.* 3. (*sub Constantino et Licinio.*) Post hæc (scilicet post persecutiones) votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, et oratoriorum recèns structorum consecrationes.

Lib. 4. *de vitâ Constantini, cap.* 43. Ab Imperatore nuntius supervenit, qui oblatis Imperialibus litteris, Synodum hortatus est, ut nullâ interpositâ morâ omnes quamprimùm Hierosolyma properarent.... Totusque ille locus maximo Dei cœtu tandem refertus fuit, cùm ex universis provinciis insignes Episcopi Hierosolymis in unum convenissent.

Cap. 44. (Marianus) basilicam omnem Regalibus donariis magnificè exornavit.

Cap. 45. At Sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant.... Hoc modo dedicationis solemnitas.... summâ cum hilaritate celebrata est.

S. GAUDENTIUS Brixiens. Episc. *Serm.* 17. *de Dedicat. Initio.* Ut venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit: deindè, ut hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est; et hodiè, ut adepti summorum Sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Convenerunt enim sancti Antistites et Apostolici viri, ad persolvendum beatissimis patribus et præceptoribus suis debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenissimâ benedictionum spiritualium ditaremur.

S. AMBROSIUS *Epist.* 4. *aliàs* 5. *vel* 60. *ad Felicem, n.* 1. Ortus enim sermo de basilicæ, quam condidit Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermoni viam.

Epist. 22. *aliàs* 84. *aut* 54. *ad sororem suam, n.* 1. Cùm ego basilicam dedicassem; multi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sicut Romanam basilicam dedices. Respondi: Faciam, si Martyrum reliquias invenero.

N. 13. Succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi; dignum est enim ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit: sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, et dignis ædibus invehamus totumque diem fidâ devotione celebremus.

Exhortat. virginit. cap. 2. *n.* 10. Hæc sanctæ viduæ negare non potui-

dedicationem convocabantur Episcopi, qui data [illegible] concilia celebrabant. Hoc qui neget, næ is in luce meridianâ errat. Mos ille consecrandarum Ecclesiarum, nemine, quòd sciamus, instituente, nemine contradicente, obtinuit per totum orbem, ubi primùm per Imperatores et Principes facta Christianis potestas est templa ædificandi. Constat itaque ex laudato superiùs non semel S. Augustini axiomate (*Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 1. *n.* 1.), (B) morem hunc ex traditione Apostolica ad nostra usque tempora permanere.

I. Idemne dicendum de consecratione Altarium?

R. Idem prorsùs. Jam à quarto seculo per totum orbem Christianum id moris erat ut consecrarentur altaria: hujus ritûs initium ignoratur. (C)

mus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua est sancta Juliana, quæ hoc Domino templum paravit atque obtulit, quod hodiè dedicamus.

(B) S. AUGUST. *lib.* 4. *de Bapt. cap.* 24. *n.* 31. *Vide supra* §. 12. *Cap.* 7. *hujusce Sect. litt.* (H)

(C) S. GREGOR. NYSS. *Orat. in S. Christi Bapt. pag.* 801. Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est naturâ communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur, et pavimenta exornantur: sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non ampliùs ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus iisque venerantibus contrectatur.

S. AMBROS. *Epist.* 22. *ad sororem suam*, *n.* 1. *et* 13. *et lib. de Exhortat. virginit. cap.* 2. *n.* 10. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

S. HIER. *Contra Vigilant. pag.* 284. *edit. PP. BB. tom.* 4. Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria.

S. DIONYS. *seu* AUCTOR *de Eccles. Hierarchiâ*, *cap.* 4. §. 12. Hoc etiam sanctè observa, ut sacratissimorum lex illa mysteriorum purissimis unguenti sacratissimi affusionibus divini quoque altaris consecrationem perficiat. Est utique supra cœlestis ac supersubstantialis hæc divina operatio universæ divinitùs nobis præstitæ sanctificationis initium et essentia virtusque perfectiva. Etenim si Jesus, qui est altare nostrum divinissimum, divina est divinarum mentium consecratio in quo secundùm Scripturam sanctificati et mysticè in morem holocausti concremati, accessum obtinemus, supra mundanis oculis divinissimum illud altare intueamur (in quo ea quæ initianda sunt, consecrantur ac sanctificantur) ipsomet unguento divinissimo initiatum: sanctificat enim semetipsum pro nobis sanctissimus ille Jesus, nosque omni replet sanctitate, dùm ea quæ in eo geruntur per dispensationem, ad nos veluti Deo genitos, beneficè dimanant.

CODEX CANON. ECCLES. AFRIC. *ca.* 83. Item placuit, ut altaria quæ passim per agros, et per vias tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt, nullâ ibi superstitioni revinciti teneantur. Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia et per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur altaria, omnimodò subvertentur.

CO C. AGATHENSE *ann.* 506. *ca.* 15. Altaria placuit non solùm unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

I. Quibus ritibus agitur Ecclesiæ et Altaris dedicatio?

R. Ad consecrationem Ecclesiæ Pontificali Romano præcipitur prolixa quidem, sed augustissima et venerabilis series rituum. Hanc subjicimus.

Pontifex consecraturus Ecclesiam, et qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, pridiè consecrationis jejunare debent.

Vesperè ante diem consecrationis Pontifex parat SS. Martyrum reliquias in altari consecrando includendas, ponitque eas in decenti et mundo vasculo cum tribus granis thuris, et membranâ scriptâ in hunc modum :

Anno.... die.... mensis.... Ego.... Episcopus.... consecravi Ecclesiam et altare hoc in honorem sancti.... et Reliquias SS. Martyrum N. et N. in eo inclusi : et singulis Christi fidelibus hodiè unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de veră indulgentiâ, in formâ Ecclesiæ concessi.

Sigillatque Pontifex vasculum diligenter, illudque sub tentorio ante fores Ecclesiæ parato decenter collocat cum candelabris et luminaribus ardentibus.

Canitur autem nocte officium nocturnum cum matutinis laudibus ante Reliquias ibi depositas.

Pinguntur in pariete cruces duodecim, tres videlicet quantum fieri potest in quolibet ex quatuor parietibus ; et ad caput cujusque crucis applicatur unus clavus, cui affigatur cereus.

Manè Pontifex Ecclesiam ingreditur ordinaturus quæcunque ordinanda sunt ; ejusque jussu accenduntur suprà dicti cerei duodecim.

Mox Pontifex exit de Ecclesiâ, jubetque cunctos indè exire, relicto inibi uno tantùm Diacono, amictu, albâ, cingulo et stolâ albi coloris indutо ; et clauduntur omnes Ecclesiæ fores.

Tunc Pontifex, comitante Clero et populo, accedit ad tentorium ubi pridiè reliquiæ positæ sunt ; recitatque cum Clero septem Psalmos pœnitentiales, interimque vestibus sacris induitur.

Recitatis Psalmis, redit Pontifex cum Ministris ante fores Ecclesiæ consecrandæ ; et implorato sanctissimæ Trinitatis auxilio in genua procumbit ; canunturque interim Sanctorum Litaniæ.

Quibus absolutis, aquam et sal benedicit more solito Pontifex, et aquâ benedictâ aspergit se et Clerum et populum, quibus comitantibus circuit Ecclesiam, ejusque parietes in superiori eorum parte et cœmeterium aspergit, dicens ad singulas aspersiones. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* (*Pontif. Rom. in consecr. Eccles.*) « Canitur interea » responsorium. Expletoque circuitu, ad fores Ecclesiæ » reversus orat Dominum, ut ipso protegente nulla ibi ne» quitia contrariæ potestatis obsistat ; sed servitute sancti » Spiritûs operante, ibi purè et liberè semper Domino ser» viatur. »

Quo dicto, Pontifex acceptis mitra et baculo pastorali, accedit ad ostium Ecclesiæ, percutitque illud semel cum baculo, dicens: *Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ.* (*Ps.* XXIII. 7.

Diaconus in Ecclesiâ residuus respondet, *Quis est iste Rex gloriæ?* Tùm Pontifex, *Dominus*, inquit, *fortis et potens, Dominus fortis in prælio.* (*Ibid.* 8.)

Quo dicto, fores non aperiuntur. Itaque Pontifex circuit iterùm Ecclesiam, ut priùs aspergendo parietes juxta fundamentum ipsorum et cœmeterium his verbis, *In nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti:* caniturque interea responsorium. Et reversus post circuitum ad fores Ecclesiæ, orat Dominum, ut fideles ibi congregandos indissolubili vinculo charitatis conjungat, sub regimine Pastoris illis præpositi.

Deindè percutit iterùm ostium iisdem verbis usus, *Attollite portas, etc.* Respondet Diaconus ut priùs, *Quis est iste Rex gloriæ?* Iterùm Episcopus, *Dominus fortis et potens, etc.* Non aperitur ostium.

Pontifex itaque circuit Ecclesiam tertiò, et parietes in mediâ parte eorum cœmeteriumque aspergit ut priùs; reversusque ad ostium Ecclesiæ orat in hunc modum: (*In Pont. Rom.*)

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè perfectèque ab iis agitur, à te fieri credatur; quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visituri sumus visites, quidquid benedicturi sumus benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introïtum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per.

Postea ostium Ecclesiæ percutiens tertiò baculo pastorali, dicit, *Attollite portas, etc.* Respondet Diaconus, *Quis est iste Rex gloriæ?* Pontifex et universus Clerus inquiunt, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (*Ps.* XXIII. 10.), adjicientes, *Aperite, Aperite, Aperite.*

Quo dicto, Pontifex signat signo crucis limen ostii, dicens: *Ecce crucis † signum, fugiant phantasmata cuncta.*

Apertoque statim ostio, intrat in Ecclesiam solus cum Ministris, Cantoribus, et cæmentariis ad collocandum et liniendum lapidem super sepulcrum Reliquiarum, cæteris de Clero et populo extrà fores Ecclesiæ remanentibus. Et clauditur ostium.

Ingressus autem Ecclesiam Pontifex ait, *Pax huic Domui.* Idem precantur omnes circumstantes.

Canitur antiphona, quâ dicitur salutem factam domui Zachæi Christo in eam ingresso.

Dum canitur antiphona, Pontifex procedit ad medium Ecclesiæ, flexisque ibi genibus inchoat, Cantorum scholâ prosequente, hymnum *Veni creator Spiritus.*

Interim unus ex Ministris spargit cinerem per pavimen-

tum Ecclesiæ in modum crucis, faciendo ex eo lineas duas transversas, unam ab angulo dextro Ecclesiæ juxta ostium usque ad caput Ecclesiæ, alteram ex transverso ab angulo sinistro ad caput alterum Ecclesiæ.

Finito hymno, canuntur Litaniæ Sanctorum. Postquàm autem dictum est, *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos*, surgit Pontifex, et accepto baculo pastorali dicit: (*In Pontif. Rom.*)

Ut locum istum visitare digneris. ℣. *Te rogamus audi nos.*

Ut in eo Angelorum custodiam deputare digneris. ℣. *Te rogamus audi nos.*

Ut Ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum, et nomen sancti N. consecranda bene†dicere digneris. ℣. *Te rogamus audi nos.*

Ut Ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda benedicere † et sanctificare † digneris. ℣. *Te rogamus audi nos.*

Ut Ecclesiam et altare hoc ad honorem tuum et nomen sancti N. consecranda, bene†dicere, sancti†ficare et conse†crare digneris. ℣. *Te rogamus audi nos.*

Finitis Litaniis, Pontifex orationibus duabus auxilium divinum implorat. Tùm canitur canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Israël* (*Luc.* I. 68. *et seq.*), cum antiphona. Cùm autem canitur hoc canticum, Pontifex super cineres cum baculo pastorali scribit in lineâ unâ alphabetum Græcum, et in alterâ Latinum.

Quo facto, accedit ad majus altare consecrandum, flexisque genibus dicit, *Deus in adjutorium meum intende* (*Ps.* LXIX. 2.); Ministri respondent, *Domine ad adjuvandum me festina:* Pontifex, *Gloria Patri;* Ministri, *Sicut erat, etc.* Quod iterùm et tertiò fit.

Tùm benedixit aquam, miscetque cum sale cinere et vino, præmissis singulorum benedictionibus.

Post hujus aquæ benedictionem, accedit ad ostium Ecclesiæ, et signum crucis cum baculo pastorali facit in parte superiori et in parte inferiori ostii intrinsecùs, oratque ut hanc domum ingredientibus sit pax, liberatio à malis omnibus, et omne genus benedictionis.

Posteà reversus ad locum ubi aquam cum sale cinere et vino benedixit, procedit ad consecrationem altaris, vel altarium, si plura sint consecranda.

Inchoat antiphonam, *Introïbo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* (*Ps.* XLII. 4.); quæ tota canitur post singulos versus Psalmi XLII. *Judica me Deus*, undè sumpta est.

Dùm autem hæc canuntur, Pontifex cum pollice dextræ manûs intinc'o aquâ mox benedictâ crucem imprimit in medio et in quatuor angulis altaris, ad singulas crucis impressiones dicens, *Sanctificetur † hoc altare in honorem Dei omnipotentis, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanc-*

torum, et ad nomen et memoriam sancti N. in nomine Patris, † et Filii, et Spiritûs sancti. Amen. Oratione fusiori orat postea, ut hoc altare Deus sanctificet. Tùm aspergit septies altare per circuitum aquâ eadem, utiturque aspersorio de herba hyssopi facto. Interimque canitur antiphona, *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor*, cum Psalmo L. *Miserere*, undè sumpta est.

Posteà ter circuit interiùs Ecclesiæ parietes, eosque aspergit, in primo quidem circuitu versùs partem eorum inferiorem; in altero circuitu versùs medium; et in tertio circuitu versùs eorum partem superiorem. Interea canitur Psalmus CXXI. pars Psalmi LXVII. et Psalmus XC. Peractâ trina illâ aspersione, aspergit eâdem aquâ totum Ecclesiæ pavimentum per circuitum Ecclesiæ; et positus tandem in medio Ecclesiæ, idem pavimentum aspergit versùs Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Meridiem. Tres postea recitat orationes, quibus Ecclesiam benedicit, oratque Deum ut propitius sit omnibus ad eam orationis causa accessuris.

Post benedictionem Ecclesiæ, procedit ad altare, ibique aquâ prædictâ mixta cum calce et sabulo facit cœmentum ad condendas in altari Sanctorum reliquias, illudque benedicit.

Posteà procedit Pontifex cum cruce et Clero ad tentorium, in quo sacræ Reliquiæ pridie depositæ sunt, ut eas ad Ecclesiam introducat; interimque inter eundum et redeundum canuntur antiphonæ in laudem sanctorum Martyrum.

Cùm ad fores Ecclesiæ a tentorio perventum est, relicta ibi schola Cantorum, Pontifex præcedentibus ipsum duobus Ceroferariis, cruce, Thuriferario et Sacerdotibus sacras reliquias portantibus, circuit exterius Ecclesiam cum Reliquiis, populo sequente et clamante, *Kyrie eleison.*

Reversus ad fores Ecclesiæ Pontifex, sedens cum mitrâ brevi sermone populum alloquens, exponit quanta debeatur templis Deo dicatis reverentia; monet deindè solvendas esse religiosè decimas. Tùm per Archidiaconum jussi Episcopi leguntur decreta duo Concilii Tridentini, unum contra invasores bonorum Ecclesiasticorum, alterum contra non solventes decimas. Tandem Fundatorem Ecclesiæ dedicandæ alloquitur Pontifex, eumque interrogat quos rectores Ministrorum hujus Ecclesiæ sustentationi destinaverit, declaratque quæ sint privilegia Fundatoribus in perennem accepti beneficii memoriam ab Ecclesiâ concessa. Respondet Fundator quod voluerit: respondet pariter populus se monitis Episcopi obtemperaturum. Jubet deindè Episcopus fieri orationes ad Deum pro eo qui Ecclesiam construxit et dotavit, redditque eum participem bonorum omnium quæ ibi facienda sunt.

Quo facto, schola Cantorum canit responsorium, post

cujus finem Pontifex, dictâ oratione quâ petit ut Deus ipse domum sibi dedicatum ingrediatur, sacro chrismate inungit in modum crucis ostium Ecclesiæ dicens (*Ex Pontif. Rom.*), *In nomine Patris † et Filii † et Spiritûs † sancti, porta sis benedicta, sanctificata, consecrata, consignata, et Domino Deo commendata : Porta sis introitus salutis et pacis : Porta sis ostium pacificum per eum qui se ostium appellavit* (*Joan.* X. 7. *et* 9.) *Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum.* R. *Amen.*

Quo facto, impositâ antiphonâ in honorem Sanctorum, fit processio solemnis cum reliquiis Sanctorum per circuitum interiorem Ecclesiæ. Et ubi ad altare perventum est, deponuntur juxta illud Reliquiæ, canunturque Psalmi CXLIX. et CL. cum antiphonâ : dictâque oratione ad benedictionem et consecrationem sepulcri Reliquiarum, illud Pontifex in quatuor angulis inungit sacro chrismate, ad singulas unctiones dicens, *Conse†cretur, et sancti†ficetur hoc sepulcrum. In nomine Patris † et Filii † et Spiritûs † sancti. Pax huic domui.* Deindè ponit in sepulcro vasculum Reliquiarum pridiè consignatum, positumque thurificat.

Postcà lapidem, quo claudendum est sepulcrum, sacro chrismate inungit interiùs, dicens, *consecretur † et sanctificetur † hæc tabula* (vel, *his lapis*) *per istam unctionem et Dei benedictionem. In nomine Patris, etc.* Moxque lapidem oblîtum priùs à se cæmento ponit super sepulcrum : dictâque oratione in honorem Sanctorum quorum ibi reliquiæ conditæ sunt, firmat cæmento tabellam cum sepulcro, adjuvantibus cæmentariis. Quo facto, chrismate tabulam exteriùs inungit in modum crucis, dicens, *signetur † et sanctificetur † hoc altare. In nomine Patris, etc.*

Benedictoque incenso inchoat antiphonam, *Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua : et data sunt ei incensa multa ; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.* (*Apoc.* VIII. 3. *et* 4.) Dùm autem antiphonam hanc chorus canendo prosequitur, Pontifex thurificat altare undique ad dextrum latus et sinistrum, antè et desuper, donec antiphona finita sit : quâ absolutâ, recitat orationem sequentem : (*Ex Pontif. Rom.*)

« Dirigatur oratio nostra, quæsumus Domine, sicut incensum in conspectu tuo, et copiosa beneficia Christianus populus assequatur ; ut quicunque tibi in hoc altari » sacranda libamina devotus obtulerit, et vitæ subsidia præsentis accipiat, et remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, et gratiam sempiternæ redemptionis » percipiat. Per. »

Post hæc abstergitur altaris mensa à Ministris, moxque Pontifex illam in medio et in quatuor ejus angulis thurificat : benedictoque rursùs thure, tradit thuribulum Sacerdoti,

qui continuè altare circuit thurificando, donec proficiatur altaris consecratio, nisi quando illud Pontifex ipse thurificat.

Tùm Pontifex inchoat responsorium sequens (*Ps.* CXL. 2.). *Dirigatur oratio mea sicut incensum * in conspectu tuo Domine.* ℣. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum * in conspectu tuo Domine.* Quod dùm canitur circuit ter altare Pontifex continuè thurificando.

Finità thurificatione, Pontifex inchoat antiphonam, *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper; votum vovit Domino.* (*Genes.* XXVIII. 18. *et* 20.) Quâ finità canitur Psalmus LXXXIII. *Quàm dilecta.*

Prosequente autem choro antiphonam et Psalmum, Pontifex oleo catechumenorum inungit in formam crucis quinque cruces impressas in medio et in quatuor angulis altaris, ad singulas unctiones dicens, *Sancti†ficetur et conse†cretur lapis iste: in nomine Pa†tris et Fi†lii, et Spi†ritûs sancti in honorem Dei et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi.* Deindè Pontifex circuit semel altare thurificando: interimque canit chorus responsorium, *Dirigatur*, ut priùs; dictâque oratione ad hunc ritum accommodatâ, iterùm inungit oleo catechumenorum quinque suprà dictas altaris cruces, dicens ad singulas unctiones ut priùs, *sancti†ficetur*, *etc.* interimque canitur antiphona, *Manè surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper: votum vovit Domino* (*Genes.* XXVIII. 18. *et* 20.): *verè locus iste sanctus est, et ego nesciebam* (*Ibid.* 16.), et post illam Psalmus XCI. *Bonum est confiteri Domino.*

Factâ secundâ unctione, Pontifex altare iterum circuit continuè thurificando: caniturque interea superius responsorium, *Dirigatur*, *etc.* quo dicto recitat Pontifex orationem huic unctioni convenientem.

Quâ finità inchoat antiphonam, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* (*Ps.* XLIV. 8.) Chorus prosequitur antiphonam, et post eam canit Psalmum XLIV. *Eructavit meum verbum bonum.*

Interea Pontifex sacro chrismate inungit quinque suprà dictas altaris cruces, ad singulas unctiones dicens ut priùs, *sancti†ficetur et conse†cretur*, *etc.* Circuitque semel altare ut priùs, illud thurificando continuè dùm canitur dictum responsorium, *Dirigatur*, *etc.* recitatque orationem convenientem.

Quâ dictâ Pontifex inchoat antiphonam, « Sanctificavit » Dominus tabernaculum suum, quia hæc est domus Dei, » in quâ invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et » nomen meum ibi, dicit Dominus. » (*Ps.* XLV. 5. *Deut.* XII. 1. 5. *Reg.* VIII. 29.) Choro autem antiphonam prosequente cum Psalmo XLV. *Deus noster refugium et virtus*,

Pontifex spargit de oleo catechumenorum et chrismate pariter super altare, illud manu dexterâ confricans, liniens et perungens. Quo facto, canitur Psalmus LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, cum antiphonâ.

Quibus absolutis, Pontifex dicit. (*Ex Pontif. Rom.*) « Lapidem hunc, Fratres charissimi, in quo unguentum » sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vota » et sacrificia, oremus ut Dominus noster benedicat et con» secret, et quod est unctum à nobis sit unctum in nomine » ejus : ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctio» nem perfecto, dùm propitiationem sacrorum imponimus, » ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Chris» tum Dominum nostrum. »

Quo dicto, inchoant antiphonam, *Lapides pretiosi omnes muri tui, et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur.* Antiphonam chorus prosequitur cum Psalmo CXLVII. *Lauda Jerusalem Dominum*, et responsoriis duobus in honorem cælestis Jerusalem : quo innuitur omnes ferè ritus illos esse mysticos. Dùm autem hæc canuntur Pontifex sacro chrismate inunxit cruces duodecim per circuitum Ecclesiæ in parietibus pictas, ad singulas unctiones dicens (*ubi suprà*), *sancti†ficetur et consecretur † hoc templum. In nomine Pa†tris et Fili† † et Spiri†tûs sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam sancti N. Pax tibi :* et perunctam quamlibet crucem thurificat triplici ductu thuribuli.

Quibus peractis, ad altare revertitur, et thurificans inchoat antiphonam, *Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta; et immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.* Quâ finitâ dicit : (*Ex Pontif. Rom.*)

Dei Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus, fratres charissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti bene†dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctæ devotionis impositas bene†dicere et sancti†ficare dignetur, et spirituali placatus incenso precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per.

Deindè ex thure benedicto priùs et asperso aquâ lustrali format Pontifex quinque cruces, singulas de quinque granis thuris; formatasque imponit quinque crucibus sculptis in altari, oleoque et sacro chrismate inunctis : singulis autem crucibus ex thure factis adjungit unam crucem ejusdem mensuræ factam ex cereis minutulis, ut apposito lumine cerei simul cum thure ardeant et concrementur. His ita dispositis, accenduntur quinque cerei facti in modum crucis, et thuri appositi. Quibus accensis, Episcopus flexis genibus Spiritum sanctum advocat, canunturque antiphonæ duæ; quibus finitis, recitat Episcopus orationem

huic ritui convenientem : interim cerei cum thure concremantur.

Combustis crucibus ex cerâ et thure factis, cineres hujus combustionis abraduntur, et projiciuntur à Ministris in sacrarium. Pontifex autem conversus ad altare recitat interim orationem sequentem : (*Ex Pontif. Rom.*)

Deus omnipotens, in cujus honorem, ac beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, ac nomen et memoriam sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi; et præsta, ut in hâc mensâ sint libamina tibi accepta, sint pinguia, et sancti Spiritûs tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per.

Postea dicit præfationem, quâ Dominum orat, *ut templum hoc et altare benedicere, et sanctificare, et hostias super hoc imponendas proprio ore benedicere, et benedictas suscipere dignetur, ut participatione earum vita acquiratur æterna.*

Præfatione finitâ, Pontifex inchoat antiphonam, *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis à templo sancto tuo quod est in Jerusalem.* (*Ps.* LXVII. 29. *et* 30.) Posteà canitur Psalmus LXVII. *Exsurgat Deus.* Dùm autem hæc canuntur, Pontifex chrismate inungit in modum crucis frontem altaris; et finito cantu, recitat orationem huic unctioni convenientem. Deindè chrismate inungit in quatuor altaris angulis conjunctiones tabulæ altaris cum stipite, ad singulas cruces dicens, *In nomine Pa†tris et Fi†lii et Spi†ritûs sancti;* recitatque orationem his unctionibus convenientem.

Post hæc Subdiaconi absterguntur altare, et interim Pontifex lotis manibus benedicit linteamina nova et munda, vasaque et ornamenta ad cultum Ecclesiæ et altaris mox consecratorum; et post benedictionem aspergit aquâ lustrali.

Quibus benedictis, Ministri vestiunt altare; interimque Pontifex lavat manus, chorus autem cantant antiphonas et responsoria convenientia. Psalmumque LXII. *Deus, Deus meus :* quibus finitis, Pontifex inchoat scholâ prosequente antiphonam, *Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi, Psalmum dicat nomini tuo Domine* (*Ps.* LXV. 4.) : totumque ritum hujus consecrationis absolvit duabus orationibus sequentibus : (*Ex Pontif. Rom.*)

Descendat quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui et dona nostra et populi tui in eo sanctificet; et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum cœlestis virtutis benedictione sancti†fica, et omnibus in te sperantibus auxilii tui manus ostende; ut hic Sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per, etc. Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.

Peractâ Dedicatione, Pontifex Missam ritu Pontificali solemniter celebrat, vel si nimis fatigatus celebrare noluerit, jubet eam ab aliquo Presbytero coram se solemniter celebrari.

§. 8. Explicantur præcipui ritus consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris.

I. Cur tot Ecclesia preces fundit, cur tam multiplicem adhibet rituum apparatum, ad templi consecrationem?

R. Ut intelligamus ex hoc mystico et laborioso variorum rituum apparatu, Christum non sine magnis laboribus et sudoribus pervenisse ad dedicationem templi spiritualis, cujus ipse est architectus, fundamentum, lapis angularis, et consecrator. Rem explico.

Templa quæ per Episcopos dedicantur, sunt ut jam diximus (*Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 25.), figura et typus ædificiorum spiritualium. *Vos estis*, inquit Apostolus (*Ephes.* II. 20. *et seq.*), *superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*: 22. *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*: 22. *in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

Hanc Apostoli allegoriam Ecclesia secuta, voluit ritibus ex parte mysticis fieri templorum dedicationem, ut his significaretur templorum spiritualium dedicatio.

Dico, *ex parte mysticis*: neque enim quidquid agitur in tam multiplici rituum apparatu, mysticum est. Multæ sunt preces et cæremoniæ adhibitæ ad templi materialis sine mysticâ significatione consecrationem, ut fit in cæteris ferè omnibus quæ ad Dei cultum destinata benedicuntur et consecrantur. Ex ritibus autem in Ecclesiæ dedicationem adhibitis, quidam explanatione non indigent, eorum enim ratio cernentibus et legentibus statim occurrit et plana est. Eos ergo solùm explanare necesse est, qui vel magni momenti sunt, vel aliquid habent obscuritatis; quorum proindè rationem et intelligentiam assequi difficilius est.

I. Cur Episcopus Ecclesiam dedicaturus, et populus cujus in usum Ecclesia dedicanda est, pridiè dedicationis jejunare tenentur?

R. Jejunium hoc præcipit Ecclesia pluribus ex causis, iisque gravibus.

1° Quia nihil agit Ecclesia, quod magni sit momenti, sine prævio jejunio, ut patet ex Episcoporum, Presbyterorum, et Ministrorum Ordinatione.

2° Quia quemadmodum in veteri Testamento solemnitas dedicationis tabernaculi, et templi, ex institutione divinâ, inter maximas habebatur; ita et in novo Testamento templorum dedicatio solemnitas est maxima ex instituto Ecclesiæ. At pridiè maximarum solemnitatum jejunari mos est, ut norunt omnes, et quidem ex traditione Apostolicâ.

3° Accedit et mystica ratio, quam alibi exposuimus (*hujusce Operis Parte* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 6. §. 3.), ubi egimus de jejunio vigiliarum, quod quinto Ecclesiæ præcepto sancitum est. Nimirùm, ut omnes intelligant, non nisi per magnos labores et mentis corporisque jejunia perveniri ad solemnitatem dedicationis templi spiritualis, quod nos sumus. Templum hoc jam nunc laboriosè ædificatur; in cœlo exsultantibus animis dedicabitur: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* (*Ps.* XXIX. 6.)

I. Cur Sanctorum reliquiæ, sub altari consecrando includendæ, pridie collocantur sub tentorio juxta Ecclesiam præparato?

R. Ut indè faciliùs afferantur in templum, sub altari non priùs reponendæ quàm Ecclesia consecrata sit.

Addo rationem hujus ritûs mysticam. Quæ ut intelligatur,

Adverte 1° Altare, ut jam diximus (*hujusce Sect. Cap.* 7. §. 16.), esse typum et figuram Christi, juxta id quod dicitur in Apocalypsi, *Vidi subtùs altare animas interfectorum propter verbum.* (*Apoc.* VI. 9.) Sanctorum ergo reliquiæ sub altari conduntur, ut intelligas Sanctos cum Christo regnantes, esse Christo veluti incorporatos: juxta illud Apostoli, *Omnia detrimentum feci „..... ut Christum lucrifaciam, et INVENIAR in illo.* (*Philip.* III. 9.)

Adverte 2° quod ait Apostolus (*Hebr.* XIII. 14.), *Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, interimque sumus *advenæ et peregrini* (1. *Petr.* II. 11.); et *qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: volumusque ut absorbeatur quod mortale est à vitâ.* (2. *Cor.* V. 4.) Sancti ergo qui cum Christo jam in cœlis regnant, vixerunt ut peregrini, quasi in tentoriis habitantes; et sic meruerunt Christo incorporari. Nec aliâ ratione fieri potest, ut in Christo inveniamur inserti et absconditi: et *absorbeatur* in nobis *quod mortale est à vitâ.*

I. Quid mysterii exhibetur crucibus duodecim in parietibus Ecclesiæ pictis, et cereis duodecim juxta illas cruces affixis et accensis?

R. Cereis duodecim accensis juxta cruces totidem in parietibus depictas, nobis exhibentur duodecim Apostoli, quos Christus appellat lucem mundi, quique lumen Evangelicum intulerunt per totum orbem. *In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Ps.* XVIII. 5.) His præeuntibus et prædicantibus congregati sunt undique lapides, ex quibus coalescit et ædificatur Ecclesia, civitas illa cœlestis, quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus. *Muras hujus civitatis*, inquit Joannes Apostolus in Apocalypsi, *habet fundamenta duodecim Apostolorum agni.* (*Apoc.* XXI. 14.)

I. Cur cerei illi accenduntur antequàm incipiatur dedicationis ritus?

R. Ut intelligamus missos priùs à Christo Apostolos fuisse, et lumen Evangelicum per totum orbem sparsisse, quam cœlestis illa Jerusalem in cœlo dedicaretur.

I. Cur Episcopus ter aspergit aquâ benedictâ parietes Ecclesiæ, primùm exteriùs, ac deindè interiùs?

R. Ut eos mundet, purificet, et ab omni dæmonum incursione servet immunes, et procul abscedant universæ insidiæ latentis inimici. Hæc ergo aspersio aquæ species quædam est exorcismi, cujus rationem tradidimus suprà, ubi de exorcismis. (*Hujus Cap.* §. 1.)

Hoc liquidò patet ex oratione quam fundit Episcopus post aspersionem, in quâ leguntur verba hæc: *Omnipotens sempiterne Deus.... hujus domûs, cujus es fundator, esto protector; nulla hîc nequitia contrariæ potestatis obsistat; sed virtute Spiritûs sancti operante, fiat hîc semper parum servitium, et devota libertas.*

I. Cur post quamlibet omnium parietum aspersionem Episcopus percutit ostium templi, illudque aperiri postulat, nec tamen ostium aperitur nisi post iteratam tertiò aspersionem?

R. Ut intelligamus non sine contradictione, sine vi, et variâ pugnâ pulsum fuisse ab atrio suo diabolum, quem Christus vocat fortem armatum. (*Luc.* XI. 21.) Obtinebat ille imperium in terram universam, hunc Christus expugnavit, debellavit, et spoliavit imperio suo. *Exspolians principatus et potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso*, inquit Apostolus. (*Coloss.* II. 15.)

Hoc certum est illo ritu significari; postquàm enim ostium templi apertum est, mox Episcopus crucem faciens cum baculo pastorali in limine templi ait:

Ecce crucis signum, fugiant phantasmata cuncta.

I. Primo illo Pontificis ingressu in templum si quid mysterii significatur, exponas velim.

R. Primus ille Pontificis in templum dedicandum ingressus typus est ascensionis Christi in cœlum, quando debellatas aërias *potestates traduxit confidenter et palàm triumphans illos in semetipso*, cœlum victor ingressus est, incepturus templi cœlestis dedicationem.

I. Cur Pontifex templum et altare dedicaturus, templum cum Ministris solus ingreditur, relictis extra Ecclesiam cæteris de Clero et populo: nec tamen priùs perficit dedicationem, quam totus Clerus et populus ingressus sit?

R. Id ità fieri convenit, ut ritus dedicationis liberiùs et facilìùs peragatur: nam spatium vacuum esse necesse est; ut scribantur in pavimento alphabeta de quibus infrà; item ut parietes interiùs aspergantur aquâ lustrali, et cruces duodecim in illis depictæ inungantur: quod fieri vix aut nullatenùs posset, si populus, cujus maximus in ejusmodi solemnitate concursus est, urgeret undique et premeret.

His autem peractis, Pontifex procedit ad locum in quo Sanctorum reliquiæ repositæ sunt, illasque sub altari condendas solemniter in Ecclesiam transfert comitante universo populo, quo adstante dedicationis ritum perficit; quia tunc populi concursus et frequentia nullo impedimento est quominùs dedicatio perficiatur.

Accedit et mystica ratio, et quidem illa magna ponderis. Pontifex Ecclesiam dedicans, Christi spiritualem Ecclesiam in cœlo dedicantis, ut sæpiùs diximus, typum gerit. Christus autem incepturus dedicationem in cœlo spiritualis Ecclesiæ, quæ vivis ex lapidibus coalescit, cœlum ingressus est primùm cum minimâ parte electorum qui in templum cœleste sunt introducendi ad solemnitatem dedicationis, et iterùm venturus est cum glorià judicare vivos et mortuos (*Matth.* XXIV. 31.): tuncque congregabit è quatuor ventis electos omnes lapides vivos, quos secum introducet ante faciem Patris, acturus cum illis æternam dedicationis templi solemnitatem.

I. Cur Episcopus scribit cum baculo pastorali super sparsos in pavimento templi cineres alphabetum Græcum et Latinum in modum crucis, dùm canitur canticum, *Benedictus?*

Quarumdam Ecclesiarum mos erat antiquitùs, ut et Hebræum alphabetum scriberet Episcopus. Id autem fit: ut intelligamus, omnes omninò populos et linguâ et moribus et religione dissimiles, in Ecclesiam fuisse per virtutem crucis Christi congregatos: cujus rei grates Deo rependuntur per canticum, *Benedictus*. Hoc enim cantico gratiæ aguntur Deo de beneficio incarnationis Christi, quo *fecit Deus redemptionem plebis suæ* (*Luc.* I. 60.), mittens Filium suum, qui in assumptâ humanitate reconciliaturus erat homines Deo per crucem, eosque undique congregaturus ad templi cœlestis dedicationem.

Si qua fortè alia ratio ritûs ejus habeatur, eam ignorare me fateor.

D. Claudius de Vert Monasterii Cluniacensis Thesaurarius, vir in ritibus Ecclesiasticis, dùm viveret, haud mediocriter versatus, et mihi amicitiâ conjunctissimus, ritum hunc, non secùs ac cæteros Ecclesiæ ritus, censuit nihil mysterii continere (*In exposit. Rituum Ecclesiæ tom.* 2. *p.* 56. *et* 65.); sed ait, « sumptâ occasione Psalmi LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, in cujus versu 6. leguntur » hæc verba, *Dominus narrabit in scripturis populorum et* » *principum, etc.* Ecclesiarum Præsules facilè adductos fuisse » ut scriberent cum baculo pastorali alphabetum Græcè et » Hebraïcè quibusdam in Ecclesiis. Canebatur enim primitùs » non canticum *Benedictus* dùm scriberet Episcopus alpha » beta, sed Psalmus *Fundamenta ejus, etc.* cum antiphonâ, » *Fundamentum aliud nemo potest ponere, etc.* » (1. *Cor.* III. 11.) Hæc ille.

Sed pace bonæ memoriæ viri dixerim, longe verisimilius videtur occasione alphabeti scribendi, selectum fuisse Psalmum *Fundamenta*, qui interim caneretur, quàm occasione cantûs hujus Psalmi, introductam fuisse alphabeti scriptionem. Est enim Psalmus ille prophetia Ecclesiæ, cujus in sinum congregandi erant ex omni tribu et linguâ populi, quod alphabeti scripturâ ad oculum exhibetur. Et certè dùm scriberetur alphabetum Græcè, Hebraïcè, et Latinè, non solùm canebatur Psalmus *Fundamenta*, sed et Psalmus *Magnus Dominus et laudabilis nimis* (*Ps.* XLVII.), qui et ipse prophetia est congregandi in Ecclesiam ex omni gente, tribu, et linguâ populi. Hinc constat ritum hunc institutione suâ fuisse omninò mysticum : quod quidem facilè intelliget quisquis advertet plures alios ritus, in Ecclesiæ dedicatione non aliam habere rationem quàm mysticam, alioqui nullo rationabili modo explicandos.

I. Cur benedicit Episcopus aquam, vinum, sal, et cinerem, miscetque simul, ut his aspergat altare et muros Ecclesiæ ?

R. Aqua hæc Gregoriana dicitur, quia hanc sic benedicendam et miscendam in aspersionem templorum dedicandorum instituit S. Gregorius Magnus sexto seculo ; et quidem ob mysticam hanc rationem.

Aqua symbolum est humanitatis Christi, vinum divinitatis, ut patet ex oratione liturgicâ quæ nunc recitatur dùm vinum aquâ miscet Sacerdos in calice, *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem, etc.* Cinis symbolum mortis est ; quia in cinerem cadavera resolvuntur. Sal symbolum est incorruptionis ; sale enim condita corpora à corruptione servantur. Aqua ergo mixta cum vino, cinere et sale, symbolum exhibent Christi Dei et hominis, mortui et ressuscitati : non nisi per hunc ita mundamur à sordibus et abluimur, ut templum Dei fieri mereamur.

I. Quam ob causam sculptæ sunt in altaris tabulâ cruces quinque, quas Pontifex in modum crucis abluit aquâ illâ benedictâ, ac deindè oleo catechumenorum, demùmque sacro chrismate inungit ?

R. Hic ferè ritus est consecrationis rerum omnium quæ ab Ecclesiâ consecrantur, ut abluantur primùm aquâ benedictâ, dein inungatur oleo, tùm sacro chrismate perliniantur. Hoc ritu nos abluimur in Baptismo, dein inungimur sacro catechumenorum oleo, denique chrismamur, ut Conciliorum verbis utar, in vertice et in fronte. Hàc quoque ratione consecrantur Pontifices et Reges, ritu ex veteri lege sumpto. Ad hunc modum sicut in Veteri Testamento templum et altare dedicata fuerunt ablutione et unctione sacri olei : ita et in novo templa et altaria asperguntur primùm aquâ benedictâ, deindè sacro oleo et chrismate consecrantur et dedicantur. Addo rationem mysticam.

Altare, ut sæpiùs diximus (*hujus Sect. Cap.* 7. §. 16. *et suprà hocce* §.), typus est Christi : quinque cruces in quatuor angulis et in medio altaris sculptæ, quinque plagas exhibent, quibus Christi corpus in cruce transfixum est. Inungitur altare aquâ, oleo et chrismate, ut Christum significaniùs exprimat. Aqua illa Gregoriana Christi symbolum est, Dei et hominis, qui fuit mortuus et vivit. Oleum et chrisma quibus et cruces liniuntur et totum altare perungitur, symbolum sunt unctionis Spiritus sancti, quâ Christus perunctus est, undè Christi nomen per ἀντονομασιαν Salvatori datum.

I. Dùm Episcopus circuit exteriùs Ecclesiam cum Presbyteris sacras reliquias portantibus, cur populus insequens clamat continuò, *Kyrie eleison* ?

R. Ut intelligamus insequenda nobis esse Sanctorum vestigia sub duce Christo, cujus vices gerit in terris Pontifex (2. *Cor.* V. 20.), qui pro Christo legatione fungens, dicere gestis suis debet, *Tantam habentes nubem testium imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* (*Hebr.* XII. 1. 1. *Cor.* XI. 1.) Sanctorum ergo sub duce Christo vestigiis insistentes perveniemus ad patriam, introducendi ad dedicationem cœlestis Ecclesiæ. Interim autem dùm hic vivimus, *clamamus in cœlum* (1. *Malach.* II. 10.), *ut* Christi, quem sequimur, meritis, et Sanctorum, quos imitari conamur, precibus placatus, *misereatur nostri Deus noster*, et ad patriam perducat. *Gratia* enim *Dei, vita æterna.* (*Rom.* VI. 13.)

I. Dùm Episcopus circuit interiùs Ecclesiam, Presbyteris sacras reliquias portantibus, comitante Clero, et populo subsequente, cur canitur canticum laudis et lætitiæ in honorem Sanctorum cum Christo regnantium ?

R. Hoc cantico exhibetur futura Sanctorum omnium lætitia, cùm ad perficiendam templi cœlestis dedicationem, omnes electos suos undique congregatos introducet Christus *in templum regis* (*Ps.* XLIV. 16.), secum in æternum regnaturos. Quæ quidem lætitia mirum in modum exprimitur Psalmo CXLIX. qui tunc canitur, et antiphonâ ex eo sumptâ : *Cantate Domino canticum novum : laus ejus in Ecclesiâ Sanctorum*, etc. (CXLIX. 1.) *Exsultabunt sancti in gloriâ : lætabuntur in cubilibus suis, etc.* (*Ibid.* 5.)

I. Cur Episcopus sacras reliquias ita condit sub altari, ut deinceps non subjiciantur oculis ?

R. Ut intelligamus Sanctos cum Christo regnantes unum cum ipso corpus efficere, ejusque sic absorberi lumine, ut soliùs Christi fulgentis splendor emicet.

I. Cur unus ex Presbyteris adstantibus altare jugiter thurificando circuit, donec perficiatur dedicatio ?

R. Hoc ritu mystico nobis exhibetur et ponitur ob oculos, quod agit *Ecclesia primitivorum qui conscripti sunt in cœlis* (*Hebr.* XII. 23.), donec compleatur numerus electorum,

qui congregandi sunt ad dedicationem templi cœlestis, et compleatur illa dedicatio. *Ascendit* continuò circum altare, quod est in conspectu Dei (*Apocal.* VIII. 4.), *fumus* aromatum *de manu Angeli;* item de manibus quatuor animalium et viginti quatuor seniorum, id est, Sanctorum omnium qui *habent singuli phialas aureas plenas odoramentorum.* (*Ibid.* v. 8.) Hæc autem odoramenta *sunt orationes Sanctorum*, ut dicitur in Apocalypsi.

I. Cur sub finem consecrationis altaris, Pontifex componit quinque grana thuris cum uno cereo minutulo super singulas cruces in altari sculptas, ut apposito lumine cerei simul cum thure ardeant et omninò concrementur?

R. Ritûs hujus ratio per se patet ex subjunctis precibus quas recitat Pontifex, dùm cerei cum thure concremantur.

Statim atque lumen appositum est cereis, Pontifex flexis genibus intonat choro prosequente, *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in nobis ignem accende.*

Deindè sequentem antiphonam stans inchoat, *Ascendet fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* (*Apocal.* VIII. 4.)

Tùm sequentem quoque, *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.*

Quibus expletis recitat orationem sequentem: (*Ex Pontif. Rom.*)

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi: et respice ad hujus altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probatur, sed infusum sancti Spiritûs tui gratiâ, in odorem suavitatis ascendat, et legitimè sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, ad vitamque proficiat sempiternam.

Sacerdos *Angelus Domini exercituum est*, ut scribit Malachias Propheta (II. 7.): hoc ergo ritu facit in typo Episcopus quod Angeli stantes ante thronum Dei faciunt, ut patet ex antiphonis et precibus huic ritui accommodatis.

I. Cur Ecclesia et altare non in honorem Dei solùm, sed et in honorem S. Mariæ Virginis cæterorumque Sanctorum consecrantur et dedicantur?

R. Ut intelligamus B. Mariam Virginem Deiparam, Sanctosque omnes sic esse Christo, et per Christum Sanctissimæ Trinitati, cohærentes, ut unum quid cum Christo sanctissimâque Trinitate efficiant; juxta illud Christi in Evangelio: *Rogo ut illi in nobis unum sint, sicut et nos unum sumus.* (*Joan.* XVII. 21.) Honor ergo et cultus Deo exhibitus, in B. Virginem et Sanctos redundat, et quæcunque in Dei et Christi gloriam et honorem fiunt, in Sanctorum quoque gloriam et honorem fieri necesse est.

I. Cur singula templa et altaria sub nomine Sancti alicujûs consecrantur?

R. 1° Ut suo quoque nomine distinguantur et designentur?

2° Ut fideles populi, quibus consecrantur Ecclesiæ et altaria, Sanctos illos veluti patronos et protectores specialiùs invocent et colant.

I. Cur totus consecrationis ritus sacrosancti Missæ sacrificii celebratione peragitur?

R. Ut hoc veluti complemento cumulus accedat dedicationi, et augustissimi Sacrificio oblationis, altaris huic Sacrificio destinati consecratio perficiatur: Quemadmodùm in veteri lege templi et altaris dedicatio, hostiarum oblatione consummata est. Addo rationem mysticam.

Cùm Christus consummaverit in cœlo dedicationem templi spiritualis, cujus ipse est architectus, nos lapides vivi; quæ quidem dedicatio non perficietur nisi post corporum resurrectionem futurumque judicium; tunc hæc una erit occupatio vivæ illius Ecclesiæ, ut consecrationem et dedicationem suam in æternum cum Christo celebret, offerat atque se jugiter Deo per Christum, offerat Christum, offeratur ipsa in Christo et per Christum Deo, effusa in amorem, adorationem, gratiarum actionem, benedictionem sempiternam. Hoc ipsum inchoat, hoc agit Ecclesia militans, offerendo Missæ sacrificium in templis manufactis, ubi primùm est eorum perfecta dedicatio, typus dedicationis æternæ. Nam, ut diximus, et fusè exposuimus (*hujusce Sect. Cap.* 7. §. 9. *et* 20.), Missa totius Ecclesiæ Sacrificium est; Sacrificium, inquam, Christi capitis et membrorum, qui et Christum offerunt, et offerunt se, et offeruntur in Christo et per Christum Deo, ut exhibeant supremo Numini debitos honores, adorationem, laudem, gratiarum actionem, benedictionem sempiternam. (A)

(A) SS. AUG. ET BERNARD. *Serm. de Dedicat. Eccles. Vide suprà hujusce Operis Parte* 2. *Sect. h. Cap.* 2. §. 25. *litt.* (B) *et* (G)

GEMMA ANIMÆ, *cujus* AUCTOR *florebat sec.* XI. *lib.* 1. *cap.* 150. Ecclesiæ dedicatio, est Ecclesiæ et Christi nuptialis copulatio. Episcopus qui eam consecrat est Christus, qui Ecclesiam desponsaverat. Episcopus fontem in atrio benedicit, et in circuitu aspergit; quia Christus fontem baptismatis in Judæâ consecravit, et in circuitu mundi omnes gentes eo abluit imperavit.

Cap. 151. Domus non consecrata est gentilitas Dei ignara, et perfidiæ vepagulis inclusa. In domo duodecim candelæ in circuitu accensæ eam illuminant, et duodecim Apostoli in circuitu orbis gentilitatem lumine doctrinæ illuminabant. Candela lucet et ardet, et Apostoli verbo lucebant, et charitate ardebant. Pontifex super liminare ostii cum baculo ter percutit: *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales.* (*Ps.* XXIII. 7.) dicit: per Pontificem Christus, per baculum sceptrum potestatis intelligitur: trina autem percussio, terna potestas in cœlo, in terra, in inferno accipitur. (*Matth.* XVIII. 18.) Quasi ergo ter Dominus januam cum catapulta percussit, dùm Ecclesiæ potestatem ligandi atque solvendi in cœlo et in terrâ concessit, et portas inferi adversùs eam non prævalere tribuit. (*Matth.* XVI. 18.) Jubet etiam ut principes tenebrarum portas mortis ab Ecclesiâ tollant: portæ verò æternales, id est, cœlestes eleventur, et justi ad vitam ingrediantur.

Cap. 152. Portæ quippè sunt mortis vitia et peccata: portæ vitæ sunt ædes, baptisma, operatio. Per eum, qui intùs respondet, diabolus intel-

ligitur, qui de domo Ecclesiæ expellitur. Ipse quippè quasi fortis armatus atrium suum custodivit (*Luc.* XI. 21.), dùm hunc mundum quasi jure possedit ; sed fortior superveniens eum expulit, spolia ejus distribuit ; dùm Christus eum passione vicit, et Ecclesiam ab ejus jure eripuit. Mox ostium aperitur, et Episcopus ingreditur ; quia Ecclesia ostium fidei Christo aperuit (*Matth.* X. 12.), et eum intra se devotè recipit. Episcopus ingrediens, *Pax huic domui* dicit, quia Christus mundum ingrediens, pacem hominibus contulit (*Luc.* XXIV. 36.), quam resurgens à mortuis suis præbuit. *Pax*, inquit, *vobis.* Ter pax huic domui clamat, quia reconciliationem Ecclesiæ per Trinitatem factam insinuat, vel quia unus est Deus, una fides, unum Baptisma. Deindè Pontifex prosternitur, pro consecratione domûs Dominum precatur ; et Christus se ante passionem in monte prostravit, et pro Ecclesiæ sanctificatione Patrem oravit. Surgens Pontifex populum per *Dominum vobiscum* non salutat, sed per *flectamus genua* ad orationem invitat, quia infideles et impii non sunt salutandi, sed ad conversionem et pœnitentiam provocandi.

Cap. 154. Quatuor Ecclesiæ anguli sunt quatuor plagæ mundi. Scriptura quæ tertiæ inscribitur, est simplex doctrina, quæ cordibus terræ imprimitur. A sinistro angulo Christus scribere incipit, quia Christus à Judæâ docere incœpit. Ipsa quippè sinistro angulo comparatur, quia ob perfidiam cum sinistris reputatur. (*Zachar.* VI. 12.) Ideò angulus Orientis dicitur, quia Christus, qui est Oriens, in eo secundùm carnem oritur. Scripturam in dextrum Augulum deducit Episcopus, quia doctrina Christi ad Ecclesiam usque pervenit. Ipsa enim dextro angulo assimilatur, quia cum dextris computatur. Ideò autem angulus Occidentis existit, quia in eâ perfidia corruit, Christus sol justitiæ pro eâ in morte occidit.

Cap. 155. Iterùm Episcopus scripturam à dextro angulo Orientis inchoat, et in sinistro Occidentis eam consummat ; quia per doctrinam suam in primitivâ Ecclesiâ inchoavit, et eam in fine mundi in Israelitico populo consummabit... Duo alphabeta, quæ ex diversis angulis in formam crucis conveniunt, sunt duo populi, qui ex diverso ritu in unam fidem crucis per Christum convenerunt. Duo enim testamenta sunt, qui insimul conjuncta crucem passionis Christi ediderunt. Unum autem Græcè, alterum Latinè scribitur ; quia Græca lingua propter sapientiam, Latina autem imperialem potentiam aliis eminentior cognoscitur ; quod utrumque ad fidem crucis convertitur....

Cap. 156. Post hæc Pontifex ante altare stans divinum auxilium per versum : *Deus in adjutorium meum intende* (*Ps.* LXIX. 2.), invocat, ut domum nomini ejus digne consecrare valeat. *Gloria Patri* absque *Alleluia* subjungit, quia gloriam Trinitati in illâ domo cantari innotescit : *Alleluia* non addit, eò quod adhuc ad vocem exsultationis consecrata non sit. Post consecrationem autem *Alleluia* cantabitur, quia exclusâ jam omni dæmonum fantasiâ, Deus in eâ laudabitur. Ita Christus verus Pontifex ad aram crucis accedens, Patris auxilium invocavit, quo Ecclesiam sanctificare velit, quasi *Gloria Patri* cecinit, dùm ad gloriam Trinitatis mortem pro Ecclesiâ subiit. Quasi *Alleluia* non addidit, dùm totus mundus in ejus passione fuit turbatus. Post resurrectionem autem quasi post consecrationem *Alleluia* cantabatur, quia cœlum et terra de ejus resurrectione lætabatur.

Cap. 157. Deindè aqua benedicitur, vinum admiscetur, sal quoque et cinis commiscentur. Sal, quo omnes cibi sapidi fiunt, Christus Dei sapientia designatur, quâ omnes sapere et intelligere acceperunt. Deindè Eliseus sal in aquam misit, et quæ sanatæ sunt (*4. Reg.* II. 21.), quia Deus sapientiam, id est, Filium suum in homines misit, et sanati sunt... Hic cinis sali admiscetur, dùm humanitas à divinitate in resurrectione resumitur. Cinis quoque sali commiscetur, dùm nos Christiani, qui cinis sumus, et Ecclesia nominamur, divinitati Christi associamur.

Cap. 158. Item per vinum divinitas, per aquam intelligitur humanitas : hæc duo admiscentur, dùm nostra humanitas per Christi sanguinem divinitati adjungitur. Ter crux cum sale et cinere super aquam fit, quia per crucem Christus hominibus fidem Trinitatis impressit...

Cap. 159. Notandum quòd hoc totum ad hominem refertur, qui templum Dei appellatur. Primùm Pontifex ostium aperit, deindè preces fundit,

post hæc alphabetum scribit, deindè aquam cum sale et cinere benedicit, vinum admiscet, deindè ungit. Ita cuilibet ad Dominum converso ostium fidei aperitur: deindè pro eo oratur: deindè Scriptura ejus menti inscribitur, dùm catechumenus exorcismis imbuitur, exindè per fidem Christi divinitas et humanitas docetur, deindè fonte baptismatis purificatur, ad extremum crismate ungitur, et sic templum Dei efficitur.

Cap. 160. Post hæc Sacerdos digitum tingit, et crucem per quatuor cornua altaris facit. Altare hic primitivam Ecclesiam in Jerusalem exprimit. Quasi Christus crucem Pontifex super altare fecit, dùm crucem in Jerusalem pro Ecclesiâ subiit. Quatuor cornua altaris signavit, dùm quatuor partes mundi cruce salvavit. Deindè septies contra altare spargit, quia Christus post resurrectionem in septem donis Spiritûs sancti Ecclesiam baptizari jussit. Aqua cum hyssopo aspergitur, quæ amara herba duritiam lapidum penetrare fertur, et signat Christi carnem in passione amaricatam, per quem baptismus datur, et duritia gentilium ad fidem emollitur. Deindè altare spargendo circuit, quia Dominus Angelum suum in circuitu timentium se nutrit. (*Ps.* XXXIII. 8.) Altare ter aspergitur, quia Ecclesia à tribus peccatis mortis scilicet, operis, locutionis et cogitationis emundatur. Deindè per totam Ecclesiam vadit, parietes ex utrâque spargit parte: quia Christus per totam Judæam populum baptizare præcepit. Interim canitur Psalmus LXVIII., *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*; quia dùm Christus surrexit, dæmones et Judæi inimici dissipati sunt. Et cùm Christi resurrectio et baptismus per mundum prædicabatur, inimici Dei ab Ecclesiâ dissipabantur.

Cap. 161. Pontifex mittit Ministros, qui Ecclesiam cantando circumeant; quia Christus Apostolos misit, qui baptismum per totum mundum prædicabant. Episcopus per mediam Ecclesiam incedens cantat antiphonam *Domus mea*, et Christus per doctores visitans fecit eam domum suam. Incipiens autem antiphonam, *Introibo*, et post vadit canendo ad altare, et quod remansit de aquâ ad basim altaris fundit; quia Christus fluenta doctrinæ in Jerusalem effudit, et indè fons baptismatis erupit. Post hæc altare linteo extergitur, per quod Dominica passio intelligitur: linus quippè de terrâ oritur, et cum labore ad candorem convertitur; et Christus de virgine nascitur, et cum magno labore passionis ad candorem resurrectionis redit. Hoc linteo altare extergitur, dùm tribulatio Ecclesiæ exemplo passionis Christi delinitur: deindè offertur incensum, hoc est, orationes justorum, qui se in odorem Deo offerunt, dùm corpus suum pro eo affligunt.

Cap. 162. Posteà Pontifex fundit oleum super altare faciens crucem in medio ejus, et super quatuor cornua ejus; quia Christus super primitivam Ecclesiam Spiritum sanctum in Jerusalem effudit, in quâ et crucem subiit. Deindè per quatuor mundi partes, hæc dona fidelibus tribuit. Tunc cantatur antiphona, *Erexit lapidem Jacob in titulum* (*Genes.* XXVIII. 18.); lapis unctus fuit, Christus Spiritu sancto à Patre scilicet oleo lætitiæ unctus in caput anguli est factus, dùm uterque populus in eo est conjunctus. Ter altare ungitur, bis oleo, tertiò chrismate; quia Ecclesia insignitur fide, spe, charitate. Fuso autem oleo cantatur antiphona, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.* (*Ibid.* XXVII. 27.) Ager latitudo mundi intelligitur, per quem Ecclesia ubique diffunditur. Hic ager vernat floribus, dùm Ecclesia resplendet virtutibus: odor florum ex flagrantiâ bonorum operum. Rosæ sunt Martyres; lilia, virgines; violæ, seculi contemptores; virides herbæ, sapientes; floridæ, proficientes; fructibus plenæ, animæ perfectæ.

Cap. 163. Demùm per parietes Ecclesiæ crucem de chrismate facit cum pollice, incipiens à dextro latere usque in sinistrum; quia unctio chrismatis à primitivâ Ecclesiâ incipiens, pervenit ad Ecclesiam gentium. Interim cantatur antiphona, *Sanctificavit Dominus tabernaculum* (*Psal.* XLV. 5.); Ecclesia nunc est Dei tabernaculum in hujus mundi itinere, quæ posteà erit templum in præventione. Deindè antiphona *Lapides pretiosi*: lapides pretiosi sunt, qui sacras Scripturas condiderunt. Muri et turres Jerusalem sunt munitiones Scripturarum, quibus arcentur Judæi, Hæretici atque Pagani. Gemmæ sunt sacræ sententiæ.

Cap. 164. Tunc Pontifex crucem incensi super altare facit, et se ad

orationem submittit. Christus quoque Pontifex Pontificum incensum cruci super altare ponit, quia apud Patrem pro nobis intervenit. Crucem namque incensi facere, est passionem suam pro Ecclesiâ Patri ostendere, et pro nobis interpellare. Undè Pontifex incipit antiphonam, *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis* (*Ps.* LXVII. 26.), cum *Gloria Patri*; quia Christus Patrem pro Ecclesiâ exorat, ut redemptionem, quam ipse operatus est, in eâ confirmet, et omnem terram ei subjiciat.... In Jerusalem quippè salvatio humani generis cœpit, et inchè in mundum totum manavit. Jerusalem enim est Ecclesia, in quâ templum est Christi, in quo habitavit *plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II. 9.); quæ tamen per Spiritum sanctum effusa humano generi profluxit largiter. *Gloria Patri* additur, quia hanc salvationem Trinitas operatur, quia Trinitati laus et gloria proindè canitur.

Cap. 165. Post hæc Subdiaconi, vel Acolythi, vasa, linteamina et omnia ornamenta offerunt Pontifici benedicenda: sunt hi qui ornatui Ecclesiæ eliguntur, et ad servitium Ecclesiæ ab Episcopo consecrantur, et vasa Dei dicuntur. His peractis vadit Pontifex in eum locum, in quo Reliquiæ positæ nocte cum vigiliis fuerunt, et elevat eas portans in locum præparatum: ita Christus verus Pontifex, postquàm nobis præparavit locum, justos, qui in præsenti nocte se vigili mente à malo custodiunt, assumit de locis suis, et perducit eos in domum Patris sui. Undè cantatur antiphona, *Ambulate sancti Dei, ingredimini civitatem Dei*, id est, cœlestem Jerusalem. Quod autem sequitur, nobis ædificata est nova Ecclesia, hoc est, *Jerusalem nova, quæ ædificatur ut civitas.* (*Ps.* CXXI. 3.) Diversæ antiphonæ cantantur: tripudium et exsultationem Angelicarum virtutum imitantur, quæ exeuntes de corpore animas comitantur, usquequò pro meritis sibi debitis in mansionibus recipiantur. Veniens Pontifex ante altare, ubi Reliquiæ sunt reconditæ, extendit velum inter se et populum: quia loca animarum secreta sunt à visione mortalium.

Cap. 166. Reliquiæ in altari sigillantur, quia animæ in cœlestibus collocantur. Cantatur antiphona, *Exsultabunt Sancti in gloria* (*Ps.* CXLIX. 5.), quia animæ ovant in angelicâ curiâ.

Cap. 167. Post hæc altare vestitur, quia animæ in resurrectione corporibus vestiuntur. Nudum erat altare, dùm animæ sine corporibus in cœlis erant collocatæ. Altare vestitur, dùm anima immortali et incorruptibili corpore induetur.

Cap. 168. Post hæc Pontifex altare benedicit; et Christus Ecclesiam his verbis benedicit, *Venite benedicti Patris mei.* (*Matth.* XXV. 34.) Pontifex revertitur in sacrarium cum ordinibus suis, et induit se vestimentis aliis; et Christus revertitur in mundum ad judicium cum ordinibus Angelicis, aliis induitur indumentis, quia servilem formam præsentabit impiis, cùm videbunt in quem crucifixerunt; et justi *Regem* gloriæ *in decore suo videbunt.* (*Isaï.* XXXIII. 17.) Deindè ornatur Ecclesia, et accenduntur luminaria: quia tunc opera justorum splendescunt, pro quibus ornati perenniter ut sol fulgebunt. Tunc incipit Cantor, *Terribilis est locus iste.* (*Genes.* XXVIII. 17.) Quid terribilius illâ die, quando Angeli timebunt, et impii in æternum supplicium ibunt? Tunc procedit Pontifex solemniter, et fit officium cum omni lætitiâ; quia peracto judicio videbitur Deus facie ad faciem in gloriâ suâ, *et erit Deus omnia in omnibus*, (1. *Cor.* XV. 28.) et ut lux oculis, sic gaudium animabus.

Cap. 169. Igitur sicut in Ecclesiâ dedicatâ ritè Missa celebratur, sic in Ecclesiâ catholicâ legitimè sacrificatur, et extra hanc nullum sacrificium à Deo acceptatur. Et quamvis Deus ubique sive in agro, sive in eremo, sive in mari, vel in omni loco dominationis ejus justè possit ac debeat adorari, et invocari, ut putà in templo totius mundi, tamen jure opportuno tempore ad Ecclesiam à fidelibus curritur, ut ibi Deus invocetur, atque adoretur, in quâ omnem rem quam duo ex consensu petierunt se daturum pollicetur, et ubi ipse duobus vel tribus in nomine ejus congregatis interesse perhibetur. (*Matth.* XVIII. 19. *et* 20.) Justum quippè est ut Christianus populus in oratorium quasi ad prætorium convenial, judicia ac mandata æterni Regis audiat, atque de convivio vituli sagiuali percipiat. Cùm ergo populus in Ecclesiam congregatur, quasi templum Deo ad inhabitandum ædificatur. Ecclesia autem in Ecclesiâ, est plebs

Christiana in aulâ dedicatâ. Templum quoque est in templo, baptizatus quilibet in domo consecratâ.

S. BRUNO ASTENSIS *opuscul. de Ecclesiast. ritib. in* BIBLIOTH. *PP. Lug. in fol. ann.* 1677. *tom.* 20. *pag.* 1725. *Florebat sec.* XII. Episcopus Signiensium Gualterio Magalensi Episcopo... Quando Ecclesia consecratur, solus Diaconus cum ingreditur, januas claudens ibidem exspectat, Episcopo responsurus. Tunc Episcopus de foris aquas benedicit: non sine sale, acceptoque fasciculo hyssopi, ex aquis, quas modò sanctificaverat, Ecclesiæ parietes ter circumeundo aspergit: ter quoque cum virgâ pastorali januas perculiens dicit: *Tollite portas principes vestras, et elevamini porta æternales, et introibit Rex gloriæ?* (*Ps.* XXIII. 7.).... Et ille, *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Post tertiam itaque percussionem, paucos ex Ministris secum ducens, Ecclesiam ingreditur, cæterâ multitudine foris exspectante. Tunc Episcopus totum alphabetum in modum crucis bis in pavimento describit; ac deindè sicut priùs alias aquas sanctificat, quibus non tantùm sal, sed cinerem quoque miscet et vinum. His autem altare et Ecclesia interiùs aspergitur et consecratur. Posteà verò super altare oleo et chrismate fusis, lapidem ipsum Episcopus ungit. His igitur expeditis, significationem videamus.... Audi igitur quid Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei.* (*Joan.* III. 5.) Aqua enim quæ lavandis corporibus idonea est, tantam virtutem divinitùs accipere meruit, ut sicut corpora à sordibus, ita et animas mundet à peccatis.

Manifestum itaque est quòd hæc aqua Baptismum significet, cujus aspersione Ecclesia consecratur, et quodammodo baptizatur.

Ipsa verò Ecclesia, eam utique Ecclesiam designat, quæ in eâ continetur, id est, multitudinem; undè etiam Ecclesia vocatur, eò quòd Ecclesiam contineat.... Hæc Ecclesia ex lignis, lapidibusque constructa eam Ecclesiam designat, quæ ex vivis lapidibus ædificatur: cujus lapides non calce, sed charitate junguntur et uniuntur: cujus *fundamentum Christus est* (1. *Cor.* III. 11.); cujus portæ Apostoli sunt (*Apoc.* XXI. 14.); cujus columnæ Episcopi sunt et doctores: in quâ unusquisque lapis tanto ampliùs rutilat, quantò fidelior et melior est... Interim autem de sale dicamus. Sal enim in divino eloquio frequenter pro sapientiâ ponitur. Undè est illud: *Sermo vester sale sit conditus.* (*Coloss.* IV. 6.) Et Dominus Discipulis: *Habete*, inquit, *sal in vobis, et pacem habete inter vos.* (*Marc.* IX. 49.) Itemque: *Vos estis sal terræ; quòd si sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* (*Matth.* V. 13.) Hinc etiam secundùm legem nulla hostia sine sale offertur, (*Levit.* II. 13.) sed in omni Sacrificio ponitur. Undè manifestum est, quia sal pro sapientiâ ponitur. Sic est enim sapientia condimentum omnium virtutum, sicuti sal condimentum omnium ciborum...

Hyssopus naturaliter in petrâ nascitur: *Petra autem*, ait Apostolus, *erat Christus.* (1. *Cor.* X. 4.) Bona herba hyssopus, quæ nascitur et renascitur et radicatur in Christo. Per hanc enim etsi tota fidelium multitudo intelligi possit, præcipuè tamen illi per hyssopum figurantur, qui in Christi fide radicati ab ejus amore divelli et separari non possunt. Per quod quid melius quàm Episcopos et Presbyteros intelligere possumus, qui quantò majorem in Ecclesiâ obtinent dignitatem, tanto firmiùs Christi fidei inhærere debent: et per hos quidem spargitur aqua: per hos et ab his baptizantur Christi fideles: his datum est perficere baptismatis Sacramenta. Nec illud quidem prætercundum est, quòd ter Episcopus Ecclesiam circumit, ter parietes aquâ aspergit.

Apparet enim etiam in hoc figura Baptismatis. Audi igitur quid suis Discipulis Dominus dicat: *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti.* (*Matth.* XXVIII. 19.) Hinc est igitur: quòd sacri Canones ter in aquam mergi præcipiunt eos, qui baptizantur. Quia itaque Ecclesia non potest mergi in aquas, ter ab Episcopo circumeunte aspergitur aquâ. Vides ergo quàm benè omnia quæ superiùs dicta sunt, Baptismi conveniant Sacramentis? Hinc autem illud quoque videamus, quòd ter cum virgâ pastorali Ecclesiæ januas Episcopus percutit.

Quid enim virga pastoralis, nisi sermo divinus et prædicatio Evangelica intelligitur? Quòd autem sermo virga vocetur, Propheta de Domino

testatur, dicens : *Quia percutiet terram virgâ oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* (*Isaï.* XI. 4.) Virga oris, sermo est. Virgâ igitur januas percutere, est aures audientium prædicationis voce ferire : aures enim portæ sunt, per quas ad corda audientium sanctæ prædicationis verba introducimus. Undè Psalmista ait : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis Filiæ Sion.* (*Ps.* IX. 15.) Quid est enim in portis filiæ Sion, nisi in auribus et auditu fidelium ? Illud quoque non vacat mysterio, quòd ter Episcopus januas percutit. Numerus iste et notissimus et sacratissimus est. In omni enim dedicatione ter semper Episcopus januas percutere debet : quia sine invocatione Trinitatis nullum in Ecclesiâ fit Sacramentum.... Expositis autem omnibus, quæ in Ecclesiæ dedicationes exteriùs Episcopus agit, hinc etiam quid interiùs faciat videamus. Ingressus enim in Ecclesiam, bis totum alphabetum scribit in pavimento ; per quod vel utrumque Testamentum, vel duplex sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur....

Sed quid est quòd non in directum, sed in obliquum, et in modum crucis hæ litteræ scribuntur. Nisi quia ad hanc sanctarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis mysterium non recipit, et Christi passione non se credit esse salvatum ? Soli enim Christiani hanc intelligentiam habent, qui crucis signaculo insigniti sunt.... Post hæc autem Episcopus aliam aquam benedicit, cui non tantùm sal, sicut priori.... sed vinum quoque cum cinere miscet.

Hæc autem aqua Spiritum sanctum significat, sine cujus afflatione nihil unquam sanctificatur, et sine cujus gratiâ non fit remissio peccatorum. Quòd autem Spiritus sanctus aqua vocetur, ipsa veritas ostendit dicens : *Qui credit in me.... flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum....* (*Joan.* VII. 38. *et* 39.) Vide ordinem Sacramenti, exteriùs aquâ, et interiùs Spiritu, Ecclesia consecratur. Hoc est enim quod Dominus ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto.* (*Joan.* III. 5.) Ecce aqua, ecce Spiritus sanctus.... Hâc igitur aquâ et ipsum altare, et totum interiùs templum aspergitur.... Dicamus igitur, quid vinum significet : vinum hoc in loco majorem et spiritualem divinæ legis intelligentiam designat ; undè ad nuptias vocatus Salvator noster in vinum aquas convertit : (*Joan.* II. 1. *et seq.*) quatenus majori intelligentiâ nos erudiret, et spiritualis novæque doctrinæ nectare satiaret. Divina namque Scriptura ad litteram intellecta, aqua est sine sapore et jucunditate ; quæ si spiritualiter intelligatur, vinum fit, et quidem miri saporis magnæque suavitatis. Quod enim interest inter aquam et vinum, hoc interest inter litteram et spiritum... Restat nunc ut de cinere dicamus... Sed quid cinis nisi pœnitentia. Sedere namque in cinere, cilicio indui, pœnitentium est. Hinc est enim quod de Ninivitis pœnitentibus dicitur : (*Joan.* III. 6.) *Quia Rex ipse surrexit de solio suo, et indutus est sacco, et sedit in cinere.* Hinc et David : (*Psal.* CI. 10.) *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam...* Babyloniæ quoque per Prophetam Dominus loquitur : *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylonis, non est solium ultrà tibi.* (*Isaï.* XLVII. 1.) Undè et consuetudo in Ecclesiâ inolevit, ut per singulos annos in initio Quadragesimæ capita nobis cinere aspergamus. His autem et similibus facilè ostenditur, quia per cinerem pœnitentia designatur.... Quibus ita permixtis, accedit Episcopus ad altare, et acceptofasciculo hyssopi hac supradictâ aquâ aspergit, atque sanctificat Ecclesiam et altare. Sed quid altare in templo significat ? Apostolus enim dicit : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* (1. *Cor.* III. 17.) Si ergo templum Dei sumus, et altare habemus : Altare nostrum, cor nostrum est. Hoc est enim cor in homine, quod est altare in templo. In hoc enim altari fit Sacrificium laudis et jubilationis. Undè Psalmista, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* (*Ps.* L. 29.) In hoc altari commemoratio corporis et sanguinis Christi. Hinc preces ascendunt in cœlum, quia ad cor respicit Deus. Hoc igitur altare aspergitur aquâ, quando corda hominum Evangelicâ prædicatione mundantur à peccatis.

Nam et prædicatio aqua est, secundùm illud, *Omnes sitientes venite ad aquas.* (*Isaï.* LV. 1.) Itemque, *Aqua profunda, verba ex ore viri* (*Prov.*

XVIII. 4.) : et item . *Reputetur sicut pluvia eloquium meum.* (*Deut.* XXXII. 2.) Hâc igitur aquâ, id est Evangelicâ prædicatione, et sancti Spiritûs sanctificatione, et cordis altare et totus homo mundatur et sanctificatur..... Dicamus igitur, quid oleum et chrisma significet.... Oleum misericordiam designat, quam qui non habet, idipsum amisit quod baptizatus est. Undè ipsa veritas ait : *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra....* (*Matth.* XVIII. 35.).... Hinc est etiam quòd Dominus ait : *Misericordiam volo et non sacrificium.* (*Osee* VI. *Matth.* IX. 13.).... Hoc igitur ungatur, hoc oleo liniatur altare cordis nostri, ut semper misericordiæ memores ,.... baptismi regenerationem non dimittamus....

Cui si balsamum addamus fit chrisma, quo Reges unguntur et Sacerdotes. Balsamum autem tunc jungitur oleo quando bonus odor additur misericordiæ. Sed quid est bonus odor? Lætitia spiritualis et bona voluntas. Undè Apostolus ait : (*Rom.* VII. 8.) *Qui miseretur in hilaritate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Tali igitur chrismate unguntur Christiani. ut vero nomine vocentur Christiani : quoniam Christianus à Christo, et Christus à chrismate dicitur. Ille enim tali chrismate unctus est, qui vitæ honestate, et merito sanctæ conversationis longè circumquaque suæ bonæ famæ spargit odorem. Undè Apostolus, *Christi bonus odor sumus Deo, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* (2. *Cor.* II. 15. *et* 14.) Sic igitur Ecclesia consecratur : sic Dei populus innovatur, benedicitur et sanctificatur.

Duodecim autem cerei, duodecim Apostoli sunt, quorum doctrinâ fugatæ sunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus est mundus. Lapis autem altaris non solùm Christum, sed Christi quoque membra significat. De quo lapide scriptum est : *Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper* (*Genes.* XXVIII. 18.)... Sanctorum reliquiæ in altari ponuntur. Altare quoque cordis nostri sine Sanctorum reliquiis esse non debet. Sanctorum namque reliquias in corde gestamus, si eos semper in mente habemus, si eorum dicta et exempla tenemus, eorum verba memoriæ commendamus.

S. IVO CARNOTENS. *Serm. 4. de Sacram. Dedicat.* Primò itaque aquam benedicimus, cui et sal admiscetur. Aqua enim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua peccatorum maculas abluit, quam tunc benedicimus, cùm virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus.... Cui admiscetur sal, id est, Evangelica doctrina, fluxa auditorum corda suavi mordacitate constringens, et ad conservandam vitæ novitatem sapienter componens. Ista aqua ad quamdam baptismi imaginem gyrando Ecclesiam tunc exteriùs (*ter*) aspergimus.... Interim autem in circuitu dedicandæ Ecclesiæ duodecim sunt accensa luminaria, quibus significatur, quòd commendanda sit lucens et ardens Apostolica doctrina.... Ad singulos verò circuitus accedit Pontifex ad ostium basilicæ, Clero et populo subsequente : et percutit superliminare virgâ pastorali, cantando antiphonam : *Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales.* (*Ps.* XXIII. 9.) Virga enim pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Dominus Discipulis suis contulit, quando eos ad prædicationem mittens, nihil eos in viâ ferre nisi virgam tantùm permisit. (*Matth.* X. 9. *et seq. Marc.* VI. 8.) Quâ virgâ sancti Sacerdotes et solantur humiles, et terrent superbos, et feriunt impœnitentes. Quam potestatem à Patre Filius accipit.... eamdem.... suis largitus est Præsulibus, cùm Petro, et in eo Ecclesiæ principibus potestatem dedit, dicens : (*Matth.* XVI. 18. *et* 19.) *Tues Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Cui ergo portæ inferi non prævalebunt, et cui ligandi atque solvendi in cœlo et in terrâ privilegium traditur, constat quia et cœlo et terræ et inferno principetur. Cùm ergo Pontifex superliminare futuræ Ecclesiæ virgâ pastorali ter percutit, ostendit quia sibi cœli et terræ et inferi potestas cedit. Undè et post trinam percussionem ostium aperitur, quia Sacerdoli potestatem suam conservanti pars adversa resistere non potest. Nam ipsa Ecclesia, antequàm Pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis et perfidiæ tenebris laclosi figuram tenet.... Imperat autem Pontifex dæmonibus, seu vitiis,

dicendo : *Tollite portas principes vestras....* Aperto verò ostio intrat Pontifex cum Clero et populo, dicens : *Pax huic domui* : ter, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ, parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum destruxit : et pacem inter Deum et hominem, inter terrestria et cœlestia sui adventûs mediatione reformavit. Pontifex ergo Ecclesiam ingrediens, *Pax huic domui* clamat : quia sancti Doctores hoc intendunt, ut populus qui à Deo discordaverat per peccata, ei reconcilietur per bonorum exercitia. Quòd verò, intrante Pontifice in Ecclesiam, Clerus, Sacerdos et Levitæ prostrati in terram ad Dominum clamant pro sanctificatione ipsius domûs : Hoc est quod Dominus ante passionem fecit pro Discipulis et cæteris fidelibus orans : *Pater, sanctifica eos, quos mihi dedisti.* (*Joan.* XVII. 11.) Ita enim Paulus tanquam Ecclesiam ingressus, cohortatur omnes ad orationem, dicens : *Obsecro primùm omnium fieri orationes, postulationes pro omnibus hominibus, etc.* (1. *Tim.* II. 1.) Pontifex ergo dùm in novam Ecclesiam, eam sanctificaturus ingreditur, et statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet, qui pro omnibus hominibus orationem fieri monet. Et ita adhuc eorum typum tenet, qui rudem populum docere incipiunt. Indè est quòd surgens ab oratione, nondùm salutat populum, dicendo, *Dominus vobiscum* : sed tantum ad orationem cunctos hortatur, quia novellus populus necdùm Sacerdotis salutatione dignus videatur.... Orandum ergo est pro talibus qui nondùm initiati sunt, non tamen salutandi sunt, quia non est eis consentiendum vel applaudendum. Undè ipsis Prædicatoribus Dominus dicit, ut *neminem salutent in viâ* (*Luc.* X. 4.) : id est neminem transitoria appetentem vanâ spe demulceant. His completis incipit Pontifex de sinistro angulo ab Oriente scribere per pavimentum alphabetum, usque in dextrum angulum Occidentis : atque iterùm à dextro angulo Orientis usque ad sinistrum angulum Occidentalem basilicæ. Quid autem per alphabetum, nisi initia et rudimenta doctrinæ sacræ intelligi convenit ? Undè Paulus ad Hebræos : *Cùm deberetis esse magistri propter tempus : rursùm indigetis ut instruamini quæ sint elementa sermonum Dei.* (*Hebr.* V. 12.) Scribit etiam Pontifex alphabeti ordinem, cùm docet fidei simplicitatem.... In tali scheuate crux figuratur, ut doctrinæ Evangelicæ, quâ simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inseratur. Undè Paulus Corinthiis adhuc rudibus ita dixit : *Nescivi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum.* (1. *Cor.* II. 2.) Sinister autem angulus Orientalis à quo primus versus incipit : populus intelligitur Judaïcus, ex quo ortus est Dominus. Pervenit autem usque in angulum Occidentalem : quia cùm Dominus noster ex Judæis sit ortus, fides incarnationis ejus et mortis, à gentibus est suscepta. Sed cùm idem versus ab angulo Orientali dextro, revertitur ad angulum Occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, cùm plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israël salvus erit. (*Rom.* XI. 25. *et* 26.) Utriusque ergo populi collectionem illi duo versus significant in unam crucis compaginem. Hinc est quòd (*Gen.* XLVIII. 14.) Jacob filiis Joseph benedicens, et cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum supra Ephraïm junioris, sinistram super caput Manasse majoris posuit : significans quia populus quondam dexter, in sinistrum vertetur, sinisterque in dextrum.... Quòd verò eadem scriptura virgâ pastorali peragitur, significatur quòd iste transitus de Judæis ad gentes, et ea denuò conversio, quæ in fine mundi consummanda est, per officium Sacerdotum perficietur. Dehinc Pontifex ad altiora conscendit, et stans ante altare.... dicit : *Deus in adjutorium meum intende, etc.* (*Psalm.* LXIX.) absque *Alleluia*.... *Alleluia* enim non hujus temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat : undè mos inolevit ut in diebus Septuagesimæ ante Pascha *Alleluia* non canletur, quia sunt dies luctûs et pœnitentiæ... Posteà verò benedicitur aqua commixto sale et cinere. Et aquâ quidem populum significari testatur Apocalypsis dicens : *Aquæ multæ, populi multi* (*Apocal.* XVII. 15.) : Sal autem doctrinam verbi divini signat.... Cinis autem memoriam signat Dominicæ Passionis, quam significabat cinis vitulæ aspersus ad expiationem populi. Aqua ergo benedicitur, ut sanctificetur. Sal cum cinere miscetur, cùm populus ut sanctificari possit, divinâ sapientiâ et fide Dominicæ passionis instruitur. Fit autem crux ter super aquam et sal et cine-

rem, cùm fidei divinitatis et passionis. Sales additur Trinitatis. Huic ergo mixturæ et vinum additur cum aquâ. Quæ duo geminam naturam significant in unâ personâ, divinitatem scilicet et humanitatem. Et est ordo intuendus. Primùm Pontifex ostium intrat: deindè pro populo orat; post hæc alphabetum scribit: indè aquam cum sale et cinere benedicit, cui vinum admiscet: quia unusquisque primùm sibi per confessionem portam salutis aperit; deindè est Sacerdotis pro eo orare, post hoc primordia fidei ei tradere, et quasi catechumenum facere, deindè instrui, qualiter jungi possit corpori sui Salvatoris per sacram doctrinam: docere etiam quia Christus Jesus Deus et Homo: postremò sacro fonte purificari. Hoc idem significatum est in exteriori parietum aspersione, sed non ideò hîc fieri ad interiorem parietum aspersionem supervacuum videri debet: quia quidquid in exteriori sanctificatione agitur superstitiosum est, nisi interiori homine compleatur. Post hæc tingit Sacerdos digitum in aquâ, et facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Ecclesiæ figuram præfert: quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mundi cardines dilatatur. Pro cujus typo Abrahæ dictum est; *Dilataberis usque ad Orientem et Occidentem, Septentrionem et Meridiem.* (*Genes.* XXVIII. 14.) Benè ergo crux de aquâ fit per quatuor altaris cornua: ut ostendatur omnem Ecclesiam esse mundandam à sordibus peccatorum per lavacrum aquæ et fidem passionis. Indè venit ad altare, et aspergit illud septem vicibus, quo numero significatur plenitudo Spiritûs sancti, id est, spiritûs sapientiæ et intellectûs, spiritûs consilii et fortitudinis, spiritûs scientiæ et pietatis, et spiritûs timoris Domini. Aspergitur autem eâdem aquâ cum hyssopo, quæ herba est humilis, interiora pectoris purgans, et duritiam saxorum radicibus penetrans, cujus aspergine munditiæ fiebant in lege. Significabat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores, sui sanguinis aspersione sanavit. Aqua ergo cum hyssopo aspergitur, cùm baptismus Christi sanguine consecratus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare spargendo eamdem aquam, ut ostendat doctorem non debere otio vacare, sed eorum quos initiaverit mundationi operam dare, et ut *Dominus mittat Angelum in circuitu eorum* (*Ps.* XXXIII. 8.), qui eos erudiat semper orare. Circuit deinc totam Ecclesiam, et aspergit parietes illius; ut demonstret se omnem curam impendere omni ætati, omni sexui. Facit autem secundò et tertiò, ut ostendat eos qui baptizantur, non solùm esse mundandos à peccato cogitationis, sed etiam locutionis et operis. Canitur autem interim Psalmus LXVII. *Exsurgat Deus* cum Antiphonâ, ut viribus destituantur qui sacramentis fidei adversantur. Cantant etiam antiphonam: *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Psal.* XC. 1.), asserentes nullum à Deo protegi, nisi eum qui de viribus suis nihil præsumens, Dei adjutorium semper imploraverit. Ipse tamen Pontifex non debet quiescere, sed quasi conspicuus per mediam Ecclesiam incedere, omnes suo exemplo informare, omnibus sacramenta crucis ac mortis Domini intimare, et cantare, *Domus mea, domus orationis vocabitur* (*Isaï* LVI. 7.): videlicet, ut talem Ecclesiam præparet, quæ non sit *spelunca latronum, sed domus orationis* (*Matth.* XXI. 13.); id est, non fures et latrones, sed qui *benedicant Dominum omni tempore* (*Ps.* XXXIII. 2.).... His peractis Pontifex se ad orationem confert, ut omnes qui eamdem domum oraturi intraverint exaudilos se esse gaudeant: ut ostendat Pontifex, se omnium subditorum curam cum Paulo gerere (2. *Cor.* XI. 28.), et eorum memoriam se in orationibus suis frequentare.... Pontifex.... fundit quod remansit de aquâ purificationis ad basim altaris: quia quod ipse nequit, Deo humiliter committit, purgationem scilicet subditorum, cui ipse tanquam homo cooperari et collaborare potest. Interior autem et perfecta mundatio, solius est Dei.... Postèà extergitur altare linteo.... Deindè fit incensum, quod significat orationes Sanctorum, secundùm quod Joannes dixit de Angelo, quòd *data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super altare, quod est in conspectu Domini.* (*Apocal.* VIII. 3.)... Interea mittit Pontifex oleum super altare, in medio altaris crucem ex eo faciens, et super quatuor angulos altaris. Est quidem satis congruè ordo servatus, ut post emundationem per aquam.... perfundatur oleo altare; quia et sancta Ecclesia priùs aquâ mundatur in fonte baptismatis, et sic unctione insignitur per manus Pontificis, ut

Spiritùs sancti in se mereatur advenium. Nam oleum gratiam significat Spiritùs sancti, qui *Charitas diffunditur in cordibus* (*Rom.* v. 5.) electorum, ad diligendum Deum et proximum. Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis unctione, et interim cantatur antiphona, *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Ps.* XLIV. 8.), ut hâc unctione intelligamus plenitudinem gratiæ, quæ præcessit in capite, et posteà refulsit in corpore, cùm misso desuper Spiritu, data est Apostolis manifesta chrismatum gratia, de quâ dicit Apostolus: *Omnes de plenitudine ejus accepimus gratiam per gratiam* (*Joan.* I. 16.), id est per gratiam fidei diversa chrismata. Hinc est, quòd de consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt Apostolicum, qui et primitias Spiritùs acceperunt, et crucis mysterium populis et gentibus manifestare studuerunt. Peractâ denique consecratione, albis velaminibus cooperitur altare, quibus et sacramentum intelligitur novitatis, et prænuntiatur.... gloria futuræ incorruptionis. Hujus enim templi non manufacti, tunc vera et plena erit consecratio, cùm *passibile hoc induerit impassibilitatem, et mortale hoc acceperit immortalitatem* (I. *Cor.* XV. 53. *et* 54.), et completum erit in corpore quod jam præcessit in capite. Undè in Psalmo qui jam intitulatur, In dedicatione domûs, ex voce Mediatoris, tam pro se quàm pro membris suis, ita continetur: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiâ.* (*Ps.* XXIX. 12.) Planctum dicit mortalitatem nostram, quæ tandiù deflenda est, quandiù *peregrinamur à Domino* (2. *Cor.* V. 6.).... Hic planctus, hic dolor in gaudium vertitur, cùm ad patriam à quâ nunc exulamus, peractâ peregrinatione pervenitur..., Saccus ergo noster conscindilur, cùm passibilitas et mortalitas humanæ naturæ de peccato veniens in immortalitatem commutatur.

HUGO A S. VICTORE *de Mysteriis Eccles. cap.* 2. *in Biblioth. PP.* HITTORP. *Tom.* 10. Quanlo autem studio, et amore Christus sibi sponsam ornat et præparat ad cœlestem dedicationem, per temporalem Ecclesiæ dedicationem ex parte significatur. Pontifex enim ter circuit Ecclesiam dedicandam, aspergens eam aquâ benedictâ, Clero et populo sequente. Interim extrinsecùs et intrinsecùs duodecim ardent luminaria. Quoties ad portam venitur (propter mysterium clausam,) Episcopus percutit superliminare virgâ pastorali dicens: *Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* (*Ps.* XXIII. 7.) Diaconus respondet: *Quis est iste Rex gloriæ?* (*Ibid.* 8.) Cui Pontifex: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* (*Ibid.* 10. *etc.*) Tertiâ vice reserato ostio intrat cum Clero et populo dicens: *Pax huic domui.* (*Matth.* X. 12.) Deindè cætera peragit, quæ ad dedicationem pertinent. Quæ autem hic fiunt visibiliter, omnia in animâ per invisibilem virtutem Deus operatur, quæ verum templum Dei est: ubi fides fundamentum facit, spes erigit, charitas consummat. Ipsa etiam Ecclesia catholica una ex multis lapidibus adunata, templum Dei est: quia multa templa, unum templum, quorum unus Dominus et una fides. Domus ergo dedicanda, est anima sanctificanda; aqua, pœnitentia; sal, sapientia; trina aspersio, trina immersio baptizandi: luminaria duodecim, totidem Apostoli crucis mysterium prædicantes; Pontifex, Christus: virga, ejus potestas: trina percussio, cœlestium, terrestrium et infernorum dominatio, *ut trina rerum machina flectat genu jam subdita* (*Hymn. in die Ascens.*); interrogatio inclusi, ignorantia populi; apertio ostii, evacuatio peccati. Pontifex intrans pacem domui precatur, et Christus ingrediens mundum pacem inter Deum et homines facit. Deindè prostratus pro sanctificatione Dominum orat, et Christus humiliatus ad passionem pro Discipulis et credituris hominibus orabat, dicens: *Pater sanctifica eos in veritate.* (*Joan.* XVII. 17.) Surgens non salutat, sed orat tantùm, quia non est applaudendum iis, qui nondùm sanctificati sunt, sed pro iis orandum.... Descriptio alphabeti in pavimento, est simplex doctrina fidei in corde humano. Versus à sinistro angulo Orientis ductus in dextram Occidentis, et alter à dextro Orientis in sinistrum Occidentis, crucem exprimunt et collectionem utriusque populi figurant: juxta illud quod Jacob cancellatis manibus filios Joseph benedixit (*Gen.* XLVIII.).... Quòd deindè stans ante altare Deum in adjutorium invocat, significat eos, qui perceptâ fide ad

§. 9. De Benedictione Aquæ baptismalis.

I. Aquæ baptismalis benedictionem ex traditione Apostolicâ fieri jam superiùs demonstrasti. (*Parte 2. hujus Operis Sect. 4. Cap. 2. §. 11. ad litt.* (*K*) Age porrò, nunc paucis expedi, quo ritu fiat illa benedictio?

R. In vigiliis solemnibus Paschæ et Pentecostes, quibus baptizabantur olim solemniter catechumeni, benedicitur aqua baptismalis hoc ritu:

Prophetiis ad catechumenorum institutionem perlectis, Clerus ad fontem aquæ baptismati destinatæ procedit præcedente cruce, et Ceroferario portante cereum Paschalem. Præcedunt quoque vel sequuntur catechumeni, si qui sunt baptizandi. Intereà canit chorus ex Psal. XLI.

℣. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dùm dicitur mihi per singulos dies, Ubi est Deus tuus?* (*Ps.* XLI. 2. 3. *et* 4.)

Deindè Sacerdos salutato priùs populo, recitat hanc orationem (*Ex Missal. Rom.*): *Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui sicut cervus, aquarum tuarum expetit fontem: et concede propitius, ut fidei*

pugnam se præparant; et quia adhuc sunt in certamine, quasi inter suspiria, nondùm *Alleluia* adjungitur. Post hoc aqua benedicitur cum sale et cinere etiam addito vino aquæ mixto: aqua est populus; sal, doctrina; cinis, memoria passionis Christi; vinum aquæ mixtum, Christus Deus et homo; vinum, divinitas; aqua, humanitas. Sic populus sanctificatur doctrinâ fidei, et memoriâ passionis, junctus suo capiti Deo et homini. Undè altare et Ecclesia interiùs aspergitur, ut intùs sicut extrà spiritualis Ecclesia sanctificanda ostendatur. Aspersorium de hyssopo, humilitas est, quâ aspersa mundatur Ecclesia catholica. Circuit aspergendo quasi lustrans, et curam omnibus impendens. Interim cantatur, *Exsurgat Deus, et dissipentur, etc.* (*Psalm.* LXVII.) Responsorium ejus cum antiphonâ, quam sequitur alia: *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* (*Ps.* XC.) Et Pontifex cantat, *Domus mea domus orationis vocabitur* (*Isaï.* LVI. 7. *et Matth.* XXI. 13.); et item, *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Ps.* XXI. 23.); et quia sine Deo nullum opus proficit, in consummatione orat, ut exaudiantur beneficia ibi ingredientes petituri. His factis venit ad altare cantans: *Introibo ad altare Dei*, cum psalmo toto, etc. (*Psal.* XLII. 4.) et quod remansit de aquâ ad basim altaris effundit, committens Deo quod excedit vires humanas in tanto sacramento. Deindè altare linteo exterguntur; altare Christus est, linteum caro ejus tunsionibus passionis ad candorem et gloriam immortalitatis perducta. Hinc Pontifex offert super altare thus in modum crucis accensum in medio altaris, et per quatuor angulos ejus crucem facit de oleo sanctificato. Deinceps cruces tres per singulos parietes Ecclesiæ de eodem oleo chrismantur; et sic peractâ consecratione altare albo velamine operitur. Incensum, orationes: oleum, gratiam spiritûs sancti demonstrat. Cujus plenitudo (*sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*) (*Ps.* CXXXII. 2.) descendit in Apostolos eorumque discipulos, qui crucis mysterium per quatuor climata mundi Domino cooperante prædicaverunt. Album velamen immortalitatis mysticat lætitiam, de quâ Filius exsultat Patri dicens: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiâ.* (*Ps.* XXIX. 12.)

Vide eadem fusiùs explanata ab eodem Auctore lib. I. *de Cæremoniis Ecclesiasticis cap.* 1. *ad* 12. *exclusivè, quæ non nisi præcedentium repetitio sunt.*

ipsius sitis, baptismatis mysterio animam corpusque sanctificet. Per.

Tùm Sacerdos iterùm salutato populo, benedictionem inchoat, hoc modo : (*Ibid.*)

Omnipotens sempiterne Deus adesto magnæ pietatis tuæ mysterio, adesto sacramentis ; et ad recreandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte : ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum, etc.

Sequitur Præfatio benedictionis in hunc modum :

..... *Pater omnipotens æterne Deus, qui invisibili potentiâ Sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum : et licèt nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclinas : Deus cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur* (*Gen.* I. 2.), *ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet : Deus qui nocentis populi crimina per aquas abluens regenerationis speciem in ipsâ diluvii effusione signasti ; ut unius ejusdemque elementi mysterio, et finis esset vitiis et origo virtutibus : Respice, Domine, faciem Ecclesiæ tuæ, et multiplica in eâ regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis ; ut tuæ majestatis imperio sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu sancto,*

Hìc Sacerdos manu extensâ dividit aquam in modum crucis. Deindè prosequitur :

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcanâ suî numinis admixtione fœcundet ; ut sanctificatione conceptâ ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cælestis emergat : et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in veram pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, jubente te Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hìc loci habeat contrariæ virtutis admixtio, non insidiando circumvolet, non latendo subrepat, non inficiendo corrumpat.

Aquam hìc manu tangens, exorcismum prosequitur his verbis :

Sit hæc sancta et innocens creatura, libera ab omne impugnationis incursu, et totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons vivus aquæ regenerans ; unda purificans : ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur.

Finito exorcismo facit Sacerdos tres cruces super aquam, dicens :

Undè benedico te creatura aquæ, Per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum qui te in principio verbo separavit ab aridâ ; cujus Spiritus super te ferebatur.

Hic Sacerdos manu aquam dividit, et effundit eam versus quatuor partes mundi, quem ritum explicant verba sequentia: sicut enim fons Paradisi, ita fons baptismalis per totam terram ad regenerandos populos extenditur:

Qui te de Paradisi fonte manare fecit, et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit (*Gen.* II. 10.): *qui te in deserto amaram, suavitate gratiæ dulcem fecit esse potabilem* (*Exod.* XV. 25.), *et sitienti populo è petra produxit.* (*Ibid.* 6.) *Benedico* † *te et per Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirabili suæ potentiæ convertit in vinum* (*Joan.* II.): *qui pedibus super te ambulavit* (*Matth.* XIV. 25.), *et à Joanne in Jordane in te baptizatus est* (*Marc.* I. 9.): *qui te unà cum sanguine de latere suo produxit* (*Joan.* XIX. 34.); *et Discipulis suis jussit* (*Matth.* XXVIII. 19.), *ut credentes baptizarentur in te, dicens*: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.

Hæc nobis præcepta servantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus adspira.

Hic Sacerdos Christi vices et personam gerens, ejusque minister halat ter super aquas in modum crucis, dicens:

Tu has simplices aquas tuo ore benedicito; ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

Hic Sacerdos paululum in aquam dimittit cereum Paschalem, quem jàm diximus esse typum Christi post mortem vivi, aitque:

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritûs sancti.

Deindè extractum cereum de aquâ paulo profundiùs mergit, dicens voce altiori:

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritûs sancti.

Posteà cereum rursùs extractum de aquâ tertio immergit usque ad fundum, altiori adhuc voce repetens:

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritûs sancti.

Et hoc dicto sufflans ter in aquam secundùm figuram literæ Græcæ ✝ prosequitur.

Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.

Mox tollitur cereus de aquâ; et Sacerdos prosequitur:

Hîc omnium peccatorum macula deleatur; hîc natura ad imaginem tuam condita, et ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squaloribus emundetur: ut omnis homo sacramentum hoc regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ novam infantiam renascatur. Per Dominum.

Deindè adstantes Presbyteri spargunt de aquâ sic benedictâ super populum: et unus de ministris Ecclesiæ accipit in vase aliquo de illâ aquâ ad aspergendum in domibus et aliis locis; possuntque fideles hanc aquam domi servare ad baptizandos infantes, si necesse sit, nec possit infans ad Ecclesiam portari.

His peractis, Sacerdos fontem benedicens effundit de oleo catechumenorum in aquam in modum crucis, intelligibili voce dicens :

Sanctificetur et fœcundetur fons iste oleo salutis renascentibus ex eo in vitam æternam. ℟. *Amen.*

Eodem modo infundit de sacro chrismate, dicens : *Infusio chrismatis Domini nostri Jesu Christi, et Spiritûs sancti paracleti, fiat in nomine sanctæ Trinitatis.* ℟. *Amen.*

Posteà accipit ambas ampullas dicti olei sancti, et sacri chrismatis : et de utrâque simul in modum crucis infundens, ait :

Commixtio chrismatis sanctificationis, et olei unctionis, et aquæ baptismatis, pariter fiat in nomine Patris † et Filii † et Spiritûs sancti. ℟. *Amen.*

Tùm sacrum oleum et chrisma miscet cum aquâ, et spargit manu suâ per omnem fontem ; et si qui sunt baptizandi eos baptizat.

Oleo catechumenorum et sacro chrismate jam suprà diximus (*hujusce Cap.* §. 5.) consecrari quidquid Ecclesia consecrat, rationemque ritûs illius tradidimus.

In nonnullis Ecclesiis non solùm cereus Paschalis ardens ter mergitur in fontem, sed et de ipso Sacerdos stillare facit aliquas guttulas in fontem in modum crucis : quo ritu exprimit Christi gratiâ et virtute aquas penitùs affici et penetrari : nam, ut suprà diximus (*Parte* 2. *hujus Operis Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 11.) dùm egimus de benedictione illius cerei, cereus Paschalis typus est et symbolum Christi ex mortuis suscitati. (A)

(A) S. Cyprianus. *Epist.* 70. *ad Januar.* Oportet ergo mundari et sanctificari aquam priùs à Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere.

S. Basil. *in Psal.* xxviii. Forsan et mysticè magis vox Domini super aquas erat, quando baptizato Jesu facta est supernè vox : *Hic est filius meus dilectus.* (*Matth.* iii. 17.) Tunc enim Dominus super aquas erat multas, eas per baptismum sanctificans.

S. Gregor. Nyssen. *Orat. De Baptismate, tom.* 3. *edit. Paris. in fol. ann.* 1638. *pag.* 369. 801. Spiritus, qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit.... corpus quod baptizatur, et aquam quæ baptizat, benedicit. *Et pag.* 803. Aqua quæ benedicitur, purgat et illuminat hominem.

S. Ambros. *Lib.* 1. *de Sacram. cap.* 5. *n.* 15. Vidisti aquam : sed non aqua omnis sanat ; sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio : aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritûs sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit, et aquam illam consecraverit.

N. 18. Cùm forma baptismatis et usus hoc habeat, ut antè fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est. Nam ubi primùm ingreditur Sacerdos, exorcismum facit secundùm creaturam aquæ, invocationem posteà et precem defert ; ut sanctificetur fons, et adsit præsentia Trinitatis æternæ.

Victor Vitensis *Episc. Lib.* 2. *de persecut. Wandal. n.* 17. Cæcus..... nomine Felix.... visitatur à Domino, diciturque ei nocte per visum, dies enim Epiphaniorum illucescebat : Surge, vade ad servum meum Eugenium Episcopum, et dices ei, quia ego te ad illum direxi. Et illâ horâ quâ benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos

tuos, et aperientur, et videbis lumen.... Eugenius.... pergit cum eo, comitante officio Clericorum ad fontem. Ubi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cœlum crispantem benedixit alveum fontis... Et cæco respondit: Præstet tibi Dominus secundùm fidem tuam, et aperiat oculos tuos. Simulque vexillo crucis consignat oculos ejus: statimque cæcus visum, Domino reddente, recepit...

Ordo Rom. I. *n.* 41. Statim veniens unus Minister tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris; et tunc ascendit ipse præcedens Pontificem ad fontes. Tunc deindè schola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, exspectantes parati Pontificem. Secundus verò scholæ tenet vas aureum in manu suâ sinistrâ super planetam, undè Pontifex mittere debet chrisma in fontem, et jussi faciunt letaniam ternam. Deindè Pontifex procedit cum omni decore, sustentatus à duobus Diaconibus: et illa duo cereostata, quæ antè fuerant illuminata, semper ante ipsum procedunt, usque dùm omnia finierint.

N. 42. Letaniâ finitâ, facto silentio.... dat orationem, *Omnipotens sempiterne Deus.* Item alia, *Deus qui invisibili potentiâ:* hic primam crucem facit, *qui hanc aquam*, cum manu suâ dividens aquam in modum crucis: secundam, *undè benedico te:* similiter tertiam, *benedico te per Jesum Christum.* Hæc omnia expleta, fundit chrisma de vasculo in fonte super ipsam aquam in modum crucis, et cum manu suâ miscitat ipsum chrisma cum aquâ, et spargit per omnem fontem, vel super omnem populum. Hoc facto, omnis populus, qui voluerit, accipit benedictionem in vasis suis de ipsâ aquâ, antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendum in domibus eorum et vineis, et campis, et fructibus eorum.

Append. Ordin. Rom. I. n. 9. Veniens unus Minister tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris; et hinc ascendit ipse præcedens Pontificem ad fontes. Tunc deindè schola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, exspectantes parationem Pontificis; et non finiunt letaniam, dicentes *Agnus Dei* semper, usque dùm Pontifex venerit, et annuat eis ut sileant. Secundus verò scholæ tenet vas aureum in manu suâ sinistrâ super planetam, undè Pontifex mittat chrisma in fonte. Deindè Pontifex procedit cum omni decore sustentatus duobus Diaconibus: et illa duo cereostata, quæ antè fuerunt illuminata, semper ante ipsum præcedunt, usque dùm omnia finierit. Mox ut venerit ante fontes stans benedicit fontes, ut mos est. Hic primam crucem facit, *qui hanc aquam*, cum manu suâ dividens aquam in modum crucis; secundam, *undè benedico te*, similiter tertiam, *benedico te per Jesum Christum.* Post fontes benedictos mittit chrisma cum vase aureo, et aspergit aquam cum manu suâ super populum.

Ordo Rom. X. *n.* 20. Pontifex cum omni scholâ Clericorum descendit ad benedicendos fontes, præcedentibus Subdiaconibus cum cruce et faculâ et aliâ necessariâ ad benedictionem fontium, Primicerio et Cantoribus decantante tractum, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum;* Subdiacono verò et reliquis de Clero letaniam facientibus. Sed antequàm intret ad benedictionem, dicit hanc orationem junxta fontem, *Omnipotens sempiterne Deus, etc. Animam corpusque sanctificet. Per.* Deindè ascendit gradus, adstantibus Ministris hinc indè cum faculis; factoque silentio dicit, *Dominus vobiscum, etc.*

N. 21. Præfatio, *Per omnia, etc. Gratiam de Spiritu sancto.* Hic cum manu dividat aquam in modum crucis, *Qui hanc aquam, etc. inficiendo corrumpat.* Hic aquam manu tangat, *Sit hæc sancta et innocens creatura, etc. indulgentiam consequatur.* Hic faciat crucem super fontem, *Undè benedico te, etc. cujus Spiritus super te ferebatur.* Hic dividat aquam in quatuor partes dicens: *Qui te de paradisi fonte, etc. Et sitienti populo de petrâ produxit.* Hic iterùm crucem faciat, *Benedico te per Jesum Christum, etc. baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen.* Hic mutet vocem, quasi lectionem legens, *Hæc nobis præcepta, etc. et purificandis mentibus efficaces. Per Dominum nostrum Jesum.* Hic ponit cereos in aquam, et dicat secundùm pristinum tonum. *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritûs sancti.* Hic sufflet in aquam tribus vicibus in hunc modum, *Totam hujus aquæ substantiam regenerandi fœcundet officium.* Hic tollantur cerei, *Hic omnium peccatorum maculæ delcantur,*

§. 10. De Benedictione Aquæ lustralis, et de usu hujus aquæ.

I. Est-ne prisco in usu positum, ut aquam lustralem Ecclesia benedicat?

R. Benedictionem aquæ Baptismalis ex traditione Apostolicâ fieri jam diximus et probavimus. (§. *super.*) Nec minoris antiquitatis est ritus ille, quo aqua cum sale benedicetur diebus Dominicis ad aspersionem populi et domorum, quæ lustralis aqua dici potest. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 131. ritum hunc Apostolicæ traditioni adscribit. Quidquid sit, constat hunc esse antiquissimum. (A)

etc. novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum, etc. Hic tollatur de aquâ benedictâ ad spargendum in omni loco, ubicunque voluerit. Posteà infundet chrisma in fontem in modum crucis super ipsam aquam, dicens: *Sanctificetur, fœcundetur iste in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen.* Tunc misceat ipsum chrisma cum eâdem aquâ, et spargat cum manu per totum fontem.

ORDO ROM. XII. *Ar ic.* 14. *n.* 30. Pontifex procedit ad fontes, et benedicit eos.

ALCUINUS *de divinis officiis, cap.* 19. Procedit Pontifex ad fontes benedicendos cum omni decore, prosequente cum Clero seu populo: præcedit etiam benedictus cereus, sive duo illi cerei, quos tenent Notarii, ab eodem (*cereo Paschali*) scilicet illuminati, et ampulla cum oleo et balsamo in magnâ reverentiâ... Euntes ad fontes, canunt Litanias ter tantummodò repetendo. Quibus finitis ante fontes, et facto silentio, stante Sacerdote, sequitur benedictio fontis: *Omnipotens sempiterne Deus, et* reliq. Sequitur consecratio fontis, in modum præfationis decantanda: *Eterne Deus, qui invisibili potentiâ Sacramentorum tuorum.* Ad invocationem verò Spiritûs sancti, quem Sacerdos celsâ voce proclamat, id est, alto mentis affectu, deponitur cereus benedictus in aquam, sive illi qui ab eo illuminati sunt, ad demonstrandam scilicet Spiritûs sancti præsentiam, Sacerdote jam dicente, *Descendat in hanc plenitudinem fontis, etc.* Fonte benedicto, accipit Pontifex chrisma cum oleo mixto in vase ab Archidiacono, et aspergit per medium fontis in modum crucis. Tunc Pontifex aspergit cum manu de ipsâ aquâ super populum. Quo facto, accipit populus de ipsâ aquâ in vasculis ad spargendum in domibus suis, seu agris.

S. GREGOR. TURON. *de gloriâ Martyrum, lib.* 1. *cap.* 24.... Die tertiâ, quod est sabbati, convenientibus ad baptizandum populis, adveniens Episcopus cum civibus suis... Tunc cum exorcismo (fontem) sanctificatum, conspersum desuper chrisma, omnis populus pro devotione haurit, et vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrimâ tutaturus: et cùm exindè multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, nunquam tamen vel cumulum minuit: licèt ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, et baptizatis omnibus, lymphis in se reversis, ut initio produntur nescio, ita et fine clauduntur ignaro.

Lib. 2. *de mirac. S. Martini, cap.* 38. Puella quædam.... ab utero matris suæ muta processit.... Mater.... impositâ ori ejus aquâ, quam quondam de fontibus acceperat benedictis,.... interrogat qualem ei saporem præberet. Illa respondit: Bonum. Tunc mater cum gaudio sospitem domum filiam refert.

(A) S. CLEMENS *seu* AUCTOR *Constit. Apost. lib.* 8. *cap.* 29. *Vide locos* §. *litt. seq.*

S. GREGOR. TURON. Episc. *lib. de gloriâ Confes. cap.* 82. *de* S. EUSITIO *recluso.* Quartanariis verò tam præsens beneficium erat, ut aquam tantùm benedictam ad bibendum tribuens, continuò eos redderet sanitati.

Vit. Patr. cap. 4. *de* S. QUINTIANO *Episc. n.* 3. Omnes familiæ quæ in domo illâ erant, à febre corripiuntur, et paruper ingemiscentes spiritum exhalabant. Quod cùm jam die tertiâ ageretur, videns Hortensius

sibi nihil de suis servientibus reservari, timens ne etiam et ipse pariter interiret, ad sanctum virum mœstus ingreditur, projectusque ad pedes ejus cum lacrymis veniam rogat. Quam ille benignissimè indulgens, benedictam aquam domui transmisit, illàque per parietes respersâ, omnis ægritudo protinùs est depulsa.

Baron. S. R. E. Card. *in Annal. Eccles. ad ann. Christi* 132. *n.* 3. In libro item de Romanis Pontificibus de eodem Alexandro Papa hæc leguntur.... *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum...* De aquâ benedictione sanctificandâ; præter id, quod apud S. Clementem est Matthæi nomine apostolica institutio: nonne Paulus ad Timotheum scribens, tradit omnem creaturam per verbum Dei et orationem sanctificari? (1. *Tim.* iv. 5.) Sic igitur non aquæ tantùm, sed et olei, aliarumque rerum hominum usui inservientium, benedictionem ex Apostolicâ traditione jure sibi Ecclesia vindicat, exemplo Christi, qui panem turbæ daturus, anteà (inquit Lucas) illis benedixit, ac posteà fregit, et distribuit Discipulis suis. (*Luc.* ix. 16.)

N. 4. Hujus quidem rei usus semper et ubique viguit in Ecclesiâ Catholicâ, tam apud Orientales quàm etiam Occidentales, divino ubique in miraculorum virtute suffragio comprobatus; et tantùm abest, ut (quod Novatores oblatrant) species sit quædam incantationis atque magiæ, ut potiùs ad eas dissolvendas, aliasque diaboli artes avertendas, ea solita sit adhiberi. Ad hæc namque (quod S. Epiphanius scribit) eâ usus est Josephus Comes tempore Constantini; et quod optavit, feliciter est consecutus. (*Epiphan. Hær.* 30.) Aquæ haud communis, sed quoquo modo sanctificatæ itidem aspersione, S. Hilarion eodem fermè tempore, Gentilis aurigæ magias (ut de eo S. Hieronymus scribit) penitus dissipavit. (*In vitâ S. Hilar.*) Sed et Marcellus Episcopus Apameæ omnem diaboli conatum ne Jovis Apameni famosum delubrum combureretur obnitentis, aquæ signo crucis benedictæ usu penitùs superavit: scribit rem gestam fusiùs Theodoretus (*lib.* 5. *cap.* 21. *Hist. Eccles.*): Macarium itidem aquæ benedictæ virtute magicam imposturam et dæmonum præstigias effugasse, Palladius fide certâ memoriæ commendavit. (*Pallad. Hist. Lausiac. cap.* 8.) S. Germanus Episcopus Antisiodori concitatos diaboli operâ fumentes maris fluctus aquæ in nomine sanctissimæ Trinitatis sanctificatæ aspersione compescuit. (*Beda de Gestis Angl. lib.* 1. *cap.* 17.) Sed quid in his immoror? Sexcenta propemodùm de his adducenda essent exempla, petita ex diversis Sanctorum Actis fideliter scriptis, quibus magicas incantationes, aliasque pravorum dæmonum molitiones, aquæ benedictæ aspersione constat esse fugatas.

V. 5. Aquam igitur benedicendi ad quemcunque usum, antiquam esse traditionem ex Apostolicis fontibus manantem, modò quæ sunt dicta, demonstrant.

Ad ann. Christi 389. *n.* 108. *ex* Theodoret. *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 2. *de* Marcello *Apameæ Episcopo narrat, quòd* cùm aquam signo crucis signasset, Equitium, unum ex Diaconis, fide et pietatis studio egregiè munitum, aquam jubet accipere, ocyùs ad delubrum currere, et cum fide eam spargere, tignisque flammam adhibere. Quâ re confectâ, dæmon aquæ sparsæ vim non ferens penitùs aufugit. Ignis autem, aquâ, suæ naturæ maximè adversariâ, velut oleo fotus, ligna occupat, eaque momento temporis prorsùs absumit. Itaque columnæ, basi sublatâ, corruunt, aliasque duodecim secum dejiciunt: ipsum prætereà templi latus columnis cohærens, violento illarum casu pariter deturbatum est.

Ad annum 598. *n.* 25. *ex vitâ* Theodori *Siceotæ ab* Eleusio *discipulo conscriptâ hæc habet:* Mulier, quæ apud illum habitabat, cùm filium quadriennem cæcum haberet, in ulnis eum suis ad sanctum virum gestavit, et multis lacrymis ante ipsum prostrata, puerum ad pedes ejus deposuit, supplicans, ut lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus cùm pueri oculos obsignasset, eique benedixisset, aquam benedictam matri dedit, præcipiens ut aquâ illâ quotidiè manè oculos lavaret. Quod cùm ter egisset, mater quarto die filium sanum ad sanctum virum adduxit, laudans Deum.

Ad ann. 885. *n.* 6. *de* Stephano PP. VI. *ex* Anastasio *refert quòd, cùm*

I. Quo ritu fit illa benedictio ?

R. Diebus Dominicis ante Missarum solemnia, vel aliâ quavis die et horâ, si necesse sit, Presbyter, amictus superpelliceo vel albâ, stolam habens circa collum, dicit : (*Ex Missal. Rom.*)

Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Deindè incipit exorcismum salis in vâse præparati, aitque :

Exorcizo te, creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum : per Deum qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ (4. *Reg.* II. 21.) ; *ut efficiaris sale exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus sumentibus te sanitas animæ et corporis ; et effugiat atque discedat à loco in quo aspersum fueris omnis phantasia et nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis omnisque spiritus immundus adjuratus per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per ignem.* ℟. *Amen.*

Finito exorcismo recitat sequentem orationem :

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus ; ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene†dicere et sancti†ficare tuâ pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis : et quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatione cœlestis nequitiæ. Per.

Post benedictionem salis, facit exorcismum super aquam, hoc modo :

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa†tris omnipotentis, et in nomine Je†su † Christi filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritûs † sancti : ut fias aqua exorcizata ad effugandum omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas, cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per ignem. ℟. *Amen.*

Facto exorcismo recitat orationem sequentem :

Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacra-

clades itaque locustarum, quæ prædecessoris sui Hadriani videlicet totam patriam penè consumpserant, malè multiplicato germine nasci cœpissent, et omnia replevissent : misertus idem sanctissimus Papa afflicti populi.... ad Ecclesiam Principis Apostolorum veniens, sese cum lacrymis in orationem dedit. Cumque diutiùs orasset, surrexit, et aquam propriis manibus benedicens, Mansionariis præcepit, dicens : Tollite et singulis distribuite, monentes, ut in nomine Domini agros suos circumeant, et hanc aquam spargant per sata et vineas, petentes divinum sibi suffragari subsidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, ut ubicunque ipsa aqua aspersa est, nulla penitùs locusta remaneret.

Ad ann. 944. *n.* 22. De rebus Germanicis valdè mirandum, quòd hoc quidem contigisse anno Frodoardus sic narrat : « In transrhenensibus » Germaniæ regionibus.... per quosdam pagos ignei globi ferri videban» tur in aëre, quanquam nullas illic circumvolantes incenderent domos » et villas. A quibusdam verò locis crucibus oppositis cum benedictione » Episcopali et aquâ benedictâ, repellebantur. » Hæc Frodoardus sui temporis res gestas posteris fidelissimè tradens.

menta in aquarum substantiâ condidisti ; adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene†dictionis effunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum : ut quidquid in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxâ : non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens : discedant omnes insidiæ latentis inimici : et si quid est quod aut habitatorum incolumitati habitantium invideat aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum, etc. ℟. *Amen.*

Mox Presbyter ter mittit sal in aquam in modum crucis, semel dicens :

Commixtio salis et aquæ pariter fiat, in nomine Patris † et Filii † et Spiritûs † sancti. ℟. *Amen.*

Dehinc prosequitur benedictionem, dicens :

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.*

Deus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator : qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter impugnas : te Domine tremente et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices : ut ubicunque fuerit aspersa per invocationem sancti nominis tui, omnis infestatio immundi spiritûs abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia sancti Spiritûs misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum, etc. ℟. *Amen.*

Peractâ benedictione, Presbyter ex aquâ illâ aspergit altare, Clerum et populum : interimque canitur antiphona (*Ps.* L. 9.), *Asperges me hyssopo, et mundabor ; lavabis me, et super nivem dealbabor*, cum Psalmo L. *Miserere.*

Tempore autem Paschali, loco illius antiphonæ et Psalmi, dicitur antiphona, *Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro ; Alleluia : et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt, et dicent : Alleluia, alleluia*, cum Psalmo CXVII. *Confitemini.*

Factâ aspersione, recitat Sacerdos orationem sequentem.

Oremus.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo : per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

I. Cur fit illa benedictio ?

R. Benedictionis hujus ratio et effectus satis superque intelliguntur ex precibus ad hanc benedictionem adhibitis, et suprà descriptis. (B)

(B, S. Clemens, *seu* Auctor *Constit. Apost. lib.* 8. *cap.* 29. De aquâ au-

I. Cur sal benedictum cum aquâ benedictâ miscetur ?

R. Sal symbolum est prudentiæ (C) ; symbolum est et incorruptionis : aqua symbolum est simplicitatis et puritatis. Miscet ergo Ecclesia aquam cum sale, ut quicumque ex eâ aspersi fuerint, careant omni immunditiâ, liberentur à noxâ : non in iis resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, arceantur ab iis omnes insidiæ latentis inimici, sed Spiritu sancto adjuvante sint *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* (*Matth.* x. 16.)

I. Cur fit illa benedictio singulis diebus Dominicis ?

R. Ut populus Christianus die Dominicâ congregatus, aquam hanc deferre possit in domos.

I. Cur hâc aquâ aspergitur altare, deindè Clerus et populus ?

R. Ut ab altari, in quo sacra mysteria celebranda sunt, et ab omni Clero et populo omnis infestatio maligni spiritûs abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia sancti Spiritûs fidelibus adsit misericordiam poscentibus, et mox sacrificium oblaturis per manus Sacerdotis. (D)

tem et oleo.... constituo ego Matthæus ut benedicat Episcopus aquam aut oleum. Sin verò non adsit, benedicat Presbyter, præsente Diacono. Quando autem aderit Episcopus; assistant Presbyter et Diaconus. Hunc verò in modum dicat : *Domine sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, et largitor olei ; misericors, et hominum studiose, qui dedisti aquam ad potum, et expurgationem, et oleum ad exhilarandum vultum in exsultationem lætitiæ* (*Ps.* CIII. 15.) : *ipse et nunc per Christum sanctifica hanc aquam, atque hoc oleum, nomine illius qui obtulit, aut illius quæ oblulit, et da vim effectricem sanitatis, morborumque expultricem, dæmonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem, per Christum spem nostram.*

(C) Marc. IX. 48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. 49. Bonum est sal ; quòd si sal insulsum fuerit : in quo illud condiclis ? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

(D) Durant. Episc. Mimatensis *lib.* 4. *cap.* 4. *de ritib. Eccles.* Sacerdos.... aquam ex institutione Alexandri Papæ primi benedicit : altare. Ecclesiam, et populum aquâ benedictâ conspergit, ut omnis spirituum immundorum spurcitia tam de habitaculo, quà n de cordibus fidelium propellatur : hæc enim virtus aquæ exorcizatæ inest.... In canone Alexandri ita legitur : *Aquam sale aspersam populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur et purificentur, quod et omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus.* (*Hebr.* IX. 13.) *Nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, scilicet à venialibus : multò magis aqua sale aspersa divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat à venialibus. Et si sale aspersa per Eliseum sterilitas aquæ sanata est* (4. *Reg.* II. 21.) : *quantò magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos sanctificat et purgat, et cætera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit, et à phantasmatis versutiis homines defendit....* Circa quod considerandum quòd hujusmodi aspersio aliâ ratione fit super populum et super altaria.... Altare enim aspergitur propter reverentiam Sacramenti quod ibidem consecrandum est, ut indè omnium malignorum spirituum præsentia arceatur : et quemadmodum Christus per altare quod esse debet lapideum significatur secundùm illud Apostoli : *Petra autem erat Christus* (1. *Cor.* X. 4.) ; et fides nostra de uno Christo et non de pluribus est : idcircò ut signum signato respondeat, unico altari asperso universus aspergitur populus : quia ipse solus est qui tollit peccata mundi. (*Joan.* I. 29. Cyprianus Papa ait quòd homines aquâ benedictâ aspergantur, quod valet ad sanctificationem.

I. Cur Presbyter Missam celebraturus, aquâ benedictâ aspergitur ab Episcopo, si coram eo celebraturus sit, non ipse aspergit Episcopum?

R. Quia Episcopus superior est Presbytero, nec decet inferiorem Episcopo et ab eo benedicendum, benedictionem impertiri suo superiori. Episcopus ministerium suum exercet in Presbyterum, non Presbyter in Episcopum.

I. Debetne aqua benedicta ad manum porrigi Dynastis parœchiarum?

R. Debent Dynastæ non secùs ac cæteri de populo aspergi aquâ benedictâ, non manu accipere. In eos enim ministerium exercent Presbyteri non secùs ac in reliquum populum. (E)

I. Cur canitur Psalmus L. *Miserere*, dùm fit aspersio?

R. Quia misericordiam interim petit populus à Deo, *Asperges me*, inquiunt (*Ps.* L. 9.), *hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.* Quàm rectè hic versus totusque Psalmus undè sumptus est huic aspersioni conveniat, nemo non videt.

I. Cur in Ecclesiâ Narbonensi, Montispessulanea, aliisque non paucis aspersio aquæ benedictæ quotidiè fit post Completorium?

R. Petit Ecclesia hoc ritu ut visitet Deus per Spiritum suum habitationem istam, et à fidelibus omnes insidias dæmonum hâc nocte repellat, lavetque eos et mundet à peccatis eâ die commissis. Officium enim Completorii est oratio serotina, quæ recitabatur olim à fidelibus paulò antequàm lecto se darent, ut fit etiamnùm in plerisque Monasteriis, in iis præsertim in quibus viget sancti Benedicti Regula.

I. Cur ponitur aqua lustralis in introïtu Ecclesiarum?

R. Ut ingrediens populus per gratiam Dei hâc aquâ mundatus a peccatis venialibus, preces fundat puriores, impetretque faciliùs quod petierit.

(E *Procès verbal de* l'ASSEMBLÉE GÉNÉRALE DU CLERGÉ de France *des années* 1655. *et* 1656. *du Samedi* 18. *Novembre pag.* 953. Sur ce qui a été représenté par M. l'Abbé de Bonzi Promoteur, que les Curés des villes et villages où il y a des Seigneurs, sont souvent inquiétés pour leur rendre des honneurs qu'ils n'ont pas accoutumé de leur rendre, et particulièrement en l'eau bénite; et qu'il était de la dignité de l'assemblée d'y pourvoir par quelque réglement stable et général; afin que les Curés sachent de quelle façon ils doivent se comporter sur ce sujet. L'affaire mise en délibération, il a été résolu par l'avis des Provinces, que les Curés feront tous les Dimanches l'eau bénite conformément au Rituel, et qu'après avoir aspergé l'autel, et tous les Ecclesiastiques étant au chœur, ils donneront par aspersion de l'eau bénite aux Seigneurs et Dames des lieux étant en leurs bancs ordinaires.

CÆREMONIALE PARIS. *ann.* 1703. *in* 8. *cap. prævium pag.* XV. Caveat præsertim Parochus in aspersione aquæ benedictæ, ne ulli det occasionem offensionis, undè lites, odia et scandala oriantur; docealque Christianos aqua lustrali non purgari, sed fœdari potiùs, qui mente superbâ vanum prærogativæ honorem tunc appetunt, cùm per sinceram animi demissionem, et intimum indignitatis suæ sensum ad rem sacram peragendam fideles dignos se reddere totis viribus debeant.

I. Ritus ille recensne est an antiquus ?

R. Ponebantur olim juxta valvas Ecclesiæ fontes, aut vasa aquâ plena, ut ingrediens populus manus et os lavaret : decebat enim sic fieri, quia ut jam diximus (*hujusce Sect. Cap. 7. §. 22. n. 30.*), sacrum Christi corpus unusquisque extensâ manu acceptum à Sacerdote, ad os deferebat. Id jam in more positum erat quarto et quinto seculo, ut constat ex Eusebio in Historiâ Ecclesiasticâ, S. Paulino, Synesio et aliis. (F) Porrò aquam illam benedici moris erat ; nihil

(F) EUSEBIUS *lib. 10. Histor. Eccles. cap. 4.* Hic sacrarum expiationum signa posuit; fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interiùs sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent.

S. PAULIN. *Epist. 13. aliàs 37. ad Pammach. ubi basilicam Apostolorum ab ipso Pammachio ædificatam describens, ait, n. 13.* Prætento niteus atrio, fusa vestibulo est : ubi cantharum ministra manibus et oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat et inumbrat, non sine mysticâ specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intùs mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur.

Epist. 32. aliàs 12. ad Severum, n. 15.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.

Poëmate 24. de S. FELICE *Natal. 9. carm. 463.*

Forsitan hæc inter cupidus spectacula quæras,
Undè replenda sit hæc tot fontibus area dives,
Cùm procul urbs, et ductus aquæ propè nullus ab urbe
Exiguam hùc tenui demittat limite guttam.
Respondebo, nihil propriâ nos fidere dextrâ,
Nil ope terrenâ confidere ; cuncta potenti
Deposuisse Deo, et fontes præsumere cœlo.
Denique cisternas adstruximus undique tectis,
Capturi fundente Deo de nubibus amnes :
Undè fluant pariter plenis cava marmora labris.
Quòd si etiam interdùm eveniat defectus aquarum,
Ordine disposito varias distincta figuras,
Concharumque modis, et pictis florida metis,
Fortè erit et siccis spectabilis area vasis.
Namque tenes etiam magna Salomonis in æde,
Quàm fuerit decori siccum mare : quod sapiens Rex
Ære dedit solido, et tauris suspendit ahenis.

Poëma 25. de S. FELICE *Natal. 10. carm. 28.*

Interior variis ornatibus area ridet,
Læta super tectis et aperta luce serenis
Frontibus, atque infrà niveis redimita columnis.
Cujus in exposito prælucens cantharus exstat,
Quem cancellato tegit ærea culmine turris.
Cætera dispositis stant vasa sub aëre nudo
Fonticulis, grato variè quibus ordine fixis,
Dissidet artis opus, concordat vena metalli,
Unaque diverso fluit ore capaciùs unda.

S. JOAN. CHRYSOST. *de verbis Apost. 2. Corint.* Habentes, etc. *Serm. 25. inter Homil. de div. Novi Testam. locis, pag. 369.* Quemadmodùm enim solemne est, ut fontes præstò sint in atriis templorum, ut qui preces fusuri sunt ad Deum, manus priùs lotas inter precandum attollant : ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt majores nostri, ut non aliter ac manus abluimus aquâ, priùs per beneficentiam abstersa animâ, tùm demùm preces nostras offeramus.

SYNESIUS *Epist. 121. Anastasio hydrocometæ....* Publicus gladius non minùs quam lustralis aqua, quæ in templorum vestibulis collocatur, civitatis est piaculum.

enim est quo utatur Ecclesia, nisi præmissâ benedictione, ut jam diximus. (*Hujusce Cap.* . 2.) Ritus hic hùc usque perseverat: sunt enim multæ apud nos basilicæ, juxta quarum fores sunt fontes, nullaque est in cujus introitu aqua lustralis non habeatur.

I. Ad quos usus adhiberi debet aqua lustralis?

R. Jam multos illius usus tradidimus. Prætereà deferri debet in domos singulas, ibique decenter et in singulis cubiculis juxta lectum servari, ut eâ aquâ asperganturque singuli in iis habitantes. Illâ quoque aspergi decet quandoque domos, lecta, suppellectilem.

I. Quo maximè tempore fieri debet illa aspersio?

R. Aspergi quemquæ decet aquâ benedictâ manè et vesperè, ante sommum, post sommum, ante orationem, dùm urget tentatio, dùm instat aliquod periculum, dum agitatur aër aliquâ gravi procellâ et tempestate, cùm timetur infestatio dæmonum tempore ægritudinis. Asperguntur quoque cadavera fidelium, cœmeteria, domus ejusque supellex, ut omnis infestatio maligni spiritûs ab iis abigatur.

I. Quâ mente uti quisque debet aquâ benedictâ?

R. Debet unusquisque in spiritu humilitatis et fidei, et in animo contrito lavare se hac aquâ.

In spiritu fidei, quia hæc aqua nihil per se operatur, nisi quatenùs fidem suscipientis vel eà utentis junctam habet precibus Ecclesiæ.

In spiritu humilitatis, *et in animo contrito*, quia aquâ illâ non abluuntur peccata, nisi quis ea detestetur, doleatque de culpis admissis: neque enim peccata remittuntur unquam nisi pœnitentibus.

I. Cur asperguntur aquâ lustrali hominum cadavera, sepulcra, cœmeteria?

R. Asperguntur fidelium cadavera, ut impetretur illis per virtutem aquæ precibus Ecclesiæ benedictæ locus refrigerii, lucis, et pacis.

Asperguntur sepulcra et cœmeteria, ut omnis infestatio malignorum. Spirituum ab iis procul abigatur.

CAPUT NONUM.

De Supplicationibus, quæ Processiones nuncupantur

§. 1. De Processionum origine variisque speciebus. Quæ mens Ecclesiæ sit, qui scopus in variis Processionibus.

I. Fiebantne antiquitùs ab Ecclesiâ supplicationes, quæ Processiones nuncupantur?

R. Statim atque post acerbissimas persecutiones Ecclesiæ data pax est currente quarto seculo, necesse fuit fieri Processiones Ecclesiasticas, quarum et in veteri Testamento vestigia quædam exstant.

Quotiescunque in deserto post maris rubri transitum populus Israëliticus ab uno loco in alium movebatur, totiès procedebant solemni ritu Sacerdotes et Levitæ arcam et vasa omnia ad cultum tabernaculi necessaria deferentes; quod quidem genus Processionis erat, siquidem Psalmos et hymnos canebant procedentes. Dùm arca moveretur, inciperetque Processio, cantores intonabant Psalm. LXVII. *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, etc.* Quod et hodiè initium est omnium Processionum Ecclesiasticarum.

Translatio arcæ ab urbe Cariathiarim in domum Obededom, et indè in Hebron, cujus historia legitur in libro secundo Samuelis, vera Processio fuit. (A)

Solemnis item fuit illa processio, quâ tempore Juliani Apostatæ in urbem Antiochiam è suburbio Daphnitico translata sunt ossa sancti martyris Babylæ, Clero canente Psalmum CXIII. *In exitu Israël de Ægypto*, et populo ad singulos versus respondente, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et omnes qui confidant in eis.* (*Ps.* XCVI. 7. *Ps.* CXIII. 8.) Quâ quidem translatione triumphum egit Ecclesia de idololatriâ, frendente necquicquam Imperatore apostatâ; et insigni miraculo triumphum illum Deus honorari voluit, referentibus omnibus illius ævi Scriptoribus et Patribus. (B)

Nec minor pompa fuit earum Processionum quæ Mediolani factæ sunt ad transferenda solemniter sanctorum Gervasii, itemque SS. Nazarii et Celsi corpora, quæ sanctus Ambrosius Episcopus, cui revelaverat Deus quo loco late-

(A) 2. Reg. VI. 2. Surrexitque David, et abiit, et universus populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam. 3. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tulerunt que eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem et Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum. 4. Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam: 5. David autem et omnis Israël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, et citharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis.... 12. Nuntiatumque est Regi David, quòd benedixisset Dominus Obededom, et omnia ejus propter arcam Dei. Abiit ergo David et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: et erant cum David septem chori, et victima vituli. 13. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem et arietem. 14. Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porrò David erat accinctus ephod lineo. 15. Et David et omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo, et in clangore buccinæ.... 17. Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: et obtulit David holocausta, et pacifica coram Domino. 18. Cumque complesset offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

Socrat. *Histor. Ecclesias. lib.* 3. *cap.* 18. *Vide suprà Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 4. *litt.* (E)

(B) Sozomen. *Hist. Eccles. lib.* 5. *cap.* 19. Rufinus. *Hist. Eccles. lib.* 10. *cap.* 35. Theodoret. *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *Vide supra Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 4. *litt.* (E)

S. Chrysost. *Serm.* 1. *de S. Babyla, quæ est Hom.* 58. *ad populum Antioch. Vide suprà Parte* 2. *Sect.* 3. *cap.* 2. §. 3. *litt.* (H) *et* 2. 4. *litt.* (E)

rent, è sepulcris eruerat. Pompam hanc celebriorem effecêre miracula. Cùm enim corpora SS. Gervasii et Protasii digno cum honore transferrentur in Ambrosianam basilicam, non solùm quos indigni vexabant spiritus, confessis iisdem dæmonibus sanabantur; verùm etiam quidam plures annos cæcus civitati notissimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset atque audisset, exsilivit; eoque se ut duceret suum ducem rogavit. Quò perductus impetravit admitti ut sudario tangeret feretrum SS. Martyrum. Quod ubi fecit atque admovit oculis, statim aperti sunt. Hæc narrant sanctus Augustinus, itemque S. Ambrosius, testes oculati, omni exceptione majores. (C) Narrat quoque Paulinus Diaconus inventis ab Ambrosio corporibus SS. Nazarii et Celsi, dùm in Ecclesiam solemni pompâ deferrentur, liberatum fuisse quemdam à dæmone obsessum. (D) Alia multa exstant exempla antiquissima similium Processionum, quæ hìc referre longum esset et superfluum. (E)

(C) S. AMBROS. *Epist. class.* 1. *Epist.* 22. *ad soror. n.* 2. Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra ad ordinem: transtulimus vesperè jam incumbente ad basilicam Faustæ; ibi vigiliæ totâ nocte, manûs impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Cùm transferimus, cæcus sanatus est.

S. AUGUST. *lib.* 9. *Confess. cap.* 7. *n.* 16. *et lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. *n.* 2. *Vide suprà Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 4. *litt.* (F)

(D) PAULIN. *Diacon. in vitâ S. Ambros. n.* 32. Quo in tempore sancti Nazarii Martyris corpus quod erat in horto positum extra civitatem, levatum ad basilicam Apostolorum quæ est in Romanâ, transtulit.

N. 33. Quo levato corpore Martyris, et in lectică composito, statim ad sanctum Celsum Martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad orationem perreximus. *Cætera vide suprà Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 4. *litt.* (F)

(E) BARON. *in notis in Martyrol. Rom.* 25. *Aprilis.* Vetustissimum sanè morem fuisse in Ecclesiâ Litanias peragere, certissimum est: nam quod spectat ad Ecclesiam Orientalem, S. Basilius *in Epist.* 63. *ad Neocæsarienses* tradit, in eâ Ecclesiâ in usu fuisse Litanias etiam temporibus sancti Gregorii cognomento Thaumaturgi, ejus civitatis Episcopi, qui vixit temporibus Decii Imperatoris; quas postmodùm in cæteris Orientis Ecclesiis constat fuisse frequentatas; adeò ut eas solemniori pompâ etiam Ariani fuerint æmulati, ut scribit Socrat. *lib.* 6. *cap.* 8. et Sozom. *lib.* 8. *cap.* 8. Quas tamen Arcadius Imp. edicto promulgato illis inhibuit, *lib.* 30. *de hæretic. cod. Theod.* Litaniæ etiam reperiuntur dictæ Processiones *can.* 17. *Concilii Laodic. edit.* 2. Constat autem penès Latinos vetustiorem fuisse usum procedendi ad loca Martyrum, ut Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem*, et Hieron. *Epist.* 22. *ad Eustoch.* Easdem itaque sive Litanias, sive Processiones dicere velimus, unusquisque Episcopus in suis Ecclesiis studiosè agere consuevit. Unde de sancto Honorato Episcopo Massiliensi hæc pro magnâ laude Gennadius cap. 99. *Hic Litanias ad supplicandum Dei clementiam cum plebe sibi creditâ pro viribus agit.* Hæc ille. Porrò percelebres, et ab universâ penè Ecclesiâ receptæ sunt illæ, quas S. Mamertus Episcopus Viennensis restituit in Galliis, temporibus Valentiniani tertii imper. anno circiter 452. ut scribit Ado Episcopus Viennen. *in chron.* quæ et Rogationes appellatæ sunt.

In Annal. Eccles. ad ann. Christ. 58. *n.* 112. Sed illud quoque ad ritum precandi spectat, procedentes aliquando consuevisse fideles publico conventu fundere ad Deum preces. De procedendo meminit Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 4.... Est mentio de Processionibus in Conc. Laodiceno,

I. Quæ est origo Processionum ? Quid ejusmodi ritui locum dedit ?

R. Necesse fuit Processiones fieri multiplicem ob causam.

1° Finitis persecutionibus, cùm primùm pace frui licuit, quæ latuerant SS. Martyrum corpora, vel Deo revelante, vel iis quorum curâ sepulta fuerant indicantibus, eruebantur è locis in quibus sepulta fuerant, et indè ad Ecclesiam solemni pompâ transportabantur. Quod fieri utique non poterat nisi clero et populo ad locum sepulturæ procedente, et indè ad Ecclesiam redeunte. Necesse fuit similes Processiones fieri quotiescunque corpora Sanctorum de uno loco ad alium translata sunt, ut sæpiùs translata antiquitùs fuisse constat. (F)

2° Quotiescunque Episcopus sacrarum Missarum solemnia solemniter erat et ritu Pontificali celebraturus, toties, ut etiammùm fit in Ecclesiâ Narbonensi aliisque non paucis, omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique de Clero ad domum Episcopalem solemniter procedebant, Episcopumque Pontificalibus vestibus indutum ducebant in Ecclesiam, interim antiphonas et Psalmos concinentes: quæ vera processio est. (G)

can. 17. Easdem à Patribus dictas esse Litanias, quòd expiationis causâ indici publicè consueverint, multa exempla declarant. Has ipsas in Ecclesiâ magni Gregorii, cognomento Thaumaturgi, peragi solitas auctor est Basilius scribens ad Neocæsarienses *Epist.* 63. Frequentatas easdem tam in Orientali quàm in Occidentali Ecclesiâ fuisse, in diesque magis illustratas constat.

Lege NICOLAI SERARII S. J. *de Processionibus lib. maximè verò caput* 3. *in quo de Processionum antiquitate fusè disserit ; ac suprà allata exempla et similia multa congerit ad id probandum. Hæc reperies Tom.* 3. Opuscul. Theolog. *post Prolegomena Bibliaca edita fol. Moguntiæ* 1612.

Lege etiam JACOBI GRETSERI S. J. de Catholicæ Ecclesiæ Processionibus *librum editum Ingolstadii*, 1606. *in* 4.

(F) *Vide Auctoritates suprà allatas hocce* §. *litt.* (B) et (C) ; *nobis eas hic exscribere non vacat.*

(G) NICEPHORUS *lib.* 13. *cap.* 8. Ariani sub Theodosio sacris ædibus expulsi, extra urbis mœnia Ecclesias conventusque suos agebant. Prius autem nocturno tempore in publicis porticibus congregati, atque in choros suos segregati, carmina quædam alterutis antiphonarum modo sibi invicem respondentia, ad hæresis suæ placita accommodata, concinnè canebant et noctem multam in ejusmodi psalmodiâ consumebant. Sub auroram autem publicè eadem concinentes, extra urbem in eâ ubi Ecclesias habebant loca PROCEDEBANT.... Sed enim Joannes, (*Constantinopolitanus Patriarcha*) ne aliqui ex Ecclesiâ suâ ejus generis cantibus demulsi, ab illis seducerentur, ad eumdem modum contra illos psalmodiam suam instituit. Et brevi ea celebrior, quàm adversariorum esset, facta est : ut quæ et multitudine, et honorifico PROGRESSU illos superarei. Nam eam cruces argenteæ cereos incensos habentes præibant, Eudoxiâ Imperatoris conjuge impensas ad eam rem præbente.

MARCUS Diac. *in vitâ* S. PORPHYRII Episc. *apud* BOLLANDUM, 26. *Februarii, cap.* 3. *n.* 19. Congregati Christiani cum viris et feminis et pueris numero ducentis et octoginta, rogarunt S. Porphyrium ut cum eis egrederetur, ut dimitteretur pluvia.

V. 20. Cùm fuisset autem manè, acceptò signo venerandæ crucis, quod nos præcedebat, egressi sumus cum hymnis ad antiquam Ecclesiam.

CONC. LAODICENUM I. *can.* 55. *sub* SYLVESTRO I. *ex vers. Dyonisii exigui* Quòd non oporteat Presbyteros ante processionem Episcopi introire sacra

3° Sæpè fiebant stationes in variis Ecclesiis, ad quas procedebat Sacerdos Missam celebraturus, comitante Clero et populo, et per viam Psalmis et Hymnos concinente. Peractoque ibi solemniter officio, ad Ecclesiam eodem ritu revertebatur. Hujusmodi stationum exstant vestigia in Missali Romano, in quo etiamnùm legitur: *Hodiè fit statio ad sanctam Anastasiam; ad S. Laurentium extra muros, ad S. Clementem, etc.* Qui ritus in omnibus ferè Ecclesiis retentus, primævæ est antiquitatis: leguntur enim ejusmodi stationes præscriptæ in Sacramentario Gregoriano, imò et in Gelasiano. (H)

rium, et sedere; sed cum Episcopo debent ingredi, vel in subselliis sedere; nisi forsitan infirmitate detineatur, aut proficiscatur Episcopus.

(H) Ord. Rom. I. *apud* Mabill. *Tom.* 2. *Musæi Ital. n.* 1. Primò omnium observandum est, septem esse regiones Ecclesiastici ordinis urbis Romæ.... Nam primò scire oportet, ut post numerum Ecclesiasticarum regionum sciat, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obsequantur. Nam prima feria regio tertia, id est, Paschæ: secunda feria, regio quarta; tertia feria, regio quinta; quarta feria, regio sexta; quinta feria, regio septima; sexta feria, regio prima; Sabbato, regio secunda. Ordines proprios tam in Processione, quàm in Ecclesiâ, vel ubicunque eos propria dies ratione sui gradùs prisca statutio ire vel ministrare eò impulerit, à ministerio Pontificis non poterit sine ullâ sui deesse excommunicationis vel animadversionis sententiâ disciplinæ. Quorum ministeria primitùs secundùm rationem simplicem dupliciter diebus singulis dividuntur, id est, in Processione Apostolici ad stationem, et in egressu sacrarii usque ad Missarum consummationem.

N. 2. Diebus itaque solemnibus, sicuti est Paschæ, primò omnes Acolythi regionis tertiæ, et defensores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranensi, præcedunt Pontificem pedestres ad stationem. Stratores autem laïci à dextris et à sinistris equi ambulent, ne alicubi titubet. Qui autem eum equitantes præcedunt, hi sunt: Diaconus, Primicerius, et duo Notarii regionarii, defensores regionarii. Subdiaconi regionarii. Procedunt verò divisis turmis, spatium inter se et Apostolicum facientes. Post equum verò hi sunt qui equitant: Vice-Dominus, Vestararius, Nomenculator, atque Sacellarius. Unus autem ex Acolythis Stationarius præcedit pedester equum Pontificis, gestans sanctum chrisma manu in mappulâ involutâ cum ampullâ. Sed et omnes Acolythi absque sacculis, et sindonibus, et chrismate non procedunt: quod disponit Stationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem, si equitat, statim ut eum viderit, descendat de equo, et ex latere viæ exspectet, usque dùm ab eo possit audiri. Et petitâ ab eo benedictione discutiatur à Nomenculatore vel Sacellario causa ejus; et ipsi indicant Pontifici, et finiunt. Quod et similiter observabitur, etiamsi absque ullâ petitione ei quisquam obvius fuerit. Qui verò pedester fuerit, tantumnodò loco suo figitur, ut ab eo audiatur, vel benedicatur.

N. 3. Die autem Resurrectionis Dominicæ, procedente eo ad sanctam Mariam, Notarius regionarius stat in loco qui dicitur Merulanas, et salutato Pontifice dicit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi baptizati sunt hesternâ nocte in sanctâ Dei genitrice Mariâ infantes masculi numero tanti, fœminæ tantæ.* Respondet Pontifex, *Deo gratias.* Et accipit à Sacellario solidum unum: Pontifex autem pergit ad stationem. Feriâ secundâ ad remissa simpliciter. Feriâ tertiâ in reflexione porticus sancti Pauli, tantùm item qui pedestres obsequuntur. In die verò sancti Paschæ omnes Acolythi regionis tertiæ simul et defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in Patriarchio Lateranensi, ut dùm processerit Pontifex, equum illius præcedant. Acolythi autem, qui indè fuerint, observant, ut portent chrisma ante Pontificem, et evangelia sindones et saccellos, et Aquamanus post eum, sicut supra diximus, Apostolum autem

Subdiaconus, qui lecturus est, sub curâ suâ habebit Evangelium. Archidiaconus, Aquamanus, patenam quotidianam, calicem, scyphos et pugillares (alios argenteos) et alios aureos, et gemelliones argenteos, collatorium argenteum et aureum, et alium majorem argenteum; amas argenteas, cantatorium et cætera vasa aurea et argentea, crucesignata aurea et argentea, de Ecclesiâ Salvatoris per manum primi Mansionarii sumunt, et bajuli portant. Diebus verò festis calicem et patenam majores, et Evangelia majora de vestiario dominico exigunt sub sigillo vestiarii per numerum gremiarum, ut non perdantur. Sellam autem Pontificis Cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata sit dùm in sacrarium venerit.

N. 4. Ad denuntiatam stationem diebus festis primò manè præcedit omnis Clerus Apostolicum, ad Ecclesiam, ubi statio antèa fuerit denuntiata, exceptis his, qui in obsequio illius comitantur, ut suprà diximus: et exspectantes Pontificem in Ecclesiâ cum supplementario et bajulis, et reliquis qui cruces portant, sedentes in Presbyterio: Episcopi quidem ad sinistram intrantium, Presbyteri verò ad dextram, ut quando Pontifex sederit, ad eos respiciens, Episcopos ad dextram sui, Presbyteros verò ad sinistram contueatur. Sed dum venerit Pontifex propè Ecclesiam, exeuntes Acolythi et Defensores ex regione illâ, cujus dies ad officium fuerit, in obsequio præstolantur eum loco statuto, antequàm veniat ubi descensurus: similiter et Presbyter tituli vel Ecclesiæ, ubi statio fuerit, una cum majoribus domûs Ecclesiæ Romanæ vel Patre diaconiæ (si tamen illa Ecclesia diaconiæ fuerit) cum subdito sibi Presbytero et mansionario thymiamaterium deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dùm venerit. Primùm Acolythi cum Defensoribus, deinde Presbyteri cum suis petitâ benedictione, divisis hinc indè partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam. Advocatores autem Ecclesiæ stant quidem cum majoribus, non autem præcedunt cum eis; sed ipsi tantummodò sequuntur Sellarem Pontificis cum Acolytho, qui aquamanus portat. Quem semper necesse est sequi Pontificem, usque dùm ad altare ascendat, paratus sub humero in presbyterio, quando vocetur à Subdiacono regionario ad aquam dandam.

ORDO ROMAN. II. *n.* 1. Denuntiatâ statione diebus festis, primò manè præcedit omnis Clerus Pontificem ad Ecclesiam, exceptis qui obsequio illius comitantur, qui ordine suo scribuntur, exspectantes Pontificem in Ecclesiâ. Sed dùm venerit Pontifex propè Ecclesiam, exeuntes Acolythi et Defensores ex regione illâ, cujus dies ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequàm veniat ubi descensurus est. Similiter et Presbyter tituli vel Ecclesiæ, ubi statio fuerit, unà cum majoribus domûs illius civitatis, vel Patre Diaconiæ (si tamen illa Ecclesia Diaconiæ fuerit) cum subdito sibi Presbytero et Mansionario, thymiamateria deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dùm venerit. Acolythi quidem cum Defensoribus primùm, deindè Presbyteri cum suis petitâ benedictione, divisis hinc indè partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam.

Domn. JOAN. MABILLON Monach. Bened. e Congreg. S. Mauri *Comment. in Ord. Rom. n.* 5. Stationis vox ambigua.... hoc loco sumitur pro concursu populi ad locum indictum, id est, ad Ecclesiam, in quâ processio Clericorum consistit statis diebus, ad statas preces faciendas. Antiquus quippè in urbe ritus est, ut certis diebus Clerus Romanus in unam aliquam Ecclesiam conveniat supplicationis causâ, ubi sacra fiunt, aliaque divina officia. Cleri Romani processio in illas stationes duplex est, solemnis aut privata. Hæc fit, cùm unusquisque privatim in locum indictum se recipit: solemnis verò, cùm solemni more, decantando Litanias aliasque preces, Pontifex aliique omnes eo sese recipiunt. Processiones solemnes præcedit Collecta, id est, coadunatio Clericorum in unâ Ecclesiâ ut ex eâ, quasi agmine facto, in locum stationis procedatur: sic dicta, quòd in eo loco Clerus cum populo colligatur ad faciendam processionem solemnem. Et quia in loco, ubi fit collecta, oratio super populum funditur ante processionem, inde fit quod ejusmodi orationes etiam Collecta appellantur.... Ejusmodi collectæ fiebant præcipuè in Quadragesimâ, et in singulis tribus quatuor temporum, propterea quòd illis diebus solem-

4° Quotiescunque urgebat aliqua publica calamitas, indicebantur preces extraordinariæ ab Episcopo. Ad sepulcra Martyrum procedebat Episcopus, comitante Clero et populo, preces ejusmodi et vota redditurus : inter eundum canebantur Psalmi, in reditu Litaniæ Sanctorum, ut fit etiamnùm. Processiones illæ vocabantur *Litaniæ*, seu *supplicationes* : quod nomen hodieque *Processionis* retinent. Nam Processio, quæ quotannis fit in festo sancti Marci dicitur *Litania major* : et Processiones quæ fiunt in Rogationibus, dicuntur *Litaniæ minores.* (1)

nis Processio celebrabatur : at quia fortè privata erat aliis temporibus Processio, nullæ collectæ assignantur, in veteri indice Collectarum et Stationum.

Gregorius Magn. stationes, anteà vagas vel certis Ecclesiis scripto non addictas, in suo Sacramentario constituit, *Ordinavitque per basilicas vel beatorum Martyrum cœmeteria*, testante Joanne Diacono in ejus Vitæ *lib.* 3. *cap.* 18. Primùm verò stationes illæ institutæ fuerant vel ob Sanctorum natalitia, vel ob dies publicæ Processionis, sive Missæ sacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob Sanctorum natalia fiebant in eorum memoriis vel in cœmeteriis, id est, in Ecclesiis super eorum tumulos constructis, quæ ob id cœmeteria quandoque appellantur. Hinc cùm notissimæ essent Sanctorum festivitates et memoriæ, non erat necessarium ad harum stationum diem et locum assignare in Sacramentariis, in quibus quæcunque propriæ Sanctorum Missæ habebantur, publicas olim stationes exigebant. At verò stationes aliorum dierum, putà Quadragesimæ, quatuor temporum, Adventûs, Natalis Domini, Paschatis, et similium, cùm incertæ essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio ad quamnam Ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Undè Gregorius eas certis diebus in suo Sacramentario addixit, ut à cunctis cognosci possent. Eas porrò constituit passim in basilicis præcipuis, scilicet patriarchalibus et titulis ; aliquando tamen in diaconiis et in oratoriis, ut in oratorio sancti Pancratii, in quâ idem sanctus Pontifex Homiliam habuit. Gregorius secundus supplevit vacantes aliquot Quadragesimæ dies, nempè in feriis quintis ; quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis Ecclesiis statuit.

(1) Dom. JOAN. MABILLON Monachus Bened. è Congr. S. Mauri, *Comment. in Ord. Rom. n.* 5. *pag.* 34. Cæterùm ejusmodi processiones, non rarò Litaniæ appellantur apud antiquos Auctores. Inter primos numerandus est Arcadius Augustus, qui in rescripto adversùs hæreticos, dato ad Clearchum urbis Præfectum, *interdicit iis omnibus ad Litaniam faciendam intra civitatem, noctu vel interdiu profanis coïre conventibus.* Ubi Litania pro supplicatione, seu Processione videtur usurpari. Quanquam temporis processu preces et rogationes, quæ in ejusmodi supplicationibus fiunt, Litaniæ vocabulo magis propriè significari mos fuit, sed maximè Sanctorum invocationes. Appositè Walfridus Strabo in capite 28. « Notandum » autem Litanias non tantùm dici illam recitationem nominum, quâ » Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cunctæ, » quæ in supplicationibus fiunt, Rogationes appellari. » Principio tamen Litaniæ nomine significabatur solummodò initium nostrarum Litaniarum, ita ut *Kyrie eleison* pluries frequentaretur : quo sensu accipitur non semel in Regulâ sancti Benedicti. Eodem sensu usurpatum legitur in vetusto Ritu di Romanæ Ecclesiæ, quod nobis exhibet codex Casinensis, ubi de Assumptione beatissimæ Virginis supplicatio præscribitur cum ter centenâ repetitione Litaniæ nostræ initialis. Verba ipsa hùc adscribo : « In » Assumptione sanctæ Mariæ, in ipsâ vesperâ vigiliarum, præparatur » quoddam portatorium in sancto Laurentio apud Lateranos : suppositâ- » que tabulâ, imagine Christi Domini nostri insignitâ, à medio noctis » concurrente populo, exeunt cum Litaniis ad sanctam Mariam minorem, » mundatis per viam plateis, et suspensis per domos lucernis : ibique in

5° Antiquissimus est ille ritus quod hodieque retinetur, ut cùm Episcopus primùm intrat in urbem, mittendus in possessionem sedis suæ Episcopalis; vel cùm accedit ad oppidum aliquod suæ diœcesos visitaturus parochias, obviam ei procedat Clerus et populus Pontificem suum solemniter ad Ecclesiam deducturus: interimque canantur cantica et Psalmi. Quod fiebat quoque antiquitùs (ut nunc fit) quoties Rex vel supremus aliquis Princeps accedebat ad urbem aliquam suæ ditionis. (K)

6° Tandem in funeribus et obsequiis solemnis ille mos semper fuit, ut fidelium defunctorum cadavera è domo in Ecclesiam, ab Ecclesiâ peracto sacro in locum sepultura solemni ritu deferrentur, ut nunc fit; interimque Psalmi canerentur. (L)

Hæc ferè origo est et primæva ratio Processionum. (M) Succedente tempore factæ sunt Processiones variàs ob causas, in quibus ab Ecclesiâ proceditur ad circumeunda loca quædam, et sine ullâ statione ad Ecclesiam reditur, canunturque interim Psalmi et Cantica. Sed mos ille procedendi, et nullibi factâ statione ad Ecclesiam redeundi, nec antiquus est, nec ubique receptus. Antiquitùs enim, ut fit etiamnùm Parisiis aliisque in Ecclesiis non paucis, nulla fiebat unquam Processio sine statione.

Processio quæ fit in ramis Palmarum, in festo Purificationis, in festo Ascensionis, in festo corporis Christi; Processio quæ fit diebus Dominicis et in præcipuis solemnitatibus ante Missam parochialem, vel capitularem, vel conventualem; Processiones quæ manè vel vesperè fiunt quan-

» gradibus sanctæ Mariæ depositâ aliquandiù iconâ, omnis chorus virorum, ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam » pectora cædentes, unâ voce per numerum dicunt centies, KYRIE ELEISON, centies, CHRISTE ELEISON, item centies, KYRIE ELEISON: fusisque » lacrymis et precibus, per sanctum Adrianum rectâ viâ vadunt ad sanctam Mariam majorem, auditâque Missarum celebritate, ad palatium » revertuntur. »

(K) BARONIUS S. R. E. Card. *Not. in Martyrol. Rom.* 25. *April. Vide suprà hocce* §. *litt.* (E)

LUDOV. THOMASSINUS Orat. D. J. Sacerd. *de antiquâ Eccles. disciplinâ part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 58. *n.* 6. Usus circumferendæ in publico crucis ortum duxisse videtur à Processionibus publicis, ubi et jussu Chrysostomi olim circumgestatæ sunt ita perhibente post Socratem Sozomeno.... Prohibuit Justinianus *Novel.* 123. ne qua Processio fieret, nisi prælatâ cruce, quæ iter panderet, et signaret se quasi fidelium pietati.... Ubi in conspectum venere Regis Augustinus et socii, crux præibat argentea cum imagine Christi. Beda lib. 1. cap. 25. « Veniebant crucem pro vexillo ferentes » argenteam et imaginem Domini Salvatoris in tabulâ depictam; Litaniasque canentes Domino supplicabant. »

(L) S. CLEMENS, seu AUCTOR *Constitut. Apost. lib.* 6. *cap.* 30. In funeribus mortuorum cum psalmis deducite eos, si fuerint fideles in Domino.

S. AUG. *Serm.* 172. *aliàs* 32. *de verbis Apost. cap.* 1. *n.* 2. Proindè pompæ funeris agmina exsequiarum... vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mortuorum.

(M) *Hæc videre est fusiùs probata apud suprà laudatos Auctores* SERARIUM *et* GRETSERUM, *in libris quos* de Processionibus *ex professo conscripserunt.*

denique intra ambitum Ecclesiæ, vel circumeundo claustra monasterii, vel ambitum parochiæ, vel per campos in parochiis ruralibus. Processiones, inquam, illæ multis in Ecclesiis fiunt sine ullâ statione. Multæ autem Ecclesiæ retinuerunt ritum veterem faciendi semper stationem aliquam in omnibus illis Processionibus.

I. Quæ ratio fuit instituendi *mox* enumeratas à te Processiones?

R. Varia ratio fuit pro variis Processionum generibus.

1° Jam egimus de Processionibus quæ fiunt in ramis Palmarum, in festo Purificationis, et in festo corporis Christi. (*Hujusce Operis Parte* 2. *Sect.* 2. §§. 8. 9. *et* 15.)

2° Intra ambitum Parochiarum fiunt Processiones, ut impetretur a Deo per Ecclesiæ preces benedictio super fructus terræ, super domos singulas, et omnes habitantes in eis: ideoque multis in Diœcesibus solet deferri vas aquæ lustralis in ejusmodi Processionibus, ut illâ aquâ aspergantur campi et domus in eundo et redeundo.

3° Ob eamdem forte rationem fit singulis Dominicis diebus, ante Missam parochialem vel conventualem, Processio in circuitu interiori vel exteriori Ecclesiæ, et quandoque in circuitu Parochiæ; et in Monasteriis in claustri circuitu: Monachorum enim cellulæ, ut norunt omnes, in claustrorum ambitu ædificantur. Itaque Ecclesia ad solemnem sacrosancti Sacrificii oblationem congregata, singulis diebus Dominicis ante Sacrificii oblationem percurrit domos, ut impetret à Christo gratiosibus suis pacem omnibus in iis habitantibus, et ad sacrificium congregatis; simulque abigantur indè omnes diabolicæ fraudes, omnes incursus latentis inimici arceantur ab iis locis. Proindè multis in Ecclesiis ad ejusmodi Processionem defertur aqua lustralis, ut fiat ejus aspersio transeundo per domos. In Parochiis ad officii divini compendium hæc Processio fit intra ambitum vel Ecclesiæ vel adjacentis cœmeterii. Sed in majoribus festis, in quibus officium majori pompâ et solemnitate celebratur, ante Missam Processio fit intra ambitum parochiæ.

I. Cur in publicis calamitatibus Episcopi Processiones indicunt?

R. Ejusmodi Processionum originem jam tradimus; earumque ratio per se patet. In publicis calamitatibus Episcopi populos excitant ad flectendam omnimodis iram Dei. Quapropter jejuniis, supplicationibus, eleemosynis, et sacrosancto Christi corpore palàm exposito divinam ultionem averti satagunt. Solemniter procedunt, comitante Clero et populo, ad ea loca in quibus protectionis suæ Deus fecit ostensionem. Circa urbium et parochiarum ambitum fieri Processiones jubent, ut placatus Deus Ecclesiæ precibus effundat benedictionem suam in loca singula et fideles ibi habitantes.

I. Cur tempore Paschali frequentiores Processiones fiunt quàm reliquo anni tempore?

R. 1° Ut teneris adhuc terræ fructibus, et variis periculis eo maximè tempore expositis, benedictio divina Ecclesiæ precibus impetretur.

2° Fortè etiam ut exprimantur variæ Christi apparitiones factæ Apostolis et Discipulis ab ejus Resurrectione ad Ascensionem in cœlum.

I. Cur multis in Ecclesiis fit Processio cæteris solemnior in die Ascensionis?

R. Ut exprimatur triumphus Christi in cœlum ascendentis.

Eadem ob causam in Galliis fit in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis solemnis Processio, quâ exhibetur triumphus sacratissimæ Virginis Deiparæ in cœlum assumptæ, ex voto Ludovici XIII. Regis Christianissimi; qui ut se Regnumque suum subjiceret clientelæ beatissimæ Virginis, Processionem hanc quotannis in perpetuum faciendam curavit.

I. Processionem quæ fit in die Ascensionis cur præcedunt Processiones tres, quæ fiunt in triduo Rogationum?

R. De supplicationibus seu Processionibus, quæ fiunt in triduo Rogationum, jam egimus in secundâ Parte hujus Operis (*Sect.* 4. *Cap.* 7.), ubi de abstinentiis præscriptis sermo fuit.

Maximè autem verisimile est ad ejusmodi supplicationes Ecclesiam assignasse triduum ante Ascensionem, ut intelligamus neminem participem fore triumphi Christi in cœlis, qui non particeps prius fuerit ejus laboris, juxta illud Apostoli (*Rom.* VI. 5.), *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*

Item ut intelligamus neminem introducendum in civitatem cœlestem, qui prius non vixerit in terris ut advena et peregrinus; juxta illud effatum sancti Augustini, *Qui non gemit ut peregrinus, non gaudebit ut civis.* (*S. Aug. Enarr. in Ps.* CXLVIII. *n.* 4.)

Præcedunt ergo supplicationes tres laboriosæ, quæ fiunt in triduo Rogationum cum jejunio vel abstinentiâ. Succedit Processio triumphalis quæ fit in die Ascensionis cum lætitiâ et jubilo.

§. 2. De ordine et ritu Processionum. Itemque de precibus quæ in illis fieri solent, maximèque de Sanctorum Litaniis.

I. Cur multarum in Galliâ Diœceseon hic mos est, ut quandiù fit Processio tandiù campanulæ ab apparitoribus Ecclesiæ in itinere pulsentur?

R. Ut de incessu Processionis singuli hoc tinnitu præmoniti planum et expeditum iter faciant, possintque adjungere se Processioni, et eam decenter vel spectare transeuntem,

vel excipere ubi pervenerit ad locum stationis. Eamdem ob rationem pulsantur majores campanæ in Ecclesiâ undè Processio exit, itemque in eâ ad quam progreditur.

I. Cur fertur in singulis Processionibus crux erecta, et multis in diœcesibus vexillum, in quo depicta effigies est SS. Ecclesiæ Patronorum?

R. Ut significetur fideles sequi vexillum crucis Christi, et incedere sub clientelâ SS. Ecclesiæ Patronorum.

I. Cur multis in Ecclesiis fertur ante crucem liber Evangeliorum, et aqua lustralis?

R. Fertur Evangeliorum liber, ut exprimatur quod ait Psaltes Regius, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lux in semitis meis.* (*Ps.* CXVIII. 105.)

Fertur aqua lustralis, ut jam diximus (§. *super.*), ad faciendam ejus aspersionem quàcunque transit Processio.

I. Cur in plerisque Ecclesiis deferuntur cerei accensi inter mediam crucem?

R. Deferebantur olim honoris causâ ante Principes et Magistratus cerei accensi, ut jam diximus (*hujus Sect. Cap.* 6. §. 5.); ad ejus rei imitationem, honoris causâ cerei accensi deferuntur inter mediam crucem in Processionibus.

I. Cur in solemnibus Processionibus ante crucem defertur thuribulum fumigans?

R. 1° Ut spargantur suaves odores quàcunque crux delata transit.

2° Ut significetur quod ait Apostolus, *Christi bonus odor sumus in omni loco.* (2. *Cor.* II. 15.)

R. Cur in processu Cleri, juniores ordine gradiuntur primi, digniores sequuntur?

I. Ritus hic ex usu vitæ civilis invaluit. Qui enim sunt in comitatu viri Principis, qui cum honore et pompâ quòpiam deducitur, gradiuntur primi, ipse autem Princeps comites sequitur. Igitur in Processionibus, qui graditur ultimus, locum honorificentiorem tenet: et certè in Processione sanctissimi Christi corporis, ultimo loco post Clerum graditur qui sacrosanctum Christi corpus tenet præ manibus.

I. Cur post Clerum graditur populus?

R. Quia grex sequitur Pastorem. Quoniam autem locus Pastori proximior honorificentior est, id ircò digniores de populo Clerum proximè sequuntur in Processionibus. Sed quia ritus ille procedendi res est arbitraria, pendens ex vario Regionum more, idcirco non una eademque est ratio incedendi in singulorum Ecclesiarum Processionibus.

I. In Processionibus cur non tenetur iter idem in redeundo quod in eundo?

R. Ut quasi circulus fiat, pluraque loca gradiendo percurrantur, et precibus Ecclesiæ transeuntes benedicantur et sanctificentur.

I. Quid observandum in Processionibus?

R. 1° Eâ mente agenda Processio est, quâ instituta fuit. Deum enim in spiritu et veritate adorari oportet. (*Joan.* IV. 24.) Et Judaïcè se gerit non Christianè, qui cùm litteram teneat, spiritum et mentem non assequitur.

2° Incedendum graviter, non festinanter, suo quisque ordine, viri primùm, deindè mulieres, quantùm fieri potest seorsùm à viris.

3° Incedendum modestè, oculis non hùc illùc vagantibus, tacitè et nemini loquentes per viam, nisi urgeat necessitas.

4° Non linquenda medio in itinere Processio, sed quantùm fieri potest usquequò redierit in Ecclesiam prosequenda.

5° Jungenda vox choro psallentium et canentium per totum iter, si fieri possit; sin minùs, orandum tacitè, et accommodandæ preces scopo Processionis.

6° Ubi perventum est ad locum stationis, orandum simul cum choro; et cavendum maximè ab eorum vel impietate, vel segnitie, vel supinâ ignorantiâ, qui dùm Ecclesia ibi congregata preces fundit, qui præcipuus est Processionis scopus, exeunt ad comessandum, vel stant extra locum stationis confabulantes, nec adjungunt se Processioni priùs quàm exeatur è loco stationis.

I. Quid observandum à Clero in Processionibus?

R. 1° Nullæ faciendæ Processiones insolitæ, quæ non indictæ vel approbatæ sint auctoritate Ordinarii.

2° Ad amussim observanda quæ præscripta sunt in Processionali circa Rubricas et præscriptas preces, vel ab Episcopo sive in cursu visitationis, sive extra cursum visitationis aliquid statuente circa preces, ritus, loca stationum, procedendi ordinem, etc.

3° Singuli de Clero debent ad chorum convenire ad preces ante Processionem cani solitas, rursùsque ad chorum reverti post reditum, nec priùs exire quàm ultima Collecta recitata sit.

4° Modestiæ et gravitatis in incessu et in cantu debent cæteris exemplum dare; ut hoc modo pietatem et religionem spirantes, populum comitantem et spectantem ædificent.

5° Si fortè occasione Processionis alicujus advertant abusum sensim irrepere, de eo quàm primùm Episcopum vel Episcopalem jurisdictionem exercentem monitum curent. (A)

(A) Concil. Provinc. Mediolan. I. *Part.* 2. *de Processionibus*, *pag.* 31. Generales Processiones à Cathedrali, vel cujusque loci majori Ecclesiâ proficiscantur, et eòdem revertantur, nisi aliud Episcopo videatur. Eas Canonici et alii Clerici etiam cujusvis dignitatis sint, cum superpelliceis et usitatis aliis sacris vestibus statuto tempore semper obeant.... Cruces Clerici ferant, talari veste et superpelliceo induti, iisque ejusmodi sint, ut eam aptè et decorè ferre possint. Omnes ordines graviter et modestè procedant, colloquiisque exclusis, psalmis, hymnis et reliquis sacris precibus operam dent.

Nemo ordinem in Processione deserat, antequàm ad Ecclesiam undè profecti sunt, redierint.

Laïcis à Clericis, feminæ à viris separatim prosequantur....

Ea modestia et reverentia adhibeatur, quæ piis et religiosis hujusmodi actionibus maximè debetur.

Ne inter viam inaniter spectandi gratiâ subsistatur.

Ne petulanti facto dictove cuiquam molestia afferatur.

Ne quæ minùs deceant, spectacula adhibeantur.

Neve actiones pro foribus ædium, aut in viâ repræsententur.

Qui secùs fecerint, severè coërceantur.

Concil. Provinc. Mediol. II *Decret.* 9. *pag.* 56. Clerus cum in aliquam Ecclesiam, vel ad Processiones, vel ad Stationes obeundas, vel ad funus convenerit: illud meminerit, se esse in domo Dei sanctâ, quæ domus est orationis (*Luc.* XIX. 46.): quare nullus cujusvis ordinis Clericus aut Sacerdos in Ecclesiâ deambulet, nec in confabulationibus, et congressibus eo loco indignis versetur: sed unusquisque, aut solus, aut comitibus sociisque aliis adjunctis, religiosas preces Deo in causâ adhibeat, quamobrem Clerus universus convocatus est.

Cùm autem Statio celebratur, ne ullus item Clericus extra Ecclesiam maneat: sed omnes intùs sint, omnique pietatis consensione, Deo statas illas preces canant.

Concil. Provinc. Mediol. IV. *Tit. de Process. pag.* 127. Cùm supplicationes publicas, solemnesque fieri opus erit: primùm earum causâ Processiones agantur: deindè Missa solemniter celebretur, nisi aliter ob causam Episcopus aliquando jusserit. Clerus etiam regularis, piarumque Confratriarum homines, populus denique omnis, cùm ad Ecclesiam ubi supplicandi causâ statio fiat, processerint, indè ordine item redeant ad Ecclesiam, undè discesserint, ut etiam primo Concilio provinciali decretum est: nisi Episcopi præscripto, in Ecclesiâ ad quam ventum est, Processio absolvenda et dimittenda sit: tuncque indè ad suas quique Ecclesias, benedictione Episcopali, aut missione de more factâ, collegialim cruce præcedente abeant licet, peractis ante supplicationem, prout ritus est, solemnibus precibus, atque orationibus. Quæ verò in hoc supplicationis munere, precum et orationum officia, in Ecclesia ad quam itum est, quæcunque illa sit, peragenda sunt; à Capitulo cathedralis: in diœcesi autem, à Clero primariæ secularis Ecclesiæ, non illius ad quam supplicandi causâ processum est, ritè præstentur; nisi antiqua consuetudo aliud suaserit. Missæ item sacrificium, cùm ibi faciendum est, illud à Capitulo Clerove cathedralis; et in diœcesi primariæ secularis Ecclesiæ solemniter fiat. Quo tempore reliquus Clerus discedat licet, missione solemniter factâ, ut in suis quisque Ecclesiis conventualem parochialemve Missam concelebret: nisi aliter quandoque Episcopus jusserit. Clero ad Ecclesiam convenienti, Processionis, supplicationis, alteriusve ejusmodi officii causâ, locus aliquis Ecclesiæ illius, amplè quantùm potest patens constituatur; ubi simul universus, si potest: aliqui collegialim saltem unusquisque ordo conveniat, et facilè precando consistat, donec illas obeat; ne per Ecclesiam vagetur, aut quidquam aliud admittat, quod Concilio provinciali secundo vetitum est. Clericorum verò sit ostiarii functiones in Ecclesiâ cathedrali obeuntium, Ecclesiasticos homines, supplicationum, processionumve causâ in eum certum locum congressos, si quos vagantes, deambulantes, colloquentesque animadverterint, Episcopi auctoritate prohibere: tùm etiam contumacium nomina ad eumdem deferre. Constituat Episcopus certos homines, qui Clerum ad supplicationes procedentem dirigant; tùmque aliquando cùm opus est, eumdem subsistere moneant: tùm etiam qui populum in ordine consistere, mulieres velatas incedere, aliaque ejusmodi opportunè in ipsâ etiam viâ moneant, præcipiant, atque ut serventur efficiant omni sollicitudine. In omni Processione, in illâ præsertim quæ die Corporis Domini agitur Clerus secularis superpelliceo mundo candidoque indutus ut adsit præmoneatur. Cùm ad Processionem Clerus vocatur, quid psallendum, quid canendumve erit, ut opportunum erit, significetur. Canant omnes: cùm verò aliquot canentibus, aliis canere non licet; qui hinc inde sunt, submissâ voce psalmum, hymnum, antiphonam, precemve piam inter se dicant, supplicationi quæ fit, mysteriove convenientem. Clerici omnes seculares, et regulares, et qui in basilicâ cathe-

drali dignitates obtinent, bini semper procedant: neque item inter eos ullo modo laici homines, quocunque gradu sint, interjecti incedant; neque item inter Episcopum et eosdem laicis locus sit. Quicunque in Processione erratum contra tabellæ præscriptum commiserit; pro præscriptâ ratione Punctator sigillatim nominatimque illum notet. Sacrarum imaginum insignia vexillave Cleri, ne laïcus homo in Processione præferat: ubi Clericus quisquam est, qui hoc munus præstare possit. In omni Ecclesiâ, undè ad statas Processiones Clerum, populumque egredi solemne est, ubi primùm procedendi initium fit, campanarum omnium pulsationes solemniter tandiù adhibeantur, quoad indè Clerus universus in Processionis munere egressus sit. Idemque cùm à Processione redítur, præstetur. Itidem in Ecclesiis fiat, quæ in vicinià sunt, ubi Processio agitur. Musicis verò cujusvis generis instrumentis in Processionibus sonari ne ullo modo permittatur. Introducere Episcopi studeant, ut omnes tùm mares, tum fœminæ sacro solemnitatis sanctissimi corporis Domini religiosoque die, eam Processionis solemnitatem non è fenestris, neque omninò è superiori loco inspiciant, sed eam prosequantur omni piæ religiosæque venerationis studio.

Act. Eccles. Mediolan. *Part.* 6. *Pro supplication. seu Procession. general. pag.* 674. Dominicâ aut festo Processionis diem immediatè præcedenti Parochus quilibet fideles moneat, de hujus die et occasione: undè eos ut intersint Processionemque tam corpore quàm animo comitentur, efficaciter adhortabitur; ut Deus omnium preces pro suâ misericordiâ, in animarum et corporum tam nostrorum quàm proximorum beneficium, dignetur exaudire, dicatque quantâ modestiâ, devotione, et ordine hæ Processiones celebrari debeant.

Hinc serotinis horis, Processionis manè præcedentibus cùm in Dominico campanæ pulsabuntur, in aliis quoque Ecclesiis iterato signo campanæ pulsentur, ut moneatur populus de proximâ sequentis diei Processione, ad quam ut conveniat invitatur..... Omnes de Clero, manè sequenti, in Dominicum conveniant post campanarum signum, ut ante Processionum initium omnes congregentur. Cruces modo decenti à personis idoneis gerantur, non humeris sed rectæ; nec in aliquo loco reponantur, sed qui eam portare tenentur manibus teneant stantes....

Ecclesiæ ad quas Processiones discessuræ sunt decenter ornentur, nec pro apparatu calices, aut patenæ, similiaque hujusmodi, sed crux tantùm et sacræ imagines, cum sex saltem accensis cereis collocentur.

Quisque superarum nitidum et mundum habeat non laceratum.

Non chirothecas, aut pileum, aut serta, aut aliud ejusmodi gerant. Et tam ingrediendo quàm egrediendo ex Ecclesiâ coramque altaribus, ubi per viam oratio recitatur, aut coram imagine sacrâ stent omnes nudo capite, et observent ordines et monita quæ cæremoniarum magister aut vicegerens jusserit.

Processionis initio tam in cathedrali, quàm in aliis Ecclesiis, ubi statio à Clero habenda est, aut agenda publica supplicatio, quivis è loco se movens, ad sanctissimum Sacramentum coram altari majori genuflectat.

Observent omnes in viâ et in Ecclesiâ debitum silentium et modestiam.

Bini et bini procedant: quique proximè sequuntur, ab aliis præcedentibus distent sex circiter cubitis, nec majori aut minori spatio.

Pag. 676. Campanæ tam minores quàm majores, liberæ in Ecclesiis, cùm juxta eas Processio steterit, aut in quibus fiet statio, et in iis quidem donec ingressus Clerus omninò fuerit, pulsabuntur, quæ quandiù durabit officium silebunt.

Ibid. pro Litaniis triduanis pag. 677. Paroche reverende in sacris Litaniis, quas hebdomadâ post Ascensionem Domini proximâ, juxta hujus Ecclesiæ ritum celebraturi estis, præcedenti Dominicâ die... eam plebi vestræ hâc de re instructionem agetis, quam Dominus suggeret, et officium vestrum postulat: monebitisque ut cum eâ pietate et devotione celebrentur, cum quâ fuerint institutæ....

Nostroque nomine monebitis ut tribus his diebus Processionum tempore tabernæ occludantur, et ab opere servili abstineatur.

Item, ut mulieres.... ab hominibus separatæ incedant.

I. Quæ preces cani solent in Processionibus ?

R. Variæ illæ sunt pro vario Processionum scopo. In reditu autem Processionum ferè omnium canuntur Litaniæ Sanctorum : quæ multis partibus constant.

Primò diriguntur preces ad sanctissimam Trinitatem his verbis Græcis, *kyrie eleison*, *Christe eleison*, *kyrie eleison*, quæ sic Latinè exprimuntur, *Domine miserere*, *Christe miserere*, *Domine miserere*. Deindè appellantur personæ singulæ sanctissimæ Trinitatis hoc modo : *Pater de cœlis Deus, miserere nobis. Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus sancte Deus, miserere nobis.* Tùm tota Trinitas simul his verbis, *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.*

Deindè invocantur sigillatim Sancta Maria Virgo Deipara, sancti Angeli, sanctus Joannes Baptista, omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, omnes et singuli Apostoli et Evangelistæ, et sancti Discipuli Domini, omnes sancti Martyres, omnes sancti Pontifices, omnes sancti Doctores, omnes sancti Monachi et Eremitæ, omnes sancti Confessores, omnes sanctæ Virgines, omnes sanctæ mulieres et Viduæ. Invocantur sigillatim singuli Regnorum, Provinciarum, Locorum Patroni : invocantur aliquot Sancti cujuslibet ordinis, illique præcipuè qui sunt singulis in locis celebriores : invocantur denique in globo omnes Sancti et Sanctæ Dei : invocantur autem non hâc formulâ quæ soli sanctissimæ Trinitati competit, *miserere nobis* : sed, *ora*, vel, *orate pro nobis.*

Item, monebitis ad patres-familias spectare ut hisce publicis rogationibus intersint, hùcque faciant, ut filii et domestici juxta antiquam hujus populi devotionem ipsos imitentur.

Monebitis etiam, ne tam homines quàm mulieres in Ecclesiam, in quam pro stationibus proceditur, intrent, priusquàm Clerus universus ingressus fuerit : post quem homines, et post eos mulieres, qui ordo in Processionibus servabitur, introïbunt.

Tam homines quàm mulieres, his diebus à pompis vanisque ornatibus abstineant : sed modestiam et pœnitentiam, ut Litaniarum institutum postulat, SS. Patres volunt, pietas christiana requirit, et hortatur Ecclesia, exteriùs exhibeant ; cùm hoc triduo, vel ex ipso apparatu, et ornamentorum colore, stationum ordine... aliisque ritibus, intendatur, fidelium devotionem per preces et orationes, abstinentias, vigilias, eleemosynas aliasque pœnitentiæ munia promoveri.

Pro corporis Domini Processionibus. Tam ex pietatis officio, quàm ex solemnitatis ipsius instituto, et indulgentiarum assecutione, debent omnes Processionibus interesse.

Fideles ergo vobis commissos moneatis, ut conveniant ; nec homines aut mulieres cujuscunque ætatis aut gradùs stent aut ad januas, aut ad fenestras, ut videant.

Quòd si tamen mulieres aliquæ Processioni interesse ex infirmitate non valuerint, moneatis et nostro nomine deprecamini, ut stantes ad januas cum humilitate et modestiâ, sine vanitate aut apparatu ibi maneant, cùm sanctum Sacramentum solemniter defertur : nec ut videantur, aut videant, cum multorum scandalo hujusque solemnitatis despectione se fidelibus exponant.

Item mulieres moneantur ut non nisi velatæ incedant.

Nec sit aliquis, qui in Processione Clero misceatur, sed omnes nostro nomine hortabimini, ut post Clerum homines, et post eos mulieres, omnesque cum devotione et silentio procedant.

Tùm ad Christum oratio dirigitur, enixèque postulat Ecclesia, ut propitius sit nobis peccatoribus, ut liberet nos ab omni malo, ab omni peccato, ab irâ suâ, à subitaneâ et improvisâ morte, ab insidiis diaboli, ab immundis cogitationibus, à spiritu fornicationis, ab irâ et odio et omni malâ voluntate, à fulgure et tempestate, demùm à morte perpetuâ.

Quarto loco Christum obtestatur Ecclesia, ut per mysterium sanctæ Incarnationis suæ, per adventum, per nativitatem, per baptismum, per sanctum jejunium suum, per crucem, passionem, per mortem et sepulturam, per resurrectionem suam, per adventum Spiritùs sancti liberet nos in die judicii.

Obsecramus quintò ut audiat nos peccatores, ut perducat nos ad veram pœnitentiam, ut compunctionem cordis fontemque lacrymarum, remissionem peccatorum, fidem, spem et charitatem nobis indulgeat.

Sextò obsecramus ut regat Ecclesiam, ut conservet summum Pontificem, Antistitem et Regem nostrum, omnes Episcopos singulosque in ordine Clericali vel Religioso constitutos, totum denique Dominicum gregem: ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare dignetur; ut det pacem omnibus Regibus et Principibus Christianis, totique populo Christiano; ut nos in suâ sanctâ servitute confortare et conservare dignetur; ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigat; ut omnibus benefacribus nostris sempiterna bona retribuat; ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab æternâ damnatione eripiat; ut fructus terræ det et conservet; ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare dignetur.

Christum denique Filium Dei obsecramus, ut nos hæc omnia postulantes exaudiat: terque contestamur Agnum Dei qui tollit peccata mundi, ut parcat nobis, ut nos exaudiat, ut misereatur nostri; finiturque Litania quomodò incepta est, his verbis: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.*

Succedit oratio Dominica, post cujus recitationem dicuntur plures versiculi è Psalmis sumpti, variæ denique Collectæ, quibus hæc eadem postulantur, oraturque pro remissione peccatorum, pro Papâ, pro Episcopo, pro Rege, pro pace, pro variis necessitatibus, denique pro vivis omnibus et defunctis. (B)

(B) *Hujusce precandi formulæ antiquitatem doctissimè defendit* SERARIUS *Tom.* 3. Opuscul. Theolog. *quem adire poteris.*

CAPUT DECIMUM.

De piis usibus nulli Ecclesiæ lege præscriptis, sed fidelium arbitrio relictis.

§. 1. De Peregrinationibus sacris.

I. Estne prisco in more positum, ut fideles religionis ergo proficiscantur ad loca pia, Dei opem et Sanctorum patrocinium imploraturi, ibique vota sua reddituri?

R. Ritus ille primævæ antiquitatis est. Jam à primis Ecclesiæ seculis fuit id in more positum, ut fideles proficiscerentur ad sepulcra Martyrum, ad basilicas seu oratoria ubi eorum memoriæ seu reliquiæ habebantur; ad loca præcipuorum mysteriorum operatione consecrata. Testes sunt omnes Historici et Scriptores Ecclesiastici cujusque seculi. (A)

(A) EUSEBIUS *Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 11. Divino admonitus oraculo Alexander, cùm ex Cappadociâ in quâ primùm Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymâ profectus fuisset, tùm orandi, tùm locorum visendorum gratiâ.

Lib. 3. *de vitâ Constantini*, *cap.* 42. Cùm (Helena) debitum piæ affectionis munus Deo omnium Regi persolvere decrevisset, et pro filio suo, tanto scilicet Imperatore, ac pro filiis ejus Cæsaribus Deo charissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset; quamvis affectâ jam ætate, tamen juvenili animo properavit mulier singulari prudentiâ, ut terram veneratione dignam perlustraret: et Orientis provincias urbesque ac populos cum regali quâdam sollicitudine ac providentiâ inviseret. Postquàm verò Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est, prout olim Propheticus sermo prædixerat: (*Ps.* CXXXI. 7.) *Adoremus*, inquit, *in loco ubi steterunt pedes ejus:* continuò pietatis suæ fructum posteris etiam dereliquit.

S. HIERONYM. *in viris illustrib. Vita* S. ALEXANDRI Mart. *ordine* 62. Alexander Episcopus Cappadociæ cum desiderio sanctorum locorum Jerosolymam pergeret.

S. AMBROS. *Orat. de obitu Theodos. n.* 41. Helena mater.... anxia pro filio, (Constantino) cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Jerosolymam, et scrutata est locum Dominicæ passionis.

N. 43. Venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgotha, etc.

SOCRATES *Hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 47. Imperator Theodosius pro acceptis beneficiis gratias et vota Deo persolvit. Quod quidem præstitit, eximiis honoribus Christum venerando. Quin etiam uxorem suam Eudociam misit Jerosolymâ. Nam et illa hoc se voto obligaverat, si filiam suam nuptam vidisset. Sed illa quidem Ecclesias omnes, tam quæ Jerosolymis, quàm quæ in aliis Orientis urbibus sitæ sunt, variis ornamentis decoravit, et cùm illùc proficisceretur, et cùm rediret.

S. GAUDENTIUS Episc. Brixiens. *Homil.* 17. *de Dedicat. Eccles. Tom.* 2. *Bibliothecæ PP. pag.* 60. (Quadraginta Martyres) se itineri meo, cùm per urbes Cappadociæ Jerusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt.

S. AUG. *lib.* 22. *de Civit. Dei*, *cap.* 8. *n.* 10. Ad ejus (*S. Stephani*) memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus et occursus.

Epist. 78. *aliàs* 137. *Clero et populo Hippon. n.* 3. *Cùm unus è Presbyteris suis, Bonifacius nomine, à quodam turbulento Clerico calumniis impeteretur*, Elegi, *inquit S. Aug.* ut certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se perrecturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cujuscunque conscientiam multò facilius aperirent, et ad confessionem vel pœnæ

vel timore compellerent.... Multis enim nobilissima est sanctitas loci, ubi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quò voluit ut pergerent.

S. JOAN. CHRYSOST. *in Epist. ad Corinth.* 2. *cap.* 12. *Homil.* 26. *in Horati versus finem.* Hæc quippe sepulcra, aliis Imperatorum sepulcris multo splendidiora et venerabiliora facta sunt. In illis enim mira solitudo : in his ingens hominum frequentia.... Atque hic quidem Imperator subditos suos Præfecto ita subjecit, ut ei liberum sit alios solvere, alios vinculis adstringere. At Sanctorum ossa non miseram hanc abjectamque potestatem habent, verùm illà multò majorem. Dæmones enim sistunt et excruciant, acerbissimisque illis vinculis, eos, qui adstricti sunt, solvunt.... Ob eamque causam nemo est qui peregrinationem unquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat : contrà multi plerumque Imperatores peregrè profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur.

S. HIERON. *Epist.* 44. *aliàs* 17. *Paulæ et Eustoch. ad Marcellam.* Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrinâ Ecclesiasticâ virorum venerint Jerosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ ; nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primùm Evangelium de patibulo coruscaverat.

S. SULPITIUS SEVERUS *lib.* 2. *Histor. sacræ edit. Lugd. Batav. in* 8. *ann.* 1647. *pag.* 388. Helena, mater Principis Constantini... cùm Jerosolymam agnoscere concupisceret.... basilicam in loco Dominicæ Passionis et Resurrectionis et Ascensionis constituit.... Et cùm quotidiè CONFLUENTIUM fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentit.

S. PAULIN. *Epist.* 11. *ad Severum, nunc* 31. *n.* 4.... Helena.... divino.... inspirata consilio, cùm Jerosolymam agnosceret, quæ Augusta cum filia sonregnabat, eum rogavit ut sibi facultatem daret cuncta illic loca Dominicis impressa vestigiis et divinorum erga nos operum signata monumentis purgare, destructis templis et idolis.

N. 5. Regina illa venerabilis ut venit Jerosolymam, diligenter et piè locis illic et circà omnibus, divinorum curiosa insignium, et oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus litterisque perceperat, crucem Domini studiosissimè inquirere adorsa est.

N. 6. Neque præter hanc (Paschæ) diem,... profertur, nisi interdùm religiosissimi postulent, qui hàc tantùm causâ illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur.

Epist. 17. *aliàs* 13. *n.* 1. Romam ad venerabilem solemnitatis Apostolicæ diem profecti sumus, concursum nobis illic tuum debità quidem, sed tamen festivâ meditatione promittentes.

Epist. 20. *aliàs* 16. *ad Delphin. n.* 2. Romæ, cùm solemni consuetudine ad beatorum Apostolorum natalem venissemus, tam blandè quàm honorificè excepit (*Anastasius Rom. Pontif.*)

Epist. 43. *alias* 35. *ad Desider. n.* 1. Cùm Apostolicam solemnitatem voti nostri et itineris annui socius celebrasset.

Epist. 49. *aliàs* 36. *ad Macar. n.* 14. Non enim alter affectus homines ad Jerosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant atque contingant, possintque et de suo fructu edicere : *Introivimus in tabernacula ejus, et adoravimus ubi steterunt pedes ejus.* (*Ps.* CXXXI. 7.).... Religiosa cupiditas est loca videre, in quibus Christus ingressus, et passus est, et resurrexit, et undè conscendit ; et aut de ipsis locis exiguum pulverem, aut de ipso crucis ligno aliquid saltem festucæ simile sumere et habere, benedictio est.

Poëmate 14. *de* S. FELICE 3. *Carm.* 53.

Stipatam multis unam juvat urbibus urbem
Cernere, totque uno compulsa examina voto.
Lucani coëunt populi, coït Appula pubes,
Et Calabri, et cuncti quos alluit æstus uterque
Qui lævà et dextrà Latium circumsonat undà :
Èt quà bis ternas Campania læta per urbes
Ceu propriis gaudet festis, quos mœnibus amplis

I. Deus ubique per immensitatem præsens est : quæ ergo necessitas longè proficiscendi ad eum invocandum, quasi verò ubique invocari non possit, ubique exercere opera suæ misericordiæ et potentiæ non valeat ?

R. Nulla necessitas est, ideoque nullâ Ecclesiæ lege præscriptæ peregrinationes ejusmodi ; sed invisere pio affectu loca sacra in quibus Deus signa quædam suæ protectionis exeruit, id laudabile et pium est.

I. In quo laudabile ?

R. In eo quòd 1° sacra peregrinatio piâ intentione suscepta fidei Christianæ quædam professio et exhibitio est.

2° Vulgò qui peregrinationes illas suscipiunt, non curru vel jumento vehuntur, sed pedites incedunt ; atque ita labore itineris carnem macerant, et pœnitentiam agunt : quod confert ad peccatorum remissionem, et animæ salutem.

3° Ipsa inspectio locorum, in quibus suam Deus potentiam et misericordiam exhibuit, præsentia sacrorum pignorum quæ ibi religiosè servantur, exemplum cæterum fidelium ibidem ardenter orantium, fidem excitat, et fervorem in iis qui illùc adveniunt ad fundendas preces.

4° Miracula certa et minimè dubia, quæ Deus aliquando operatur in gratiam eorum qui sacras has perigrinationes cum intentione rectâ suscipiunt, probant gratam et acceptam esse Deo ejusmodi devotionem.

I. Expeditne singulis indiscriminatim consulere, ut sacras ejusmodi peregrinationes suscipiant ?

R. Minimè. Sed sedulò perpendendum quo quisque in

Dives habet Capua, et quos pulchra Neapolis, aut quos
Gaurus alit, læta exercent qui Massica, quique
Ufentem Sarnumque bibunt, qui sicca Tanagri,
Quique colunt rigui felicia culta Galesi,
Quos Alina potens, quos mater Aricia mittit.
Ipsaque cœlestùm sacris procerum monumentis
Roma Petro Pauloque potens, rarescere gaudet
Hujus honore dici portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ,
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine : confertis longè latet Appia turbis.
Nec minùs, ex aliâ populis regione profectis,
Aspera montosæ carpuntur strata Latinæ,
Quos Prænestè altum, quos fertile pascit Aquinum :
Quosque suburbanis vetus Ardea mittit ab oris,
Quique urbem liquere Cales, geminumque Teanum,
Quam gravis Auruncus, vel quam colit Appulus asper.
Hùc et olivifero concurrit turba Venafro,
Oppida Samnites duri montana relinquunt.
Vicit iter durum pietas, amor omnia Christi
Vincit, et alma fides : animisque locisque rigentes
Suadet acerba pati, simul aspera ponere corda.
Una dies cunctos vocat, una et Nola receptat,
Totaque plena suis, spatiosaque limina cunctis ;
Credas innumeris ut mœnia dilatari
Hospitibus ; sic Nola assurgit imagine Romæ.

Vide quatuor libros GRETSERI *è Soc. Jesu* de Peregrinationib. *ubi multa scitu utilia reperiuntur.*

statu positus sit, quibus quisque in rerum circumstantiis versetur, ne quid temerè vel suscipiatur, vel cuiquam consulatur.

1° Agendum circa peregrinationes quemadmodùm agitur cæteris in rebus quæ nullâ lege præcepta sunt, sed relicta singulorum arbitrio et devotioni. Implenda primùm præcepta, nec priùs vacandum rebus quæ meri consilii sunt et liberæ devotionis, quales sunt peregrinationes sacræ, quàm sedulò perspectum sit nùm isthæc cohæreant cum officiis quibus unusquisque obligatur. Malè ergo agit omninò qui cùm aliis invigilare teneatur, utpotè præpositus alicui Regioni, Diœcesi, Parochiæ, Familiæ, neglectâ curâ subditorum, peregrinationem longinquam religionis ergo suscipit. Næ futilis et vana est istiusmodi religio.

2° Maturè ponderandum quæ sit cujusque indoles, quæ natura, quod ingenium, quâ quisque ratione affectus sit, quæ cuique pericula cavenda: cæteraque omnia cautè examinanda, quæ vel à propositâ peregrinatione deterrere, vel ad eam suscipiendam impellere virum prudentem possunt. Nec debet quisquam suscipere peregrinationem sacram, si longinqua sit, inconsulto Confessario qui sit vir prudens, cautus, peritus, et rerum experientiâ polleat. Plerumque enim usuvenit, ut prætextâ peregrinatione sacrâ multi abusus intolerabiles irrepant.

I. Qui abusus?

R. Frequentes illi sunt et multiplices; præcipuos subjungam, ut ab illis caveatur.

1° Multi non pietatis et religionis causâ sacras peregrinationes suscipiunt; sed vel curiositatis, vel levitatis, vel quandoque procacis licentiæ causâ, ut subtrahant se obedientiæ et vigilantiæ parentum, ut vitam agant desidem, inertem et vagabundam, ne pejus dicam.

2° Sunt qui sub religionis prætextu currunt ad loca pia, non ut pietatem foveant; sed ut posthabito Pastore vel Confessario tenaci Canonum pœnitentialium, nec temerè deflectente à regulis ab Episcopo traditis ad sacramenti pœnitentiæ administrationem, quærant Confessarios laxiores et indulgentiores. Næ illi totâ viâ aberrant, et semetipsos miserè fallunt: sed falli Deus, utique cordium scrutator, nequit.

3° Sunt qui procaces in itinere, nullumque tenentes modum in rebus, quàcumque transeunt sunt omnibus offensioni et scandalo, nedùm ædificent ut par esset.

4° Multorum adeò supina ignorantia est, ut neglectis cæteris bonis operibus, certam fore sibi salutem putent, dummodò peregrinentur ad loca pia, quantumvis alienum sit ab eorum statu et debitis officiis longè latèque peregrinari.

5° Non pietas, non religio, sed affectus humani et cupi-

ditates variæ ad suscipiendam sacram peregrinationem impellunt. Species pro re ipsâ sumitur, tenetur littera occidens neglecto spiritu vivificante; atque ita videtur Deus exterius coli, cor autem longè à Deo est, cùm tamen Deus spiritus sit (*Joan.* IV. 24.), et qui eum adorant in spiritu et veritate adorare oporteat.

I. Quâ ratione suscipienda et perficienda sacra peregrinatio est, ut per eam adoretur Deus in spiritu et veritate?

R. 1° Habenda recta intentio, adeò ut solius religionis intuitu et pietatis causâ suscipiatur peregrinatio. Pietatem intelligo quæ habeat adjunctam prudentiam, cohærentque cum regulis fidei, et cum omnibus officiis quibus unusquisque obligatur. Alioquin fucata pietas esset.

2° Non vagantibus temerè hùc illùc oculis incedendum, non mente aliud agente; sed sic ambulandum, ut ubique spargatur bonus odor Christi modestiâ, silentio, frugalitate, orandi assiduitate, et fugâ cujusque levitatis et vanæ curiositatis.

3° Abstinendum ab omni colloquio de rebus vanis et futilibus, ne dicam inhonestis. *Sed quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ* (*Philipp.* IV. 8.), de his in itinere sermones conferendi. Et identidem abstinendum ab omni colloquio, ut vacetur orationi.

4° Cùm perventum fuerit ad locum pium quò tendebat peregrinatio, tunc reddenda vota Deo, invocandi Sancti quorum cultus ibidem solemnis est. (B) Sed agendum id piè,

(B) Concil. Mediol. IV. *Part.* 1. *de religiosis peregrination. pag.* 97. *Actor. Eccles. Mediol.* Ut ex sanctorum Patrum institutis fideles provinciæ nostræ sanctas peregrinationes suscipiant, salutisque uberiorem fructum, divinâ auxiliante misericordiâ indè capiant: hæc illis servanda proponimus: ac primò Ecclesiastici ordinis hominibus; tùm laïcis item.

Ne quisquam Sacerdos, Clericusve cujusvis ordinis peregrinaturus, itineri peregrinationis causâ sine litteris dimissoriis ac testimonialibus Episcopi se committat, ut Canone veteri sancitum est: tùm præterea nec sine benedictione, quam Episcopus Sacerdoti Clericove peregrinaturo statis precibus libro sacerdotali ritualive præscriptis impartiet.... Peregrinationis comites quos sibi adjunxerit, cùm in viam se daturus est, Episcopo, aut Vicario exponat, quorum comitum nomina à Cancellario litteris dimissoriis adscribantur.

Si quis item peregrinaturus, Ecclesiam parochialem, aut capellam, aliudve cujusvis nominis beneficium Ecclesiasticum obtinet, cui ministerium aliquod debeat, is ut Episcopus opus esse censuerit, Sacerdotem, vel Clericum, qui idem Episcopo, Vicariove probatus sit, ratione ministerii antè substituat, quàm iter suscipiat, ne Ecclesia debito ministerio cultuque careat; cujus rei per se præstitæ, testimonium scriptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Ei verò quem substituerit, aut alii quem Episcopus maluerit, si aliquot dierum peregrinationem facturus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnemque Ecclesiasticam supellectilem committat, indice eorum omnium sigillatim ac diligenter confecto, eo scilicet præsente, cui hoc munus Episcopus dederit, ne ex ejus absentiâ aliquod detrimentum Ecclesia patiatur.

Deindè is vel Sacerdos vel Clericus, antequàm peregrinationi se committat, peccata primo confessus; tùm si Sacerdos est Missæ sacrificium,

quod est *pro iter agentibus*, offerre : si Clericus inferior, sacram Eucharistiam sumere studeat.

In itinere, clericali habitu contractiori ad Conciliorum præscriptum omnis Sacerdos et Clericus, dùm in peregrinatione est, uti possit : pileum autem induat Clericali ordini congruentem, et à laïcali vestitu distinctum. Tonsuram clericalem perpetuò habeat.

Ne itineris causà canonicas horarias divini officii preces omittat ; ac tùm etiam stata de præcepto Ecclesiæ jejunia servet, nisi cùm legitimè excusatus est.

Si Sacerdos est, ubi probatus fuerit, Missam quotidiè celebrare curet : at verò Dominicis et festis diebus id facere non omittat.

Singulis verò diebus, sive Sacerdos, quando ipse non celebrat ; sive Clericus, Missæ sacrificio interesse studeat.

Manè singulis diebus præter officium divinum debitum, preces etiam illas piè recitare curet, quæ itinerarii nomine appellantur.

In omni denique itinere, quod sanctæ peregrinationis causà suscepit, cum se vitæ moribus, omnique actione præstare studeat, ut piè religioseque peregrinandi exemplum laïcis præbeat ; quorum si aliquem socium et comitem habet, sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

Hebræis, et mulieribus comitem non se adjungat, neque eodem curru cum eisdem vehatur ; neque item eodem navigio, ut scandalum evitetur, si aliter sibi consulere poterit.

Ne iis etiam se adjungat in viâ, nisi necessitas coegerit, qui dùm iter faciunt, profanis cantionibus, citharis, aliisve musicis instrumentis utuntur.

Abstineat item ipse à profanis canticis et colloquiis ejusdem generis, quorum usu pietatis in peregrinatione susceptâ studium refrigescit.

Psalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum divinarum meditationibus vacet ; et spiritualibus item sermonibus, si comites habet quibuscum loquatur, corporis vel animi lassitudinem sublevet.

Ne mendicet, ostiatimve victum quæritet, nisi ex voto, vel aliâ causâ ab Episcopo probatâ, et facultate nominatim scriptis impetratâ.

Cùm ad aliquem locum vesperè perveniet, Ecclesiam quæ eo loco est, antequàm ad hospitium diverlat, religioseè adeat si potest ; ubi supplex Litanias vel alias religiosas preces recitet.

Si apud Religiosos homines, vel apud alios viros honestos diversari potest, ab hospitiis publicis abstineat.

Ad cauponas verò si divertere necesse habet ; nec unà cum eisdem Hebræis, aut mulieribus accumbat in publico hospitio, aut alio omni loco et tempore.

Antequàm discumbat, mensæ benedicat : tùm pransus, aut cœnatus, gratias agat : cæteraque observet, quæ de temperantiâ, frugalitate et modestiâ clericali Decretis provincialibus præscripta accuratè præstare debet.

Cùm primùm ad peregrinationis locum pervenerit, Confessario probato confiteatur, et Missam Sacerdos celebrare, et sacram communionem Clericus sumere curet : totusque peregrinationi susceptæ intentus, non rerum novarum curiositates, non loci antiquitates, non quidquam aliud à peregrinandi proposito alienum consectetur ; sed religiosâ animi præparatione, Ecclesias, sacrasque reliquias, quas potissimùm devotionis votivæ causâ visitatum venit, tùm alias etiam sollicitè visitet ; quâ visitationis sollicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat, ut maximè potest.

Nec verò ubi sanctam peregrinationem absolverit, aliò longiùs vagetur. A peregrinatione reversus, Episcopum primò, aut Vicarium cum litteris dimissoriis, quas dedit, conveniat : sanctæque suæ peregrinationis testimonium ab Ordinario loci, aut saltem à Præfecto Ecclesiæ afferat, ad quam peregrinationis causâ iter suscepit ; nisi litteris dimissoriis aliàs nominatim ab Episcopo exprimatur, cujus allato scripto id testatum facere debet.

Laïci item antequàm peregrinationem suscipiant, suum quisque Paro-

chum conveniant : à quo sanctè peregrinandi consilium capiant ; et litteras habeant ab Episcopo canonicas.... quarum etiam fide testimoniove eis liceat ubique, et cuivis Confessario ab Ordinario loci approbato peccata confiteri.

Deindè benedictionem ab eodem Parocho petat, qui superpelliceo et stolâ indutus, illis benè precetur, et benedicat statis religiosis precationibus, quæ ex Ecclesiæ instituto peregrinis adhibentur.

Peregrinationis verò iter suscipiant, ubi ritè confessi, sacram Eucharistiam religiosè sumpserint.

Peregrinando omnia fugiant, quæ devotionis studium perturbant, aut impediunt : et illa amplectantur, quibus illud excitari solet.

In itinere stata præcepto Ecclesiæ jejunia servent, nisi cùm legitimè excusati sunt.

Singulis diebus Missæ sacro interesse studeant : Dominicis verò et festis ne ullo modo desint ; tùm sacram communionem sumere curent.

Manè preces quas itinerarium vocant, piè recitare studeant, qui legere noverint.

Eleemosynas, si per facultates possunt, largiantur. Instent potissimùm orationi, psalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, et rerum spiritualium meditationibus et sermonibus lassitudinem sublevent.

In curru, navigio, et hospitio, cùm Hebræorum maximè, tùm mulierum etiam, nisi quas cognatione affinitateve junctas, aut etiam ex familiâ suâ sanctæ peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coëgerit. Ac sanè verò in hoc sancto piæ peregrinationis proposito, ac studio, ad usum revocari cupimus, quod olim factum esse ex sacris litteris, Patrumque monimentis advertimus ; ut scilicet, qui etiam ejusdem familiæ essent, cùm templum locaque sacra visitatum irent, viri à fœminis iter separatim facerent.

Abstineant item à profanis canticis, colloquiis, citharis, aliisque musicis instrumentis, atque adeò ab eorum societate, qui in itinere iis, aliisque ejus generis actionibus operam dant, quibus pietatis studium in peregrinatione susceptâ languefiat.

Ne mendicatim eleemosynam quæritent ; nisi ex voto, vel necessitate, aliâve causâ Episcopi litteris et testimonio probatâ.

Ad loca ubi primùm vesperi divertunt, Ecclesiam precandi causâ priùs adeant, quàm in hospitium veniant ; si temporis tarditas, aliudve non impedierit.

Ad sacra loca, quæ religiosè visitaturi sunt, cùm pervenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quàm ut aut jubilæum indulgentiamve consequantur, aut vota sanctè persolvant, sacras reliquias, et sacra loca piè visitent, ab omni curiositate, peccandique occasione abstinentes.

Itaque primò confessi cùm sacram Eucharistiam sumpserint, tùm religiosè Sanctorum statas Ecclesias visitent ; ita ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, et Sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adjuventur. Reversi à peregrinatione, primò Parochum conveniant, à quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiæ instituto præscriptis sanctis orationibus.

Synodo IV. Mediol. *Decreto* 23. *omnia ferè sub eâdem verborum formulâ repetuntur.*

. *Déclaration du Roi* Louis XIV. *donnée à Fontainebleau au mois d'Août* 1671.... Le désir que nous avons de procurer en tout ce qui dépend de nos soins et de notre autorité la gloire de Dieu, le bien et la conservation de nos sujets, nous oblige de chercher les remèdes convenables pour corriger les désordres qui se sont introduits dans notre Royaume, sous un prétexte spécieux de dévotion et de pélerinage, dont nous apprenons que l'abus est tel, que plusieurs soi-disans Pélerins quittent leurs parens et leurs familles contre leur gré, laissent leurs femmes et leurs enfans sans aucun secours, volent leurs maîtres, abandonnent leurs apprentissages, et suivant l'esprit de libertinage qui les a inspirés, passent le cours de leur pélerinage en une débauche continuelle : il arrive même que la plupart des gens vagabonds, et sans aveu, prenant la qualité de Pélerins, pour entretenir leur oisiveté, passent en cet équipage de Province en

sincerè, ferventer, et eà maximè mente, ut obtineatur Sanctorum patrocinio Dei gratia ad sectanda magis ac magis Christi vestigia, ad conformandos mores ad Evangelica

Province, font une profession publique de mendicité; et d'autres encore plus punissables, s'établissent dans des pays étrangers, où ils trompent des femmes qu'ils épousent au préjudice des femmes légitimes qu'ils ont laissées en France. Nous avons cru qu'il était de l'interet public, et de la police générale de notre Royaume, de reprimer la corruption d'une chose si sainte, sans néanmoins empêcher les bonnes intentions de ceux qui par des sentimens sincères de piété et de mortification voudront entreprendre des pélerinages, dont nous n'approuvons pas moins la pratique légitime, que nous voulons retrancher ce qu'il peut y avoir d'abusif.... Voulons et nous plaît que tous ceux qui voudront aller en pélerinage à S. Jacques en Galice, N. D. de Lorette, et autres lieux saints hors de notre Royaume, seront tenus de se présenter devant leur Evêque Diocésain, pour être par lui examinés sur les motifs de leur voyage, et prendre de lui attestation par écrit: outre laquelle, ils seront encore tenus de retirer des Maires, Jurats, Echevins, Consuls, Capitouls ou Syndics des lieux de leur demeure un certificat contenant leur nom, surnom, âge, qualité, vacation, s'ils sont mariés ou non, et la déclaration qu'ils auront faite du lieu où ils veulent aller en pélerinage: comme aussi retireront pareille attestation du Lieutenant-Général et Substitut de notre Procureur-Général en la Sénéchaussée ou Bailliage dont ils dépendent. Lesquels certificats et attestations lesdits Maires, etc. et autres Officiers seront tenus de leur faire expédier gratuitement et sans frais, en leur portant par lesdits Pélerins l'attestation des Evêques Diocésains, et d'en retenir autant dans le Greffe, pour y avoir recours si besoin est. Faisant en outre inhibitions et défenses auxdits Lieutenans-Généraux, etc.... d'expédier lesdites attestations et certificats, aux mineurs, enfans de famille, apprentifs et femmes mariées, qu'il ne leur soit apparu par préalable du consentement de leurs pères, tuteurs, curateurs, ou plus proches parens, maîtres de métier, et de leurs maris; et seront tenus lesdits Pélerins en allant de représenter lesdites attestations et certificats aux Magistrats et Juges de police des villes et bourgs qui se trouveront sur leur route; desquels ils prendront un certificat de leur arrivée, et de la présentation desdites attestations et certificats, lesquels seront enregistrés aux Greffes desdites villes et bourgs de leur passage: moyennant quoi pourront librement aller dans toutes les terres et lieux de notre obéissance, sans qu'il leur soit fait aucun empêchement, et seront reçus aux hopitaux pour ce établis suivant les conditions de leur fondation. Et où lesdits Pélerins ne se trouveront pas munis desdites attestations ou certificats, enjoignons à tous Juges, etc. des lieux où passeront lesdits Pélerins de les arrêter, et de les conduire dans les prisons de ladite ville, où nous voulons que par les Juges de police ils soient punis du carcan pour la première fois, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, et sans autre forme ou figure de procès; après quoi leur sera donné sauf-conduit par lesdits Juges pour leur retour en leur pays: et en cas de recidive, ou que lesdits Pélerins continuent leur prétendu pélerinage, seront punis du fouet par manière de castigation, en présence et par ordonnance des mêmes Juges, par les valets des Concierges des maisons de ville, les Géoliers des prisons ou autres personnes à ce préposées. Et en cas de contravention pour la troisième fois, leur sera le procès fait et parfait comme à gens vagabonds et sans aveu par les Juges des lieux où ils auront été pris en première instance, et par appel en nos Cours de Parlement, et ne pourra la peine être moindre pour les hommes que des Galères.

De Versailles le 7. Janvier 1686. Voulons et Nous plaît qu'aucun de nos sujets ne puisse aller en pélerinage à S. Jacques en Galice et autres lieux hors de notre Royaume, sans une permission expresse de Nous signée par l'un de nos Secrétaires de nos commandemens sur l'approbation de l'Evêque Diocésain; à peine des Galères à perpétuité contre les hommes, et contre les femmes telles peines afflictives que nos Juges trouveront convenables.

omnia præcepta, et fugiendas mundi vanitates et cupiditates.

5. Quæ cùm ritè et piè peracta fuerint, repetenda domus, idemque in reditu faciendum observandumque quod mox diximus faciendum in itinere.

§. 2. De piis Societatibus, quas Confraternitates vocant.

I. Nomine Confraternitatis quid intelligis?

R. Societatem intelligo quam ineunt inter se fideles ad opus aliquod pium, auctoritate Superioris exercendum.

I. Ejusmodi societatum priscusne est in Ecclesiâ usus?

R. Perpetuus ferè ille fuit in Ecclesiâ, quantùm rei substantiam; sed ut fit in rebus ad disciplinam Ecclesiæ pertinentibus, non uno modo factæ sunt ejusmodi societates, variæque in his accidêre mutationes. Certum est ex Actis Apostolorum, Ecclesiam Jerosolymitanam, in quâ *omnes qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia: possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat: quotidiè perdurantes unanimiter in templo* (*Act.* II. 44. *et seq.*); certum est, inquam, hanc veram fuisse confraternitatem. Hinc est quòd omnes Christiani fratres dicebantur, ut nunc fit. Monachorum et Clericorum societates, et collegia veræ Confraternitates sunt. (*Vide suprà* §. 15. *Cap.* 7. *Sect.* 1. *hujusce Part.*) Monachi autem in societatem in Oriente coaluerunt seculo quarto tempore sancti Antonii, in Occidente autem seculo quarto et quinto, jam ante tempora sancti Benedicti, qui seculo sexto ineunte Pater Monachorum fuit. (A) Collegium Clericorum instituit sanctus Augustinus in Africâ, nec ulla unquam Ecclesia exstitit quæ suum non habuerit Clerum ex bonis Ecclesiæ victitantem. Singulis in Dei vineâ laborantibus distribuebatur sua portio (B), et quidem major vel minor pro singulorum meritis, juxta illud Apostoli (2. *Timoth.*

(A) *Videhæc fusè doctèque pertractata* à Domn. JOAN. MABILLONIO Monach. Bened. Cong. S. Mauri *in præf. Annal. Ord. S. Bened.* §. 1. *et à* COINTIO Cong. Orat. D. J. Presbyt. *in Annal. Eccles. Francor. multis in locis. Certè id evincunt* Concil. Agathensis *ann.* 506. *in Gallià celebrati canon.* 27. *et* 28. *quos hîc exscribere non pigebit.*

CONC. AGATH. *can.* 27. Monasterium novum, nisi Episcopo, aut permittente, aut probante, nullus incipere, aut fundare præsumat. Monachi etiam vagantes ad officium clericatûs, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in civitatibus, nec in parœciis ordinentur. Monachum, nisi Abbatis sui aut permissu aut voluntate, ad alterum Monasterium commigrantem nullus Abbas suscipere aut retinere præsumat: sed ubicunque fuerit, Abbati suo auctoritate Canonum revocetur. Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu et voluntate Abbatis præsumat Episcopus.

Canon. 28. Monasteria puellarum longiùs à monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter obloculiones hominum collocentur.

(B) CONCIL. AGATH. *ann.* 506. *can.* 36. Clerici etiam omnes qui Ecclesiæ fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum, à Sacerdotibus consequantur.

v. 17.), *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Hæc vera confraternitas est.

Cæterum laicos ad bonum aliquod opus convenire, et societatem aliquam inire inter se ad opus illud exercendum sub auctoritate Pastorum, non relictis propterea cæteris vitæ officiis, non abdicato secularis vitæ genere, nec novum est, nec insuetum, jam à prioribus Ecclesiæ seculis. Illud nullâ probatione indiget. Sufficit in Ecclesiâ perpetuò viguisse charitatem, quæ omnibus omnia fit, ut cunctos lucrifaciat, quæ non quærit quæ sua sunt, quæ vivit non sibi, sed iis pro quibus Christus mortuus est et resurrexit. (1. *Cor.* IX. 22. 1. *Cor.* XIII. 5. 1. *Cor.* V. 15.)

Pias autem illas societates, confraternitates vocari non magnæ antiquitatis est. Nomen novum : res vetustissima.

I. Confraternitates suntne in Ecclesiâ retinendæ, utpotè piæ et sanctæ, et Ecclesiæ utiles ?

R. Ità omninò, modò teneantur et observentur Ecclesiæ Canones eà de re conditi, fugianturque abusus, qui præ ignorantiâ vel cupiditate in res ejusmodi irrepere solent. Quis enim neget pium esse et sanctum, si fideles in societatem conveniant ad Dei gloriam, salutem animarum, et exercenda quædam Christianæ charitatis officia secundùm Ecclesiæ canones. Sed plerumque fit, ut quæ initio sancta sunt et pia, prava tandem eveniant ex abusu, nec tolerari ampliùs queant, donec abusus eradicentur, et restituatur res in primævam sanctitatem, si fieri possit.

I. Quænam sunt tenendæ regulæ in confraternitatibus ?

R. Multâ eà de re sancita sunt variis in Conciliis. (C)

(C) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 22. *de Reformat. cap.* 8. Episcopi etiam..... habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcunque, ac confraternitates laïcorum, etiam quas scholas sive quocunque alio nomine vocant : non tamen quæ sub Regum immediatâ protectione sunt, sine eorum licentiâ. Eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laïcos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita ; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos, instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, et exsequantur : non obstantibus quâcunque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

Cap. 9. Administratores tam Ecclesiastici quàm laïci fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, et quorumcunque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis. Nisi secùs fortè in institutione et ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expressè cautum esset.

CONCIL. BITURICENSE *Ann.* 1528. *canon.* 16. Item statuit quòd confraternitates non erigantur inconsulto Ordinario, nec fiant sumptus immoderati præcipuè conviviorum, compotationum, chorearum, etc. Convertantur potiùs pecuniæ confratrum in pios usus. Itemque contractus ficti et usurarii prælextu prædictarum confraternitatum non contrahantur.

CONCIL. SENONENSE *ann.* 1528. *canon.* 30. Cùm ex multiplicatione confratriarum sæpè monopolia oriri contingat, et quæ in usus pios consumenda sunt, in crapulam converti videantur : siquidem dies festos confratriarum, non aliter se confratres digne celebrare putent, nisi comes-

stionibus et ebrietatibus deserviant : sacro approbante Concilio sub pœna excommunicationis inhibemus : Ne aliqui cujuscunque status exsiliterint confratrias erigere, et de novo instituere sine Episcoporum expresso consensu et approbatione, audeant. Antiquas autem, quas per Episcopos institutas aut aliter approbatas fuisse constiterit, toleramus. Omnem baculorum delationem, confratribus et aliis quibuscunque, tam extra quàm intra Ecclesiam, nec non conventiculares comessationes, maximè diebus festis illarum confratriarum, et ex denariis earumdem fiendas seu solvendas, sub prædictis pœnis prohibentes. Ordinamus insuper, quòd quantùm ad antiquas confratrias attinet, teneantur confratres seu Procuratores, infra sex menses à die publicationis præsentium, afferre Diœcesanis, eorumve Officialibus aut Vicariis, Statuta, si qua habeant : et eosdem Diœcesanos instruere de modo et formâ quam in eis servant : de quantitate reddituum, et in quos convertant usus ; ut sic, justitiâ mediante, quod super his oppportunum fuerit statuatur, omniaque ad sobrietatem et modestiam revocentur. Alioquin, elapsis sex mensibus, ad earum annullationem procedatur.... Confratriarum Provisores, Procuratores, seu Magistri.... eligantur singulis annis, mox reddituri de receptis et solutis rationem. Et pecuniæ, quæ supererunt, applicentur per eos, vel in usum reparationis Ecclesiæ, aut curam seu alimoniam pauperum, aut alios pios usus, prout Episcopus arbitratus fuerit.

Concil. Rothomag. *ann.* 1581. *Tit. de Curatorum et aliorum Presbyterorum ac Paræcianorum officiis*, *num.* 23. Quoniam videmus multos adduci ad præceptorum Ecclesiæ et Ministrorum ejusdem contemptum, non facilè admittantur fundationes et erectiones capellarum et fraternitatum, in quibus ordinatur celebratio Missæ Dominico die, eâ potissimùm horâ, quâ populus universus convenire debet ad audienda divina præcepta Dei et Ecclesiæ. In Missis verò charitatum atque aliarum fraternitatum ab antiquo eo die constitutarum, nec aqua nec panis benedicantur : et inter illarum Missarum solemnia moneatur non esse prætermittendas Missas parœciales, propter assistentiam in eâ Missâ, quæ ex devotione et consilio celebratur.

Num. 34. Quæ ex pietate et devotione ortum duxerunt, charitatis et aliorum nominum fraternitates et societates, spiritalia opprimunt et deformant in Ecclesiâ, temporalia verò absumunt, atque homines dementant. Etenim in unaquâque Ecclesiâ altare contra altare, Sacrificium contra Sacrificium, et Sacerdotem contra Sacerdotem, ac denique parœciam contra parœciam erigunt et opponunt. Earum quidem abolitionem non judicamus expedire, propter piorum operum et suffragiorum quæ exercent, bonitatem, earumque necessitatem in peste et publicâ calamitate ; sed eorum desideramus reformationem, propter abusum. Imprimis earum fundationes et statuta in visitatione ab Episcopis examinari jubemus, nec in posterum ullam innovari, nisi de expressâ Episcopi licentiâ, et confirmatione in scriptis habitâ, congrue ducimus à Curatis parœciarum, in quibus celebrantur, quæ sacra ab ipsis fiunt, regi ac disponi, et non ab alio Sacerdote nisi de Curatorum consensu, sine quibus quidquam agi non putamus æquum, cùm debeant Deo et Episcopis, de omnibus quæ fiunt in eorum Ecclesiis, rationem reddere, et plecti pœnâ, si quid permiserint perperàm aut impiè geri. Inhibemus etiam in Dominicalibus earum Missis aquam et panem benedici, aut conciones haberi ; sed ea servari parœciali Missæ, à quâ populos avertunt. Vetamus imagines baculis impositas à mulieribus deferri intra Ecclesias, sed omnia cum pietate et decentiâ fiant : frequentiam et sumptum conviviorum, quæ à charitatis fratribus, et aliis tam separatim per ordinem, quàm conjunctim impensâ fraternitatis agitantur, ebrietates, lascivias et scurrilitates quæ in ipsis committuntur, ac denique omnia quæ ad charitatem et ædificationem non pertinent, damnamus, et ea perpetrantes analhematizamus. Quidquid verò de collectis et conscriptorum fratrum contributionibus celebrationi officii divini superfuerit, suffragiis faciendis pro mortuis, fabricis et ornamentis Ecclesiarum, atque aliis piis operibus impendi præcipimus.

Concil. Remen. *ann.* 1583. *Tit. de diebus festis*, *num.* 7. Fraternitatum societates ne diebus Dominicis horâ Missæ parœcialis, quæ competenti

horâ celebretur, fiant : neve in iisdem panis aut aqua benedicatur à Sacerdote, sub pœnâ suspensionis, multoque minùs permittantur in hujusmodi conventibus crapulæ, comessationes, monopolia, et alia divino cultui repugnantia. Quæ autem erogabitur pecunia, in capsulâ recondatur, et ad usum Ecclesiasticum aut aliquod aliud pium opus referatur, et applicetur.

Num. 8. Nullæ deinceps fraternitates, sine Episcopi licentiâ instituantur: quæ autem sunt institutæ hactenùs, aut approbentur ab eo, aut aboleantur.

CONCIL. BITURIC. *ann.* 1584. *de Confraternitatibus et sodalitiis, tit.* 44. *can.* 1. Confraternitates illæ tantùm retineantur, quæ pietatis operibus vigent, et ab omni fastu et pompâ sunt alienæ : in quibus etiam leges Christianæ religioni non repugnantes constitutæ sunt. Si quæ aliter fuerint institutæ, Episcopi arbitrio vel corrigantur, vel tollantur : in posterum verò nullæ sine Episcopi licentiâ instituantur.

Can. 2. Si quæ confraternitates hactenùs aut intermissæ aut penitùs sublatæ sunt, earum redditus ad opera pia arbitrio Episcopi impendantur, quousque seminaria instituantur, quorum usibus tunc applicabuntur.

Can. 3. Non liceat Canonicis et cæteris Ecclesiasticis confraternitatum prætextu suas Ecclesias relinquere tempore divini officii, sub pœnâ privationis distributionum illius diei.

Can. 4. Non celebrentur confraternitates in choro ad majus altare Ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum, sed in sacellis tantùm et extra horam, quâ divinum officium peragitur.

CONCIL. TOLOSAN. *ann.* 1590. *Part.* 2. *de Confraternitatibus et sodalitiis, cap.* 7. *num.* 1. Disciplinatorum, seu pœnitentium societates absque Episcopi licentiâ nullæ instituantur; institutas, ex sacris Tridentini Concilii decretis, vel tanquam sedis Apostolicæ delegati, Episcopi visitent, institutorum legumque suarum, si probatæ illæ sint, formam ritè confratres exsequi, quæque in illis corrupta viderint, ea emendanda, vel etiam penitùs tollenda curent.

Num. 2. Quos ad confratriarum regimen accedere Gubernatores contingat, eos in ipsâ muneris susceptione, in legum statutorumque observationem, aut juramento, aut saltem pollicitatione Episcopi se obstringere hortentur, curentque diligenter, ut quæ illis injuncta fuerit officii recitandi, orandique formula, ea statis diebus horisque, quâ decet devotione, observetur.

Num. 3. Quo tempore Dominicis festisque aliis diebus, divina officia recitantur, sacra Missarum solemnia cantu celebrantur, concionesque aut in cathedrali, aut parochiali Ecclesiâ publicè habentur, eo tempore nullæ in confraternitatibus cæremoniæ, nulla sacra peragantur.

Num. 4. Quæ publicè supplicationes decernentur, quibus confratres adesse necessarium fuerit, frequentes eos convenire Episcopi hortentur.

Num. 5. Quæ petulans adeò confraternitas fuerit, ut omnibus scandalo sit, emendarique nullo modo possit, ei vel aliam Episcopi sufficiant, aut si visum fuerit, rescindant, ejusque penitùs memoriam obruant.

Num. 6. Quod Tridentina jussit Synodus, à confratriarum œconomis quotannis Episcopi sibi, vel quibus visum fuerit à se constitutis, gestæ administrationis rationem exposcant.

Num. 7. Præfectos, ac sodales, seu confratres hortationes frequenter habere jubeant, hunc laicis modum præscribentes, ut altioribus relictis Theosophiæ mysteriis, solas virtutum laudes, vitiorumque damna morali sermone persequantur.

Num. 8. Confratres confiteri sæpissimè, sæpissimè Eucharistiam sumere suadeant, nocturnas preces, nocturnas cæremonias ob ea, quæ indè emergere solent incommoda, quàm fieri poterit, rarissimè concedant.

Num. 9. Quæ sodalitiorum precibus dicata sunt oratoria, in iis nulla convivia, comessationesque nullas, vel ipsis confratrum sumptibus agitari, nihilque, quod ad ipsa sodalitia et ad religionem pietatemque non pertineat, in iisdem tractari permittant.

Num. 10. Qui sacra fidei Christianæ elementa non noverint, quive aut insigniter improbi, aut ad flagitia accommodati fuerint, eos in aliorum

numerum Præfecti non adscribant, adscriptos si moniti vitæ rationem non mutarint, flagitiisque persequentes fuerint, imploratâ Episcopi auctoritate, ab eorumdem societate segregent, et expellant.

CONCIL. NARBON. *ann.* 1609. *de Confraternitatibus cap.* 34. Confraternitates, et societates, in quibus per particulares quasdam actiones, aliaque exercitia spiritualia, facilliorem sibi salutis viam parare conantur fideles, non diù in bono pergere possunt, nisi certis statutis et constitutionibus muniantur: ideò visitent eas Episcopi: ubi non sint, constitutiones de novo ordinent: factas quas sibi exhiberi jubebunt approbent, si id debere fieri judicaverint. Inquirant modum vivendi, superstitiosa tollant: Rectores et Administratores annuatim eligendos constituant, qui infra mensem post novam electionem suæ administrationis rationem reddent coram Episcopo, aut per eum ad hoc deputato, aliisque, secundùm confraternitatis consuetudinem electis, in quo consistant reditus investigent, et librum inventarii fieri jubebunt, cujus transcriptum penès se in archivis retinebunt.

In electionibus vitentur rixæ et partialitates, illique tantùm eligantur qui in ipsâ confraternitate laudabiliter fuerint versati, qui statim et antequàm officium exerceant se Episcopo aut ab eo deputando præsentabunt, approbationem et benedictionem recepturi, in cujus manibus juramentum præstabunt, se fideliter munus obituros, rationem administrationis reddituros, ut quod supererit de reditibus in pios usus (consulto tamen Episcopo aut Rectore Ecclesiæ) convertantur.

Præcedentiæ inter confraternitates dirimantur, ut antiquiores confirmatæ et approbatæ, recentioribus præferantur.

Comessationes et convivia quæ sumptibus confraternitatum alicubi fieri solent, in posterum sub pœnâ excommunicationis ne fiant: nec sumptus et expensæ ad hoc factæ in computis posthàc admittantur.

In ipsis confraternitatibus et capellis, non asservetur sanctissimum Christi corpus, nisi hoc expressè approbante Episcopo: quo casu sit tabernaculum decenter ornatum, obseratum clave, ante quod perpetuò lampas ardeat: illius clavem Presbyter et non secularis teneat: in capillis verò earum confraternitatum ubi aliquod recitatur officium, illud fiat horâ competenti, ita ut dùm parochiali recitatur in illis omninò cessetur.

Caveant in posterum Clerici quicunque sub pœnâ excommunicationis, Rectores confraternitatum cum processione vel cantu vocare aut ducere in Ecclesiam: sed ipsi Rectores Ecclesiam adeant, et processionem si facienda sit, comitentur.

S. CAROL. *Concil. Mediol.* I. *Part.* 3. *de piorum locorum administratione.* Qui pecuniam Ecclesiis, confraternitatibus, aut quibuscunque piis locis debent, illorum Procuratores, Syndici, Ministri esse aut ullam denique in eis officii aut negotii partem administrare non possint.

Administratores Ecclesiastici vel Laïci piorum locorum, sive hospitalia, montes pietatis, confraternitates, misericordiæ, charitates, consortia, disciplinæ, sive alio quocunque nomine nuncupata sint.... antequàm ad administrationem accedant, jurent se fideliter et accuratè munus suum exsecuturos. Fructus qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus tantùm distribuant, quemadmodùm cujusque inopia, et ejus voluntas à quo bona illa profecta sunt, postularit.

Quos autem compererit Episcopus vel iniquè distribuendo, vel in suum commodum vertendo, vel inutilibus et supervacaneis sumptibus faciendis, malè in administratione versari, eos pro modo culpæ puniat, et ad restitutionem legitimè compellat, et ab officio etiam si ei videbitur, amoveat.

Curent Episcopi, ut retento piæ eleemosynæ instituto, tollantur publicæ illæ comessationes, cæteraque hujus generis, quæ à sodalitatibus, quas confratrias vel confraternitates vocant, præsertim intra ambitum Ecclesiarum.... pietatis specie fieri solent.

Concil. Mediol. IV. *quæ ad pia loca pertinent, pag.* 160. Quicunque piorum locorum administrationem procurationemve suscipiunt, geruntve, illud in primis sæpè meminisse debent, se pauperum pupillorum, viduarum, senum, egestate aut ægritudine laborantium, peregrinorum, et aliorum

Hæc spectant vel eos qui confraternitates instituunt dirigunt vel eos qui adscribuntur in confraternitatem.

id generis hominum alienâ ope egentium, prout propria uniuscujusque loci instituta ratio est, curam sustinere....

Quare bi valdè curent, ut omnibus suscepti muneris partibus satisfaciant: deindè videant, ut nihil quidquam à curæ quam gerunt ratione alienum ullo modo pactove admittant: tùm id sollicitè studeant, ut quæ officia illis pro administrationis susceptæ munere debent, ea obeant, atque adeo præstent omni piæ charitatis affectu. Non suis, sed eorum pauperum curam susceperunt commodis, atque utilitatibus serviant. Omnibus piè consulant, nec ullam partem pro susceptæ curationis procurationisve officio negligant.

Munus quod gerunt, sæpè sibi proponant ejusmodi esse, in quo non profanæ cujusdam administrationis negotitve, sed sanctæ spiritalisque actionis partes atque officia, et Deo gratissima charitatis opera exsequantur, piè, religiosè, et quàm diligentissimè.

Cùm capitula, congregationesve habent, tùm initio tùm in fine sanctis precibus et orationibus, in libro officii beatissimæ Mariæ Virginis eo nomine præscriptis, utantur. Cùm verò aliquid aggrediuntur, quod ad curæ suæ rationes pertineat, initium à piâ oratione faciant: ut quod inchoatur, benè, salutariterque succedat. Omni denique morum gravitate, vitæ integritate, pietatis religione, et spiritualium exercitationum Episcopo probatarum, quas inter se collegiatim præstent, studiis tales se præbeant, ut eorum locorum rectam administrationem, piamque institutionem non solùm conservent, sed optimis progressionibus Deo auctore adjuvent, atque amplificent....

Ne ullæ cujusvis nominis piæ confratriæ instituantur, eriganturve, neve erectæ, aut institutæ collegii sibi habitum sumant, sine sedis Apostolicæ, vel Episcopi auctoritate et facultate litteris explicatâ....

Ut odiis, dissidiis, atque inimicitiis occurratur, rursùsque paci, cujus fideles in primis amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se juncti, consulatur; id præter cætera Episcopi paternâ sollicitudine curent, in suâ quique urbe et diœcesi, aliquam hominum, qui morum gravitate, spectatâ integritate et auctoritate præstantiores sint, confratriam.... instituere: cujus officium sit discordiæ flammas restinguere, dissidia amovere, concordiam inire, pacemque inter omnes reconciliare; aut hoc ipsum componendæ inter dissidentes pacis officium alteri confratriæ adjungant, quæ rectè, aptèque id ipsum præstare queat.

Concil. Mediol. V. *Pars.* 3. *pag.* 237. Ne cujusvis confratriæ scholæve Præfectus in scholæ suæ numero quemquam doctrinæ Christianæ rudem atque ignarum adscribi permittat, cujuscumque ætatis aut conditionis ille sit. Id verò curæ sit Sacerdoti proprio illius scholæ, vel Parocho, in cujus finibus est.

Ne facinorosi homines neve turpis vitæ aut infamiæ labe notati in confratriis adscribantur. Si qui verò jam adscripti sunt, si moniti, honestæ vitæ rationibus se non conformarint, à confratrum numero Episcopali auctoritate et curâ amoveantur....

Quo tempore in basilicâ cathedrali, Ecclesiave parochiali officium vesperarum celebratur, tunc ne in ullis confratriæ scholæve oratoriis civitatis aut loci illius ab eisdem confratribus recitari liceat officia; sed vel antè vel post recitentur: ita tamen ut non solùm ejusmodi officiorum occasione non divertantur illi à divinis officiis publicis; sed ne etiam à scholis doctrinæ christianæ, in quibus ejusmodi confratres utiles adjutores et operarii esse solent.

Conc. Mediol. VI. *pag.* 258. Unicuique confratriæ Episcopus Sacerdotem constituere studeat, vitæ spiritualis usu peritum, beneque in sanctis exercitationibus versatum; qui salutaribus consiliis, monitis, documentis, aliisque officiis, confratres in omnem agendi partem tanquam pater et dux spiritalis conformet....

Ne processiones in posterum noctu agi liceat, nisi et Episcopi consensu, et regulis certis ab eo præscriptis. Mulieres autem processiones nocturnas obire interdictum omninò sit.

Quæ spectant Institutores vel Directores confraternitatum, hæc ferè sunt.

Caveant 1° ne quid fiat inconsulto nec approbante Superiore legitimo.

2° Ne quid statuatur quod non sit rectum et pium, quod non conferat ad utilitatem et ædificationem communem, quod adversetur menti et regulis Ecclesiæ.

3° Ne quid fiat quod componi non possit cum cæteris Christianorum sive communibus sive specialibus officiis. Verbi gratiâ, ne sub prætextu confraternitatis quisquam abstrahatur à debito Parochialium officiorum, etc.

4° Ne ullæ indulgentiæ, ulla nova miracula publicentur sine auctoritate Episcopi.

5° Ne bona confraternitatis dissipentur, ne ex illis fiant convivia, aliæve expensæ superfluæ: sed sanctè illa expendantur in usus pios, et scopo confraternitatis accommodatos.

Quæ verò spectant ad eos qui nomen dant confraternitati, hæc præcipua sunt.

1° Nemo in confraternitatem adscribi postulet, nisi intentione purâ, et oculo simplici, nihil in mente habens nisi Dei gloriam, suamque proximique salutem.

2° Idcoque videat primùm nùm stare possit scopus confraternitatis cum reliquis officiis quæ obligant Christianos omnes, vel quæ propria sunt alicujus conditionis: verbi gratiâ patris matrisve familias, servi, ancillæ, Judicis, etc. vel unicuique pecularia sunt; verbi gratiâ, peccandi occasionum fuga, debitum pœnitentiæ sacramentalis, etc. Nam, ut jam diximus, observatio præceptorum præponenda est consiliorum observationi: et turpiter hallucinatur qui post habitis præceptis, consilia religiose sectatur. Hujus certè vana est religio.

3° Qui cum hâc cautione nomen dedit confraternitati ab Ecclesiâ approbatæ, quæ ædificationis sunt sectetur et custodiat, Pastoribus et præpositis subditus sit, leges confraternitati positas, quoad ejus fieri potest, teneat et observet: alioqui scopum confraternitatis nunquam assecuturus. Denique fugiat abusus omnes in res hujusmodi irrepere solitos.

I. Quinam abusus irrepere solent in confraternitates?

R. Abusus illi plerumque oriuntur ex infractione regularum mox traditarum. Pauca subjiciam ad majorem rei explicationem.

1° Sunt quos non pietas, non religio, non Christiana charitas; sed vanitas, levitas animi, hypocrisis, aliæve motiones culpandæ impellunt ad nomen dandum confraternitati.

2° Sunt qui præsumptione temerariâ existimant certam sibi fore salutem, dummodò adscribantur in aliquam confraternitatem, quantumcumque aliena sit eorum vita à principiis et regulis vitæ Christianæ.

3° Sunt qui contenti gestatione habitûs quo confratres ab aliis secernuntur, scopum confraternitatis, quod præcipuum in eâ est, ne norunt quidem, nedùm assequantur : verbi gratiâ, multis religio foret abstinere à gestatione scapularii Fratrum Carmelitarum, vel funiculi Franciscanorum ; illis autem nulla religio est vivere in luxuriâ, crapulâ, ebrietate, comessationibus. Næ iis verè dici potest quod exprobrabat Christus Pharisæis : *Reliquistis quæ graviora sunt legis.... hæc oportuit facere, et illa non omittere.* (*Matth.* XXIII. 23.)

Non magnâ eruditione opus est ad condemnandos abusus ejusmodi : et si qui forent Prædicatores, et conscientiarum moderatores, quod vix credibile est, qui faverent illis abusibus, neminem latèat illos ab Ecclesiâ vehementer reprehendi, et cognitos pœnis gravibus coërceri. (D)

I. Quid facto opus iis qui adscripti sunt in confraternitatem aliquam, cujus id moris est ut confratres secernantur ab aliis signo aliquo exteriori : verbi gratiâ, rosario, scapulari, funiculo, cingulo pelliceo ?

R. 1° Qui gestant ejusmodi signa, his signis jugiter admonentur ad vivendum piè, sanctè et sine ullâ offensione : item ad sectanda, quantùm fieri potest, confraternitatis illius officia. Qui aliter facit, næ ille Judaïcè vivit, non Christianè.

2° Caveant signa illa gestantes, ne non gestantes habeant pro profanis : caveant non gestantes, ne gestantes contemnant et parvipendant, ceu minutioribus rebus nimiùm deditos. Res illa singulorum devotioni permittit Ecclesia ; nec nisi temerè, ne dicam impiè, culpatur quod Ecclesia approbat. Mos iste signa illa gestandi pius et sanctus est, nec multùm recens, si rerum origines spectes. Parvi ingenii est res singulas non nisi ex propriâ animi affectione, ex proprio ingenio æstimare. Qui ista vituperant, fortè ex eorum numero sunt de quibus loquitur Judas Apostolus ; *Quæcunque ignorant, blasphemant* (*Judæ* 10.) ; fortè res non ut sunt, sed abusus ab Ecclesiâ damnatos spectant. Qui rem penitùs perspexerit, fatebitur ultrò hunc morem ex usu antiquo et minimè reprehendendo, ne dicam sancto, manare. Rem explico.

(D) Concil. Tridentin. *Ann.* 1546. *Sess.* 5. *de Reform. Cap.* 2. Si verò quod absit, Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit, contra eum secundùm juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet : quo casu Episcopus auctoritate Apostolicâ, et tanquam sedis Apostolicæ delegatus procedat.

Quæstores verò eleemosynarii, qui etiam qu estuarii vulgò dicuntur, cujuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant : et contrà facientes ab Episcopis et Ordinariis locorum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omninò arceantur.

Erat id olim non insolens, ut ii maximè qui morti proximi erant monachalia indumenta ritu solemni assumerent in signum pœnitentiæ. Id egit anno 1137. Ludovicus VI. cognomine Crassus, Francorum Rex. Recuperatâ sanitate non dimittebatur assumptus semel religionis habitus; nec propterea monachatum profitebatur, qui monachali veste sic induebatur: Undè illud vetus effatum, usurpatum à Concilio Tridentino: *Habitus non facit monachum.* (*Concil. Trid. Sess.* 14. *de reformat. cap.* 6.)

Piæ illi devotioni successit consuetudo laudabilis suscipiendi ritu solemni scapulare Carmelitarum, cingulum pelliceum Eremitarum sancti Augustini, funiculum Franciscanorum, rosarium Dominicanorum. His veluti tesseris unitur societas cum illis Ordinibus, monenturque confratres imitari pœnitentiam cæterasque virtutes eorum qui in illis Ordinibus sanctitate floruerunt; non nisi temerè carpitur ejusmodi consuetudo; nec minus aberraret à vero, si quis pietatem et religionem omnem spemque salutis in signis illis exterioribus collocaret, neglecto ejusmodi confraternitatum scopo. Quo in errore fieri potest ut versati fuerint multi eorum qui in signum pœnitentiæ Religiosis vestibus induebantur ante obitum, ut fit etiamnùm sæpius in Hispaniâ, Italiâ, Germaniâ, etc.

Idem dicendum de aliâ piâ consuetudine, quæ frequens olim fuit, ut Christiani morientes in strato cilicio et cinere decumberent. Quod fecêre quidam è regibus Christianissimis, et observatur etiamnùm religiosè in domibus Cisterciensibus, aliisque monasteriis nonnullis. Si isthæc exteriora fiant cum intimo pietatis sensu, cujus signa sunt; laudanda sunt et retinenda. Si interiori pietatis sensu destituantur, revocanda sunt ad litteram occidentem, non ad spiritum vivificantem: corpus sunt animâ destitutum. Nedùm prosint, noxia sunt quatenùs dant occasionem plus nimio confidendi signis illis exterioribus, et spem salutis majorem in iis constituendi quàm oporteret. Itaque Pastores, cæterique moderatores conscientiæ rudem plebem sedulò doceant quâ mente sectanda sint exteriora ejusmodi devotionis arbitrariæ signa, ne plus quàm par est iis tribuatur virtutis; illaque adjumento esse valeant ad salutem. Id ipsum eloquantur et prædicent quicunque ex Religiosis ad ministerium prædicationis et directionis animarum assumuntur: *ut omnes unanimes uno ore honorificent Deum* (*Rom.* XV. 6.), docendo quod docet Ecclesia, damnando et rejiciendo quod illa damnat et rejicit; itaque ita *obstruatur os* (*Rom.* III. 19.) hæreticorum, impiorum, aliorumque *loquentium iniqua.* (*Ps.* LXII. 12.) (E)

(E) LE GUESNOIS *pag.* 1117. *Titre* 15. §. 4. *Ordonnance de* FRANÇOIS I^er^ *donnée à Villers-Coterets au mois d'Août* 1539. *art.* 185. Suivant nôs anciennes Ordonnances et Arrêts de nos Cours souveraines seront abbatues et interdites toutes Confrairies de gens de métier et artisans par tout notre Royaume.

§. 3. De Rosario et Coronâ B. Mariæ Virginis, Gallicè *Rosaire et Chapelet*.

I. Rosarii et Coronæ B. M. Virginis nomine quid intelligis?

R. Intelligo vel instrumentum ex granis majoribus minoribusque inter se certo ordine connexis constans, ad juvandam memoriam in frequenti orationis Dominicæ et salutationis Angelicæ recitatione.

Vel ipsum circulum orationis Dominicæ et salutationis Angelicæ, quæ alternis vicibus recitantur, hoc ordine:

Fit signum crucis; invocatoque Dei adjutorio, ut fit in precibus horariis, recitatur Symbolum Apostolorum, oratio Dominica et salutatio Angelica, quæter dicitur. Deinde recitatur oratio Dominica et decies salutatio Angelica, quod fit eodem ordine sexies. Finito circulo ter dicitur salutatio Angelica, semel oratio Dominica; concluditurque precatio recitatione Symboli. Hoc quod est Corona B. Mariæ dicitur, Gallicè *Chapelet*.

Si hic orationis Dominicæ et salutationis Angelicæ post orationem Dominicam recitatæ circulus quindecies repetatur, hoc *Rosarium* dicitur.

Art. 186. Et ne s'en entremettront les artisans et gens de métier sur peine de punition corporelle: ains seront tenus dedans deux mois après la publication de ces présentes en chacune de nos Villes, apporter et mettre par devers nos Juges ordinaires des lieux toutes choses servans et qui auront été députées et destinées pour le fait desdites confrairies, pour en être ordonné ains que verrons être à faire.

Art. 187. Et à faute d'avoir ce fait dans ledit temps, seront tous les maitres du métier constitués prisonniers jusques à ce qu'ils auront obéi, et néanmoins condamnés en grosses amendes envers nous pour n'y avoir satisfait dans le temps dessus dit.

CHARLES IX. 1560. *Etats d'Orléans art.* 10. Ordonnons que les deniers et revenus des Confrairies, la charge du service divin déduite et satisfaite, soient appliqués à l'entretenement des Ecoles, et aumônes ès plus prochaines Villes et Bourgades et Villages où les Confrairies auront été instituées; sans que les deniers puissent être employés à autre usage, pour quelque cause que ce soit. Commandons à nos Officiers, Maires, Echevins, Capitouls et Conseillers de Villes et Bourgades, chacun en son endroit, y avoir l'œil; à peine de s'en prendre à eux.

CHARLES IX. *à saint Germain en Laye, le* 5. *Février* 1561. *donnée pour la ville de Lyon.* Voulons et nous plait, que touchant l'Ordonnance de notre feu sieur et aïeul du mois d'Août 1539. toutes Confrairies soient anéanties et abolies, et icelles anéantissons et abolissons. Inhibant et défendant très-expressément à toutes personnes de quelque état, qualité et condition qu'ils soient résidans et demeurans en la ville de Lyon et faubourg d'icelle sur peine de punition corporelle, et autres peines et amendes arbitraires, de ne plus porter leurs pains benits, en telle façon d'assemblée, ains aller et venir aux Temples paisiblement, et de s'en retourner chacun en leurs domiciles sans rumeur ni aucun autre acte scandaleux.

CHARLES IX. 1566. *de Moulins Art.* 74. Enjoignons faire exécuter réalment et de fait les Ordonnances faites pour ôter et interdire les Confrairies et assemblées et banquets accoutumés pour bâtons et autres choses semblables.

HENRI III. 1579. *Etats de Blois artic.* 37. Suivant les anciennes Ordonnances des Rois nos Prédécesseurs: Défendons toutes Confrairies de gens de métier et artisans, Assemblées et Banquets: sera le revenu d'icelles employés tant à la célébration du service divin selon l'Ordonnance qui en sera faite par l'Evêque Diocésain, qu'à la nourriture des pauvres et autres œuvres piteyables.

Potest quisque pro devotione addere si velit, *Gloria Patri*, ante quamlibet orationis Dominicæ recitationem. Potest et alias preces inuectere. Potest sic invertere ordinem, ut dicat semel salutationem Angelicam, et decies orationem Dominicam; hocque sexies, vel quindecies repetat.

Possunt ad ejus Rosarii vel Coronæ imitationem alia fingi pro arbitrio Rosaria. Verbi gratiâ, recitetur semel oratio Dominica, et decies deindè postuletur divina misericordia his verbis, vel aliis: *Miserere mihi Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Et sub tegmine alarum tuarum exsultabo, donec transeat iniquitas.* (*Ps.* LVI. 2. *et* 5.)

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. (*Psal.* CXLII. 10.)

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tuâ, et doce me: quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui totâ die. (*Ps.* XXIV. 4. *et* 5.)

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. (*Ibid.* 11.)

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. (*Ibid.* 17. *et* 18.)

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversùs eum. (*Ps.* XII. 4.)

Alias ejusmodi precandi formulas, quæ decies post orationem Dominicam repeti possunt, idque sexies vel quindecies, multas Psalmorum liber complectitur.

Potest et in honorem sanctorum Angelorum recitari Rosarium hoc modo. Recitetur semel oratio Dominica, et decies hæc aliave verba hujusmodi: *Sancti Angeli, quos Deus ineffabili providentiâ ad nostram protectionem et custodiam mittere dignatur, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio:* idque sexies quindeciesve eodem modo repetatur.

Potest et in honorem Sanctorum recitari Rosarium hoc modo. Post orationem Dominicam dicatur decies, *sancte Joannes Baptista, sancte Petre, sancte Paule, omnes sancti Apostoli, omnes sancti Discipuli Domini, omnes sancti Martyres, omnes sancti Pontifices et Confessores, omnes sancti Monachi et Eremitæ, omnes sanctæ Virgines, omnes sanctæ Viduæ, omnes Pœnitentes, omnes et Sancti et Sanctæ Dei intercedite pro nobis peccatoribus, nunc et in horâ mortis nostræ. Amen.* Idque sexies quindeciesve eodem ordine repetatur.

Ex his precandi formulis priores duæ celebriores sunt, ex oratione Dominicâ et salutatione Angelicâ constantes, de quibus jam suprà fusè egimus (*hujusce Sect. Cap.* 4. *et* 5.): adeò ut superfluum sit alia subnectere, ut probemus sanctum et salutiferum esse harum usum.

I. Quid observandum, à quo cavendum est in recitatione Rosarii vel Coronæ B. M. Virginis?

R. Id observandum, ab eo cavendum, quod supra dixi-

mus (*hujus Sect. Cap.* 5.), ubi sermo fuit de quâcunque oratione vocali. Id est orandum mente, orandum ore, orandum corde. Cavendum in hoc maximè orationum sæpiùs repetitarum circulo, ne mens vagetur, dùm labiis verba pronuntiantur. Christiano non Judaïco more orandum : ne ad Christianos orantes verba Christi ad Judæos post Isaïam Prophetam loquentis referantur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* (*Isaï.* XXIX. 13. *Matth.* XV. 8.)

I. Vereor ne quid superstitionis inesse videatur in hoc determinato precationum numero. Nam ad Rosarium B. M. Virginis, recitatur oratio Dominica quindecies, salutatio verò Angelica decies post quamlibet recitationem orationis Dominicæ. Ad Coronam verò B. M. V. recitatur oratio Dominica sexies, salutatio verò Angelica decies post quamlibet orationis Dominicæ recitationem. Quid habet numerus iste mysterii.

R. Qui hanc precandi formulam instituerunt, in Rosario quindecies recitandam orationem Dominicam, et post quamlibet orationis Dominicæ recitationem decies recitandam salutationem Angelicam proposuerunt, ut plebs rudis occuparetur recitatione precum quas unusquisque memoriter tenet. Ut autem mens, quæ vix potest eamdem orationem toties attentè repetere, interim occuparetur aliquâ piâ cogitatione, numerum præfixerunt qui responderet Christi mysteriis quindecim, quæ solebat B. Virgo Deipara mente revolvere, et quorum aliquatenùs particeps fuit; ut eadem mysteria mente revolvantur in ipsâ Rosarii recitatione. In Coronâ verò B. Mariæ Virginis ter suprà tricesies recitatur salutatio Angelica, ut revocentur in memoriam tres anni supra triginta quibus Christus vixisse vulgò creditur. Nihil ibi superstitionis est, nihil alienum à fidei Catholicæ regulâ. Adde quòd non in eo præcisè numero constituatur vis orationis. Eadem oratio sæpiùs cum fide repetita denotat orationis instantiam.

§. 4. De piis usibus quos approbat Ecclesia. Itemque de iis quos tolerat solùm.

I. Probatne Ecclesia singulas fidelium *devotiones*, ut vulgari sermone loquatur ?

R. Sunt quas Ecclesia probat et laudat multùm ; sunt quas Ecclesia carpit, et quantùm in se est exstirpat : sunt quas Ecclesia carpit quidem, sed tolerat tamen.

Probat Ecclesia et laudat quæcunque sancta sunt et justa et laudabilia, quæcunque veram pietatem sapiunt, quæcunque consona sunt regulis fidei, doctrinæ sanctorum Patrum, Ecclesiasticæ traditioni et disciplinæ ; uno verbo quæcunque ædificationis sunt, et conferre possunt ad verum Dei cultum, et ad salutem animarum.

Carpit et exstirpat quæcunque aliena sunt à fidei et morum regulâ, nec possunt sub quocunque prætextu tolerari.

Carpit et exstirpare satagit, sed tolerat tamen abusus quosdam, quos vel ignorantia, vel pietas falsa invexit, alienos quidem a mente Ecclesiæ, sed tamen à fidei et morum regulâ non prorsùs discrepantes. Sunt quæ corrigi in melius nequeunt sine gravi scandalo. Sunt quæ tolerari satius est, quàm reformari, ob indè secutura incommoda. Sunt sæpe mala minora ferenda patienter, ne majora mala ex ipsâ minorum malorum correctione nascantur. *Detrahendum est aliquid severitati*, inquit sanctus Augustinus (*Epist.* 185. *aliàs* 50. *ad Bonifac. cap.* 10. *n.* 45.), *ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. Hoc non fieret*, inquit idem (*Ibid. n.* 44.), *quoniam reverâ fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur... Fit vulnus in arbore, ut ipso quodam vulnere matris Catholicæ* filii *reviviscant.* (A)

I. Quid agendum, cùm videmus abusus ab Ecclesiâ non approbatos quidem, sed toleratos?

R. Tolerandum patienter quod Ecclesia tolerat. Si quid Ecclesia novit non rectum, silet tamen; silendum. Nec propterea sequendi abusus, si ab iis abstineri possit; sed assequenda in omnibus, quantum fieri potest, mens Ecclesiæ.

I. Probatne Ecclesia, an tolerat solùm, usum hunc à plebe Christianâ frequenter usurpatum, ut cruces, rosaria, sudariola applicent feretris quibus sanctorum corpora vel reliquiæ continentur.

R. Usus ille sanctus est et pius, ab Ecclesiâ probatus, et ipsius Scripturæ sacræ auctoritate consecratus. Sic enim legimus in Actis Apostolorum: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli. Ita ut super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab iis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* (*Act.* XIX. 11. *et* 12.)

(A) S. Aug. *ad inquisit. Jan. lib.* 2. *Epist.* 55. *aliàs* 119. *cap.* 19. *n.* 35. Quod autem instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiam si multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quod multa quæ in divinis libris salubérrimè præcepta sunt, minùs curantur; et tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur; nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omninò nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.

Hinc ortus est pius usus applicandi ad corpora vel reliquias Sanctorum, sudariola, cruces, rosaria, aliaque id genus, quorum fit quotidianus usus. Non potest Ecclesia improbare usum à Deo ipso in sacris codicibus probatum, et miraculis confirmatum. Quod ait liber Actuum (*Ibid.*). *Cùm deferrentur super languidos à corpore Pauli sudaria et semicinctia, recedebant ab iis languores, et spiritus nequam egrediebantur:* hoc ipsum testatur sanctus Ambrosius accidisse, cùm à feretris sanctorum Gervasii et Protasii, sudaria super infirmos et energumenos deferrentur. Hoc ipsum testatur sanctus Augustinus in Africâ constitisse ex contactu reliquiarum sancti Stephani aliorumque quorum testis oculatus ipse fuerat; sicut et Mediolani sanctus Ambrosius. (B)

I. Probatne Ecclesia, an tolerat solùm, usum hunc multis in locis celebrem, ut in templis, imò et in vicorum angulis, et urbium compitis, sculptæ B. M. Virginis cæterorumve Sanctorum imagines, pretiosis vestibus circumtectæ collocentur, et ante eas lampades vel cerei accendantur?

R. Hunc usum Ecclesia non præcipit quidem, sed nec reprehendit, imò probat, utpotè nihil habens alienum a fidei et morum regulâ. Si Christiana plebs eò ignorantiæ prolaberetur, ut putaret esse in illis imaginibus vim insitam, vel si quid superstitionis in illo cultu exteriori admisceretur, contradiceret Ecclesia, ut patet ex Concilio Tridentino (*Vide Concil. Trid. Sess.* 25. *decreto de invocat. SS. et sacris imaginibus, suprà Part.* 2. *Sect.* 3. §. 5. *litt.* (I); sedulòque invigilare tenentur Episcopi ne quid superstitionis subrepat in re ejusmodi. Sed res in se bona est, fidei consona; nec quidquam habet quod reprehendi jure merito possit. Vestes illæ ad tegendas Sanctorum sculptas imagines, fiant ex sculpto lapide, vel marmore, vel ære, an ex panno serico, perindè est. Pretiosarum vestium ornatu exhibetur Sanctis ipsis, quos statuæ repræsentant, debita reverentia. Lampadibus verò vel cereis ante sacras illas imagines ardentibus admonemur Sanctos in æternæ lucis regione jam cum Christo regnare, ut ad illam lucem et nos accedere satagamus.

I. Probatne Ecclesia, an tolerat solùm, ritum hunc, quo Presbyteri vel Diaconi posità super capita fidelium stolâ, recitant Evangelium, ad satisfaciendum piæ plebis devotioni?

R. Ritum hunc Ecclesia probat, imò multis in Ecclesiis post solemnem Baptismi cæterorumque quorumdam Sacramentorum administrationem jam pridem adhibet. Dubium nullum est quin magna vis insit sacrosanctis Evangelii verbis ad impetrandum quod à Deo supplices petimus, ad depellendos morbos, et fugandos dæmones. Hoc ritu adorandis Evangelii verbis honorem et reverentiam exhibemus,

(B) S. Ameros. *Epist. class.* 1. *Epist.* 22. *n.* 9. *et* S. Aug. *lib.* 22. *de civitate Dei, cap.* 8. *Vide superiùs Part.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 2. §. 4. *litt.* (F)

id est, Christo ipsi, qui veritas est. Quod sane non potest Christus improbare.

Sed quoniam plerumque accidit depravatos homines et diabolico spiritu actos rebus optimis et sanctissimis ad suam aliorumque perniciem abuti, cum in aliquibus Germaniæ regionibus accidisset huic sancto ritui adjunctas fuisse superstitiones, Concilium Salegunstadiense ritum hunc usurpari prohibuit ab iis qui eo pro aliquâ divinatione abuterentur: sicut et hunc tollere omninò jure potuisset, imò et debuisset, si aliter non potuisset tolli superstitio huic adjuncta. (*Lege supra hujusce Concil. can.* 10. *Cap.* 7. *hujus Sect.* §. 22. *n.* XXXI. *litt.* (C)

(Multæ quæstiones aliæ fieri possunt circa usus ab Ecclesiâ vel probatos, vel toleratos solùm. Sed facilè solvi possunt quæstiones ejusmodi, ex positis in toto hujus Operis decursu principiis.)

CAPUT UNDECIMUM.

De Visitatione Episcopali.

I. Cur Episcopus visitat singulas Ecclesias suæ ditioni subditas?

R. 1° Ut secundùm monitum Salomonis, *diligenter agnoscat vultum pecoris sui, suumque gregem consideret; non enim habebit jugiter potestatem.* (*Prov.* XXVII. 23.)

2° Ut quod ait Christus ipse Princeps Pastorum, *Oves vocem ejus audiant, et proprias oves vocet nominatim, et educat eas; et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadat: et oves eum sequantur; quia sciunt vocem ejus.* (*Joan.* X. 3.)

3° Ut *ad omnia ad quæ missus est, eat, et universa quæ mandata sunt sibi, loquatur.* (*Jerem.* I. 7.)

4° Ut constitutus super universam diœcesim, ubique evellat, et destruat, et disperdat, et dissipet, et ædificet, et plantet. (*Ibid.* 7.)

Evellat abusus, errores, ignorantiam, superstitiones, et cætera id genus.

Destruat lucos et excelsa, id est, ea omnia quæ rectæ religioni et sinceræ pietati adversantur.

Disperdat et dissipet vitia, scandala, impietatem.

Ædificet: quod sensu litterali et metaphorico intelligi debet. Sensu litterali, quia Episcopus circuit Diœcesim, ut curet novas ædificari Ecclesias, veteres resarciri, decorari; item cœmeteria, domos curiales, xenodochia, scholas ad erudiendam juventutem, et cætera id genus vel erigi vel refici. Ædificat autem sensu metaphorico, quia visitat Diœcesim, ut quæcunque ædificationis sunt stabiliat vel confirmet, et procuret Parochis omne bonum tam in spiritualibus quàm in temporalibus.

Et plantet virtutes et omne bonorum operum genus. Nam *semen est verbum Dei* (*Luc.* VIII. 11.); et dùm Episcopus visitat Diœcesim, dici de eo potest: *Exiit qui seminat seminare semen suum.* (*Ibid.* 5.) Hoc non fit sine labore, quia et ipsi Apostoli, quorum Episcopi successores sunt, *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV. 6.); sed *cùm apparuerit Princeps Pastorum* (1. *Petr.* V. 4.); *Venientes venient* ante faciem ejus *cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Ps.* CXXV. 7.), hoc est, fructus bonorum operum, *immarcescibilem æternæ gloriæ coronam accepturi.* (1. *Petr.* V. 4.)

5° Ut sacramentum Confirmationis per totam Diœcesim Baptizatis conferat.

6° Ut pro recèns confirmatis cæterisque omnibus in eâdem parochiâ commorantibus offerat sacrificium salutare, simulque cum eis communicet corpori et sanguini Domini.

Pontificale Romanum quinque causas præcipuas ponit propter quas fit visitatio Episcopalis. Illas subjicimus ex eo Pontificali excerptas.

Sacri canones, inquit, *et Ecclesiasticus ordo hoc* (id est parochiarum visitationem per Episcopum) *fieri præcipiunt propter multa.*

Primò, ad absolvendas animas defunctorum.

Secundò, ut sciat et videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis, qualiter ibi Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, et divina officia peraguntur, quale servitium ibi impenditur, qualis sit vita Ministrorum et populi; ut ex officio inquisitionis suæ, per eum si qua in præmissis corrigenda fuerint, corrigantur et emendentur.

Tertiò, ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, et similia publica in populo punienda, ad quod interdùm non sufficiunt Ecclesiarum Rectores; ostendens diligenter populo, quàm damnabilia et detestanda sint crimina ipsa.

Quartò, propter casus qui de jure vel consuetudine, ad Episcopum duntaxat pertinere noscuntur, qui in constitutionibus Synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quòd si quis vel si qua in aliquo ipsorum casuum, vel in quocunque alio, consilio ejus indiguerit, paratus sit benignè audire, et consilium et absolutionem impendere, ac pœnitentiam misericorditer injungere salutarem.

Quintò, ad exhibendum sacramentum Confirmationis, cujus solus Episcopus ordinarius minister est.

I. Quis ordo tenetur, qui ritus observantur in visitatione Episcopali?

R. Recipitur Episcopus à Clero et populo cum honore et reverentiâ debitis. Solemniter ad Ecclesiam deducitur, et quidem sub umbellâ, si tunc primùm visitet Ecclesiam. Interimque canuntur antiphonæ et responsoria, aliave cantica.

Intranti Ecclesiam offertur à Præposito Ecclesiæ aspersorium cum aquâ benedictâ : quo accepto, aspergit Episcopus seipsum et alios circumstantes. Deindè thus benedicit, et incensatur à Præposito Ecclesiæ. Tùm accedit ad altare majus, et genuflexus orat. Interimque Præpositus Ecclesiæ recitat preces in Pontificali præscriptas pro Episcopo adveniente, et populo visitando. Quibus dictis canitur antiphona in honorem Sancti Ecclesiæ illius Patroni seu titularis, canitque Episcopus orationem de eo. Deindè osculatur medium altaris, populoque solemniter benedicit ; factâque a circumstantibus confessione, absolutionem generalem, et quadraginta dierum indulgentiam confert iis qui visitationi interfuerint.

Depositis ornamentis albis assumit violacea, statimque canitur Psalmus *De Profundis* (*Psal.* XXIX.) : quo finito cum versiculis, canit Episcopus orationem pro defunctis Episcopis.

Deindè præeunte Clero, et sequente populo, procedit Episcopus ad cœmeterium, ibique dictis precibus pro defunctis Presbyteris cæterisque in cœmeterio quiescentibus, ad Ecclesiam eodem ordine revertitur, fusisque tertiò precibus *pro omnibus omninò in pace Ecclesiæ defunctis*, deponit ornamenta violacea, resumitque alba.

Tum vel anteà pro beneplacito sermonem habet ad populum, « in quo exponit causas suæ visitationis, » *ut ait Pontificale Romanum.* « Deindè inducit diligenter populum ad » pœnitentiam, et instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, » et in articulis fidei, et qualiter debent declinare à malo » et facere bonum, fugere vitia et sectari virtutes ; alteri » non facere quod sibi fieri nolunt. » Uno verbo dat populo monita salutis quæ magis expedire judicaverit.

Posteà incipit visitationem à sacrosanctâ Eucharistiâ ; deindè ad Baptisterium, indè ad sancta olea, ad sacras reliquias, tùm ad altaria, et capellas, et sacrarium se confert : videt nùm Ecclesia sufficienter et decenter ditata sit ornamentis cujusque coloris, vasis, libris, cæterisque ad Dei cultum et officia divina ritè celebranda necessariis. Postea baptizatos confirmat. Tùm visitat ipsam Ecclesiam, si fortè aliquâ reparatione indigeat in muris, pavimento, tecto, campanili. Visitat item domum Presbyteralem, hospitalia, scholas, confraternitates, aliaque pia loca. Reddi sibi rationem jubet reddituum fabricæ, fundationum, aliorumque bonorum Ecclesiæ. Benedicit ornamenta, calices, aliaque si quæ benedicenda sunt. Confessiones audit, si expedire judicaverit : inquirit de conversatione Cleri et populi, et qualiter spiritualia et temporalia administrentur : audit querelas si quæ sint, componit lites et dissidia quoad ejus fieri potest. Demùm statuit, et decernit quæcunque statuenda et decernenda judicaverit, et decretum visitationis Clero, et populo, si opus fuerit, significari curat.

Peractâ visitatione, et omnibus expeditis, accedit ad Ecclesiam recitaturus Psalmum *De profundis* cum versiculis et oratione præscriptis in Pontificali pro defunctis; actisque Deo gratiis discedit.

I. Cur ad Ecclesiam procedentem Episcopum Clerus et populus comitatur, cum canticis; et cùm in Ecclesiam introierit, fundit pro eo preces?

R. In signum lætitiæ canit cantica, oratque Deum pro Episcopo, ut utilis Parochiæ sit visitatio Episcopalis.

I. Cur post illas orationes, invocantur Sancti Ecclesiæ Patroni, deindè fiunt orationes pro mortuis; tùm dat Episcopus Benedictionem, Absolutionem, et Indulgentiam populo, antequàm incipiat visitationem?

R. Ipso ordine quo fiunt illæ precationes innuitur quanta sit inter triplicem Ecclesiam, triumphantem scilicet, patientem et militantem connexio. Eò præcipuè tendit visitatio Episcopalis, ut nexus ille inviolabilis permaneat, augeatur et perficiatur. Tùm demùm perficitur illa connexio cùm triplex illa Ecclesia in cœlum introducta, nec locorum spatiis dissita, coadunata fuerit, et impletum fuerit quod Christus in suâ solemni oratione precatur: *Rogo ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus: ut sint consummati in unum.* (*Joan.* XVII. 21. 22. *et* 23.) Ut fiat illa consummatio necesse est priùs ut animæ in carcere detentæ à pœnis purgatoriis liberentur, et fideles in terrâ superstites, Deo miserante, sic vivant, ut ad æternam pervenire mereantur felicitatem. Hoc ut fiat et promoveatur, visitat Episcopus plebem suam. Itaque visitationem incipit ab invocatione Sanctorum Ecclesiæ Patronum, ut eorum intercessione et fideles jam mortui in regione lucis et pacis constituantur, et viventes ambulent semitas rectas, et insistant Christi vestigiis. Quod ut faciliùs obtineat, precatur ipsis benedictionem, datque populo supplicanti peccatorum remissionem, absolutionem, et indulgentiam. Fundit varias preces pro fidelibus defunctis: et præcipit quæcunque ordinanda et præcipienda sunt ad salutem vivorum: tandemque expletis omnibus quæ spectant ad vivos, redit in Ecclesiam precaturus iterùm pro mortuis; ut Ecclesia patiens et militans coadunatæ tandem Ecclesiæ in cœlis triumphanti, consummentur in unum, atque ita totum corpus Christi mysticum Spiritu sancto afflante in æternâ Dei solius cognitione, adoratione, laude jugique amore conquiescat.

I. Quid agere debet populus Christianus dùm visitat Episcopus parochiam?

R. Debet 1° jungere se precibus quas fundit Episcopus, et enixè Deum orare pro Episcopo et totâ parochiâ; ut utilis et fructuosa sit illa visitatio.

2° Audire cum reverentiâ et attentione Episcopi sermones et monita.

3° Qui nondum susceperunt sacramentum Confirmationis, debent parati esse ad illud dignè suscipiendum.

4° Omnes maximè convenit paratos esse et ad communicandum sacramentaliter, si fortè Episcopus sit Missam celebraturus.

5° Si qui sint in parochiâ abusus, si quæ scandala, vitia, aliave quæ correctione indigeant, de iis monendus Episcopus, seclusâ prorsùs omni contentione, irâ, rixâ, æmulatione, vindictâ. Id agendum eâ solùm mente et intentione, ut *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ* (*Philip.* IV. 8.), hæc in parochiâ stabiliantur, et decreto Episcopali firmentur.

6° Interroganti Episcopo respondendum non ambiguè, sed verè et sincerè; omniaque ipsi planè et rectè exponenda.

7° Absolutâ visitatione, quæcunque recta et pia et vera decreverit, monuerit, docuerit Episcopus, omnia ad amussim exsequenda. (A)

(A) S. Carol. *Actor. Eccles. Mediol. part. I. Conc. Prov. part.* 2. *de Visit. pag.* 21. Inter Episcopalis officii munera, præcipua est, et ad salutem gregis maximè necessaria visitatio; ideò monemus Episcopos omnes, ut singuli ex decreto sacri Tridentini concilii, Ecclesiam suam ac diœcesim visitent intra tempus ab eodem Concilio præstitutum. Meminerint autem visitationem ad salutem eorum, qui visitandi sunt, institutam esse: quamobrem illis maximè propositum esse debet, ut in eis incorruptam orthodoxamque doctrinam, probatam disciplinam tueantur, ac restituant. Visitationis ordo is adhibebitur, ut primùm civitatem, deindè Diœcesim visitent; nisi fortè aliud Episcopo videatur. In civitate cathedralis Ecclesia primo loco visitetur, tùm singulæ collegiatæ, deinceps Parochiales omnes: quò et Parochi, et quicunque prætereà Sacerdotes et Clerici in Parochiis commorantur, evocandi sunt: scholas, seminaria, sodalitates, hospitalia, ac cætera pia loca visitantes, studiosè ac diligenter inspicient.

Studebunt verbi Dei prædicatione, vehementi cohortatione, ad religionem, vitæ innocentiam, pacemque et concordiam omnes adhortari. Si verò privatâ admonitione opus esse intelligent, in eam docendo, arguendo, obsecrando; pro rei, personæ, ac temporis ratione incumbent.

Confirmationis sacramentum, ubi opus erit, ministrabunt. Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur, et quos aliquo peccato teneri cognoverint, cujus absolutio Episcopo reservata sit, eos piè confitentes et humiliter veniam petentes, vel ipsi, vel per alios ad id munus delectos, absolvent. In singulis locis à viris ætate, usu et probitate commendatis, de omnibus subtiliter inquirent, quæ eos pro officii sui munere scire oportebit. Ecclesiam et ejus partes omnes inspicient: an eo cultu et nitore teneatur, qui domum Dei decet: et si quid restituendum, reparandum, reconcinnandumve sit, jubeant ab iis ad quos pertinet resarciri: an Sanctorum reliquiæ tutò, ornatè decenterque conditæ asserventur: an quæ de sepulcris, ac cœmeteriis à nobis sancita sunt, reipsâ præstentur. Si consecranda sint altaria, consecrabunt. Si qua Ecclesia aut cœmeterium pollutum sit reconciliabunt. Denique dispicient, an in populo sint hæretici, usurarii, concubinarii, aliique flagitiosi et facinorosi homines, qui inimicitias generant, qui Quadragesimam, alia jejunia, festos dies, et reliquos Ecclesiæ ritus non servent; quique saltem semel in anno peccata sua confessi non sint, aut sanctam Eucharistiam non sumpserint. An sint qui legala pia non exsequantur. An domestica disciplina patrumfamilias in educandis liberis diligens, pia, et honesta sit.... Dent autem operam, ut non solùm quàm diligentissimè, sed etiam quàm celerrimè visitationem conficiant.

Concil. Provinc. IV. *part.* 3. *pag.* 141. Episcopo ad cujusque loci, vel Ecclesiæ parochialis curatæve visitationem adventanti, cùm illi potissimum, ut vetus canon Concilii Turonensis jubet, qui Confirmationis sacramentum ab eo suscepturi sunt, tùm præterea reliqui omnes fideles, exceptis tantùm iis, qui morbo adversave valetudine laborant, sicut in Concilio Rothomagensi cautum est, obviam ordine prodeant; ac statis hymnorum, psalmorumque precibus, et cum gaudio, timore, summàque reverentiâ, illum tanquam vicem Christi agentem excipiant, prout eodem Rothomagensi concilio sancitum est, cujus canone excommunicatio illis constituta erat, qui ei muneri defuissent.

Neque solùm quo tempore ille adventat, sed aliis etiam diebus, dùm visitatio parochiæ fit, fideles quàm frequentissimi adsint; ut ipsi omnes ac singuli si quid ad animarum salutem procurandam opus habent, proprio Pastori parentique libere exponant: ei, quæ pro illius officii ratione oportet, interroganti respondeant; illum concionantem, monentem, et paternè arguentem, obsecrantem et increpantem audiant; ejusdem jussa, monita et decreta suscipiant: atque Dei denique voluntatem, quam præsentes per ipsum auribus percipiunt, non tantùm obediendi propensione, sed etiam rectè factis omninò exsequantur. Id porrò omne ut fideles diligenter promptoque animo præstent, frequentissimique in Episcopali Visitatione adsint: Parochorum, et aliorum quorum interest Sacerdotum sit crebrò, prout usu venerit, intra Missarum solemnia illos docere, cùm eas officii partes, quas Episcopo visitanti ab ipsis præstari conveniat, tùm visitationum inprimis utilitates, fructusque salutares.

Actor. Part. 4. *in Instruc. Visit. pag.* 559. Triduo proximo antequàm visitationis initium fiat cujusque vel Ecclesiæ curatæ, vel oppidi, præsertim insignioris: celebretur in eâdem Ecclesiâ oratio 40. horarum à Clero populoque illius parochiæ oppidique continenter pro salutari visitationis eventu. Parochus verò, aliusque Ecclesiæ Rector, vel Præfectus, in quâ animarum curâ geritur, cùm visitandus erit, Pastorales Archiepiscopi litteras visitationis nomine editas duobus ante illius adventum proximis festis diebus intra Missarum solemnia, cùm populi frequentia adest, de scripto recitet....

Illud verè curet, ut nemo qui intra Parochiæ suæ fines habitat omninò sit, qui eo visitationis tempore confessus, sacram communionem non sumat; idque ab Archiepiscopo ipso, etiam si in aliâ parochiali Ecclesiâ sumere oporteret, scilicet eo loco, ubi ille manè visitans Missæ sacrum faciat. Nemo item, qui chrismate non antè confirmatus, modò ætate in Confirmationis litteris Archiepiscopalibus præscriptâ sit, illud ab eodem tunc non accipiat.

Quamobrem tùm pridiè diei visitationis, tùm maximè ubi Archiepiscopum visitationis causâ jam adventare cognoverit, certo aliquo solemnique campanarum sono illius adventum fidelibus significet; quo frequentiùs etiam ex agro evocati, omni aliâ prætermissâ actione conveniant, eique tale tamque necessarium munus obeunti diligentiùs præsto sint, quâ debent observantiâ, ac veneratione. Studeat item confessariorum Sacerdotum qui ad id muneris probati sint (nisi Archiepiscopi curâ præmittantur) copiam necessariam habere; qui biduo, triduoque Parochiæ suæ hominum confessiones audiant, aut confessos reconcilient: ut statâ visitationis, aliâve die quam Archiepiscopus statuerit, præparati sint ad sacram communionem, et ad confirmationem, qui nondum confirmati sunt, ab eo sanctè sumendam.

FINIS TERTIÆ PARTIS

CONCLUSIO,

COLLECTIO ET REPETITIO TOTIUS OPERIS.

De iis quæ hominem viatorem beatum efficiunt, donec æternam beatitudinem consecutus sit.

I. Hactenùs exposuisti planè, dilucidè et fusè quæcunque spectant ad religionem, eique annexa sunt. Jam ut cumulus addatur perutili et laborioso Operi, collige quæso et commone quibus de rebus verba feceris, dicta repete per capita, et decurre quàm brevissimè?

R. Rem faciam libenter et facilè. Partitus sum in Partes tres quidquid dicturus eram de Religione.

In primâ parte, postquàm sermonem habui de Deo uno et trino, et de ejus attributis et perfectionibus, egi de rebus creatis, præsertimque de homine, cujus exposui creationem, lapsum, reparationem. Exposui quid Deus egerit per Christum mediatorem et redemptorem hominum, quid acturus sit usque ad consummationem seculorum, ut homines perveniant ad completam possessionem vitæ æternæ, ad quam conditi sunt. Hoc est quod Religionis historiam dicimus.

In alterâ parte tradidi quam viam tenere, quod vitæ genus homines sectari oporteat, ut pervenire valeant ad vitam æternam. Proinde egi de vitiis et virtutibus, de Præceptis Dei et Ecclesiæ.

In tertia parte exposui quibus adjumentis sic vivere valeant homines, ut vitam adipiscantur æternam. Adeòque egi breviter de gratiâ, quæ prorsùs necessaria est ad Christianè vivendum. Et quoniam gratia confertur per Sacramenta, et per orationem impetratur; ideò post tractatum de gratiâ, exposui quidquid pertinet ad Sacramenta, et ad orationem.

Ex dictis liquet homines conditos ad Deum clarè videndum, quæ summa felicitas est, ad eam felicitatem totis viribus tendere oportere, in id unum omnes actus, cogitationes omnes dirigere.

Hujus beatitudinis intuitu Christum debemus plurimùm plùsque in dies diligere et colere, cum gratissimi animi sensu pro collatis in nos tot tantisque beneficiis, ut, quod orbi universo penè ignotum fuit, hanc nobis unam esse felicitatem probaret, hanc nobis mereretur, hujus iter pandere, ad hanc nos introduceret.

Hujus beatitudinis intuitu nihil non agere debemus ad fugienda vitia et peccata, sectandas virtutes, obtemperandum Deo et Ecclesiæ.

Hujus beatitudinis intuitu piè suscipienda Sacramenta,

instituta ad dandam, conservandam, augendam, restituendam gratiam, quâ Christianè vivitur. Hujus denique unionis, sedulò vacandum orationi, cæterisque Christianæ pietatis exercitiis.

Quandiù in terris degimus, exules sumus à patriâ : ad eam suspirare, et continuis votis et gressibus tendere debemus, alioquin ad eam nunquam perventuri. *Dùm sumus in corpore*, ait Apostolus (2. *Cor.* v. 6. 7. 8. *et* 9.), *peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum; et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi.*

Hæc totius religionis, totius vitæ Christianæ summa est. Hæc et summa est eorum omnium, quæ toto hocce opere tradita et explanata sunt.

I. Ex à te dictis colligitur, nullam esse extra patriam, extra cœlos felicitatem. Ergone in terris nulla hominis felicitas est? nec est quisquam qui in terris verè beatus dici possit?

R. Populo meus, inquit Propheta (*Isaï.* III. 12.) *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Nimirùm beatum dixerunt populum, qui abundat divitiis, gloriâ, honoribus; cui nihil deest eorum quæ necessaria sunt ad vivendum commodè, molliter et delicatè; qui familiam et suppellectilem habet copiosam et locupletem; qui ædes possidet elegantes, magnificas, amœnissimas; cujus ab nutu et potestate pendent plurimi, et cætera id genus : *Beatum*, inquam, *dixerunt populum cui hæc sunt. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* (*Ps.* CXLIII. 15.) Rem fusiùs explico.

Homini viatori nulla perfecta felicitas. Tunc enim solùm homo perfectè beatus est, cùm Deum facie ad faciem in æternum videt, cognoscit; cùm summo fruitur bono : hoc autem nemini in terris degenti conceditur. Imperfectâ tamen potest gaudere felicitate dùm vivit, positâ in spe vitæ æternæ. (A) Quò majus et firmius est illius spei fundamentum, eò major est hominis viatoris felicitas; quò recedit magis à tramite vitæ æternæ, eò infelicior est. Proindè quò magis accedimus ad Deum, et cum illo conjungimur, eò beatiores sumus, sed eo genere beatitudinis quod competit viatoribus et exulibus ab æternâ patriâ. Quò magis à Deo recedimus, eò infeliciores sumus. Non ergo divitiæ, honores, voluptates, hominem beatum faciunt : id ipsa docet experientia. Nimirùm animam Deo capacem quidquid Deo minus est occupare quidem potest, satiare non potest. (B) *Fecisti nos*,

(A) Rom. VIII. 24. Spe enim salvi facti sumus.
XII. 2. Spe gaudentes.

(B) S. Aug. *lib.* 19. *de civit. Dei*, *cap.* 4. *n.* 1. Respondebit æternam vitam esse summum bonum, æternam verò mortem summum malum : propter illam proinde adipiscendam, istamque vitandam, rectè nobis esse viveadum.

Domine, ad te, inquit sanctus Augustinus, *et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* (*S. Aug. lib.* 1. *Confess. cap.* 1.)

I. Quæ res hominem viatorem beatum reddunt, quantùm in terris potest esse beatus? Quæ res fundant maximè spem æternæ felicitatis?

R. Octo vulgò numerantur, quas octo *Beatitudines* dicimus. Has subnecto, quales nobis tradidit Christus. (*Matth.* V. 1. *et seq.*)

1° *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

2° *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

3° *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

4° *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

N. 5. Vita humana, quâ tot et tantis hujus seculi malis esse cogitur misera, spe futuri seculi sit beata, sicut et salva. Quomodò enim beata est, quæ nondùm salva est. Unde et Apostolus Paulus non de hominibus imprudentibus, impatientibus, intemperantibus, et iniquis, sed de his qui secundùm veram pietatem viverent, et ideò virtutes quas haberent, veras haberent, ait, (*Rom.* VIII. 24. *et* 25.) *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim quis videt, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Sicut ergo spe salvi, ita spe beati facti sumus: et sicut salutem, ita beatitudinem, non jam tenemus præsentem, sed exspectamus futuram: et hoc per patientiam; quia in malis sumus, quæ patienter tolerare debemus, donec ad illa veniamus bona, ubi omnia erunt, quibus ineffabiliter delectemur; nihil erit autem, quod jam tolerare debeamus.

Serm. 158. *aliàs* 16. *de verbis Apostoli, cap.* 7. *n.* 7. Unusquisque ergo, Fratres mei, inspiciat se intùs, appendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quæ faciat cum charitate, non exspectans retributionem temporalem, sed promissum Dei, faciem Dei. Non enim quidquid tibi Deus promittit, valet aliquid præter ipsum Deum. Omninò me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi seipsum Deum... Omnium creatorem sitio, ipsum esurio, ipsum sitio, ipsi dico, *Quoniam apud te est fons vitæ...* (*Ps.* XXXV. 10.) Esuriat et sitiat peregrinatio mea, ut satietur præsentia mea. Arridet mundus multis rebus, pulchris, fortibus, variis: pulchrior est ille qui fecit, fortior et clarior ille qui fecit, suavior ille est qui fecit. Satiabor, cùm manifestabitur gloria tua.... Fides.... quæ per dilectionem operatur, sine spe esse non potest.

N. 8. Ipsa spes peregrinationi necessaria est, ipsa est quæ consolatur in via. Viator enim quando laborat ambulando, ideò laborem tolerat, quia pervenire sperat. Tolle illi spem perveniendi, continuò franguntur vires ambulandi. Ergo et spes quæ hic est, ad justitiam pertinet peregrinationis nostræ. Ipsum Apostolum audi: (*Rom.* VIII. 23.) *Adoptionem*, inquit, *exspectantes, in nobismetipsis ingemiscimus adhuc....* Quare? *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Si enim videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* (*Ibid.* 24. *et* 25.) In hâc ergo patientiâ Martyres coronabantur, desiderabant quæ non videbant, contemnebant quæ ferebant. In hâc spe dicebant, *Quis nos separabit à charitate Christi?* (*Ibid.* 35.) Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius?

N. 9. Ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit potus,.... ipse tibi immortalitas erit.... Avare quid tibi sufficit, si Deus ipse non sufficit?... Deus tibi erit gloria.... Tunc erit Deus omnia in omnibus. Hoc modò credimus, hoc modò speramus: cùm venerimus, tenebimus, et jam visio erit non fides: cùm venerimus, tenebimus; et jam res erit, non spes.

Serm. 231. *aliàs* 141. *de tempore, in dieb. paschalib.* 2. *Vide suprà hujusce Operis, Parte* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 12. *litt.* (H)

5° *Beati misericordes*, *quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

6° *Beati mundo corde*, *quoniam ipsi Deum videbunt.*

7° *Beati pacifici*, *quoniam filii Dei vocabuntur.*

8° *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Pauperes spiritu dicuntur, 1° humiles, 2° pauperes qui contenti vivunt suâ paupertate, 3° divites alieni ab amore divitiarum, secundùm illud quod dicitur in Psalmo, *Divitiæ si affluant*, *nolite cor apponere.* (*Ps.* LXI. 11.)

Mites appellantur, qui non sunt amari, rixosi, querulosi, murmuratores. Promittiturque eis possessio terræ, id est, Paradisi, quæ dicitur terra viventium. Quamvis enim plerumque mites possideant jam nunc terram, eo sensu quòd eos sua mansuetudo reddat gratos et acceptos hominibus simul cum ipsis degentibus; non tamen is est sensus litteralis hujus sententiæ à Christo maximè intentus. Docet enim omnium seculorum experientia sanctos plurimos suâ mansuetudine et humilitate commendabiles, expositos fuisse furori et persecutioni impiorum.

Lugentium nomine Christus intelligit, 1° gementes de suis et aliorum peccatis; 2° qui vitam agunt duram, asperam, pœnitentiæ operibus deditam; 3° qui patienter tolerant vitæ hujus ærumnas et incommoda.

Esurientes et sitientes justitiam appellantur qui, si justi nondùm sunt, ad justificationem pervenire satagunt; si justi sunt, novos in pietate et justitiâ progressus facere in dies pergunt, secundùm id quod dicitur in Apocalypsi: *Qui justus est*, *justificetur adhuc* (*Apoc.* XXII. 11.): uno verbo qui totis viribus tendunt ad perfectionem charitatis.

Misericordes nuncupantur, qui indigenti proximo pro suis facultatibus opitulantur, qui exercent opera misericordiæ spiritualia et corporalia quantum in se est, qui defectus aliorum patienter tolerant, quoad ejus fieri potest excusant, qui condonant libenter acceptas injurias.

Mundi corde sunt, qui cor alienum habent ab omni peccato et cupiditate, et qui concupiscentiam, quantùm in se est, reprimunt.

Pacifici esse intelliguntur ii, qui dominantur inordinatis affectibus, qui pacem habere curant intùs et foris, qui secum et cum proximo et cum Deo non pugnant, sed concordes esse satagunt, qui veram pacem, quæ ex Deo est, aliis procurant.

Persecutionem patiuntur propter justitiam, qui cùm veritatem et justitiam verbo, vel scriptis, vel vitâ tueantur et propugnent, qui cùm Deo, qui veritas est, constanter adhæreant, cùm nullâ ratione avelli possint ab officiis vitæ Christianæ, ideò subjacent odio, calumniis, contemptui, contumeliis, injuriis hominum.

I. Itaque octo illæ beatitudines totam vitam Christianam comprehendunt?

R. Ita est ut dicis. Neque enim beatus esse potest qui Christianè non vivit : Nec fieri potest ut qui Christianè vivit et moritur, non sit beatus in æternum et in seculum seculi. Amen. (C)

(C) S. HILAR. *Comm. in Matth. Cap.* 4. *n.* 2. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v. 3.) Exemplo Dominus docuerat humanæ ambitionis gloriam relinquendam dicens, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* (*Matth.* IV. 10.) Et cùm se per Prophetas populum humilem et ad verba sua trementem præmonuisset esse electurum (*Isai.* LXVI. 2.) : in spiritûs humilitate perfectæ beatitudinis posuit exordium. Igitur humilia spirantes, id est, esse se homines recordantes, in cœlestis regni possessione constituti, conscii sibi ex sordentibus ac tenuissimis se principiis coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, et in hunc sentiendi, contuendi, judicandi, agendi sensum, Deo profectum ministrante, procedere : nihil cuiquam suum esse, nihil proprium, sed cunctis dono parentis unius eadem et veniendi in vitam tribui primordia, et utendi eâ substantiam ministrari : ac nos optimi illius, qui nobis sit ista largitus, exemplo, perfunctæ in nos bonitatis ejus esse æmulos oportere ; ut boni omnibus simus, communia omnia omnibus existimemus ; nulla nos nec secularis fastûs insolentia, nec opum cupiditas, nec inanis gloriæ ambitio corrumpat : sed subjecti Deo simus, et de communione vivendi in omnes communis vitæ charitate teneamur. Magnum etiam in eo quòd nati sumus, divinæ bonitatis futurum profectum existimantes, cujus præmium atque honor præsentis vitæ operibus sit merendus : atque ita per hanc spiritûs humilitatem, quâ de Deo nobis meminerimus et indulta omnia, et deinceps potiora speranda, cœlorum regnum erit nostrum.

N. 3. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* (*Matth.* v. 4.) Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, id est, ejus corporis, quod ipse Dominus assumpsit habitaculum. Quia cùm per mansueludinem mentis nostræ habitaverit Christus in nobis, nos quoque gloriâ clarificati ejus corporis vestiemur.

N. 4. *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* (*Matth.* v. 5.) Lugentibus, æternæ consolationis solatia repromittit. Non orbitates aut contumelias aut damna mœrentibus, sed peccata vetera flentibus, et criminum quibus obsordescimus conscientia ærumnosis hæc sedula in cœlo consolatio præparatur.

N. 5. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth.* v. 6.) Sitientibus et esurientibus justitiam, beatitudinem tribuit : significans extensam in Dei doctrinam Sanctorum avidilatem bonis perfectæ in cœlo satietatis expleri.

N. 6. *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* (*Ibid.* 7.) Misericordibus misericordiæ munera præparat. In tantum enim Deus benevolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu ut misericordiam suam sit solis misericordibus præstiturus.

N. 7. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Ibid.* 8.) Mundis corde conspectum Dei spondet. Nihil enim pollutum et sordidum ad occursum divinæ claritatis insistit, et ad conspectum Dei acies obsoletæ mentis hebetatur : eos scilicet et visui et occursui Dei esse patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas sit contuendi. Non enim nisi Spiritu perfecti, et immortalitate immutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus.

N. 8. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Ibid.* 9.) Pacificorum beatitudo adoptionis est merces, ut filii Dei maneant ; parens enim omnium Deus unus est. Neque aliter transire in nuncupationem familiæ ejus licebit, nisi oblivione earum rerum assumptâ, quibus possemus offendi, fraternæ invicem charitatis pace vivamus.

N. 9. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v. 10.), et reliqua. Perfectâ ad postremum eos beatitudine muneratur, quibus

omnia pro Christo pati pronus affectus est : quia ipse justitia est. His igitur et regnum reservatur, et merces in cœlo copiosa promittitur, qui in contemptu seculi pauperes spiritu, et damnis rerum præsentium jacturisque probrosi, et adversùs maledicta hominum cœlestis justitiæ confessores, ac deinceps gloriosi promissorum Dei martyres, omnem vitæ usum testimonio æternitatis ejus impenderint.

S. JOAN. CHRYSOST. *in caput Matth.* v. *homil.* 15. Audiamus.... diligentier quæ dicuntur. Dictum est namque præsentibus, scriptum vero his omnibus qui posteà essent futuri. Propterea docens quidem ad Discipulos respicit, verùm nequaquam in eis sua dicta determinat, sed infinitè et incircumscriptè cunctas beatitudines in commune proponit. Non enim dicit, Beati estis vos, si pauperes fueritis; sed *Beati pauperes.* Et certè etiamsi ad illos hoc directè signatèque dixisset, futura nihilominùs fuisset omnibus doctrina communis. Nam et cùm dicit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII. 20.) : non ad eos tantummodò loquitur, sed per eos ad universum prorsùs orbem. Et quando eos beatificat persecutionem ferentes, exagitatos undique, et intolerabilia illa patientes, non eis solùm, sed et cunctis eadem implentibus texit coronam. Verumtamen ut istud magis magisque luceseat, et discas ea quæ dicuntur à Christo, tibi quoque et cunctis generaliter hominibus, si attendere velint, esse communia : audi quodnam his mirabilibus verbis ponat exordium : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v. 3.) Qui sunt pauperes spiritu? Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu. Spiritum hic enim posuit pro animâ et voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi non suâ sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, relinquens hujusmodi, (neque enim hoc inter laudanda numerandum est,) eos qui se humiliant et comprimunt voluntate, primos beatos appellat. Et quam ob causam non humiles voluit appellare, sed pauperes? Quia hoc illo utique præstantius est. Siquidem illos hic humiles memorat, qui Dei præcepta meluunt, atque etiam contremiscunt. Quod per Isaïam Prophetam Deus amanter excipiens dicebat : *Ad quem respiciam nisi ad humilem et quietum, et trementem sermones meos* (*Isai.* LXVI. 2.)? Multi quippè sunt humilitatis modi : et hic quidem est humilis mediocriter, alter verò cumulatè. Hanc igitur humilitatem etiam Propheta collaudat, non utcunque compressam designando mentem, sed omninò contritam, ubi ait : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* (*Ps.* L. 29.) Sed etiam tres pueri pro magno sacrificio hanc obtulerunt Deo dicentes : *sed in animâ contritâ, et spiritu humiliato suscipiamur.* (*Dan.* III. 39.) Hanc ergo nunc etiam Christus beatam vocavit. Quia enim profectò mala maxima, et quæ toti ferè orbi intulêre pernicicm, de superbiâ mentis exorta sunt : quandoquidem ille qui talis certè antè non fuerat, per hoc diabolus effectus est.... Quia, inquam, hanc esse constat arcem malorum, et radicem fontemque peccati, contrarium ægritudini remedium docendo conficiens, quasi fundamentum quoddam forte atque munitum, hanc primùm sententiam collocavit. Siquidem unusquisque, humilitate suppositâ, tutissimè cuncta alia superponit ædificans : hâc verò subductâ, etiamsi ad ipsum usque cœlum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Nam sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges : statim cuncta defluunt, cunctaque depereunt. Quod etiam Pharisæo legimus accidisse (*Luc.* XVIII. 23.), qui cùm ad ipsum virtutis acumen ascendisset, amittens simul universa descendit : quia scilicet non habuit matrem bonorum. Sicut enim superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum. Jure igitur hinc incipit, ut arrogantiam radicitùs de auditorum pectoribus evellat. Et cur hoc ad Discipulos ait, qui humiles semper exstiterant? Quippè qui ne occasionem quidem habuerant insolentiæ, cùm essent utique piscatores ac pauperes, nec minùs de imperitiâ, quàm de ignobilitate despecti? Et si ergo non hoc propter Discipulos diceret, dicebat tamen propter cæteros, qui vel tunc aderant, vel posteà erant futuri, ac disciplinam ipsam per Apostolos recepturi, ne illos per superbiam fortè contemnerent, imo etiam propter ipsos profectò Discipulos. Etsi enim

tunc forsitan minimè, sed posteà tamen hæc indigebant maximè cautione : post tot certè illa mirabilia, post signa, post honorem ab universo sibi penè orbe delatum, post illam postremò fiduciam, quam se apud Deum habere gaudebant. Non enim divitiæ, non potentia, non ipsum omnino regnum ita quemquam poterant efferre, ut ea quæ Apostolis suppetebant. Quinimò etiam antequàm facultatem acciperent signa faciendi, abundè extolli quibant, cùm viderent magistrum theatro illo undique admirante circumdari, perquam certè pati poterant aliquid humanum. Idcircò imprimis mentes eorum humiliat, et comprimit, doctrinam suam non sub specie mandatorum atque exhortationis inducit : sed sub præmiis beatitudinum, ut scilicet sermonem ipsum faciat gratiorem : et stadium doctrinæ suæ cunctis recludat. Non enim dixit, Ille et ille, sed, Quicunque ista fecerint, omnes beati : sive ignobilis atque pauper, sive plebeius, sive peregrinus, nihil te fieri beatum vetat, si istius virtutis æmulator exstiteris. Hinc igitur undè maximè oportebat, exorsus progreditur ad mandatum aliud, quod videtur contra totius mundi pugnare sententiam. Cùm enim omnes putent gaudentes beatos esse ac felices, eos verò qui in mœrore, pauperie luctuque versantur, miseros existiment : hos ipsos pro illis appellat beatos, dicens : *Beati qui lugent.* (*Matth.* v. 5.) Et certè justi infelices ab omnibus judicantur : sed idcircò ante doctrinam signa præmisit, ut facillimè crederent talia decreta ferenti. Verùm hîc quoque non simpliciter lugentes posuit, sed propter peccata lugentes. Quippè cùm illud aliud etiam vehementer veletur, de secularium scilicet rerum dispendiis : quod significabat et Paulus dicendo, (2. *Cor.* VII. 10.) *Quoniam secuti quidem tristitia mortem operatur : quæ autem secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Istos hîc igitur beatos vocat, qui talem voluerunt habere tristitiam. Et non simpliciter posuit tristes, sed omninò cum cumulo : ideoque non dixit, Qui mœrent, sed, *Qui lugent.* Si quidem præceptum istud totius philosophiæ magisterium est. Si enim illi qui vel filios mortuos lugent, vel conjuges, vel alium quempiam proximorum : tolo illo doloris sui tempore, non pecuniarum, non corporum amore tenentur : non gloriam concupiscunt, non consumuntur invidiâ, non injuriis permoventur, non aliis vitiis obsidentur, utpote solis luctibus mancipati : multò magis qui propria peccata lugent, sicut ea lugere dignum est, celsiorem hâc philosophiam mentis ostenduut. Deindè præmium illis aptissimum ponens : *Quoniam ipsi*, inquit, *consolabuntur.* (*Matth.* v. 5.) Ubi verò, dic mihi, consolabuntur? Et hic profectò, et quod est ampliùs, in futuro. Quia enim præceptum ipsum valdè videbatur onerosum, ac vehementer molestum, hoc se promisit daturum, quod illud quàm maximè leve possit efficere : itaque si velis consolari, luge. Neque putes ænigma esse quod dixi. Quando enim consolatur Deus, etiamsi millia mœrorum irruant, cunctis superior existis. Siquidem ipsis doloribus præmia Deus ampliora constituit : quod certè hoc ipso quoque designat loco, beatitudinem lugentibus deputando, non secundùm dignitatem operum, sed juxta suum erga genus humanum amorem : quod quidem non provenit ex operis nostri dignitate, sed ex ipsius benignitate. Nonne lugentes isti ob peccata lugent? At verò his sufficit, si Deum satisfactione placaverint, et ab eo veniam consequantur. Sed quia ipse magno hominis amore miseretur, neque in summotione pœnarum, neque in remissione culparum retributionem suam terminat, sed eos qui ob peccata lugent et beatificat, et multâ consolatione donat. Non autem de propriis tantùm, verùm etiam de alienis jubet lugere delictis. Quales etiam Sanctorum orationes fuerunt, ut Mosi, ut Samuelis, ut Pauli (*Exod.* XVII. *et* XXXII. 2. *Reg.* XV. *Rom.* IX. *Ephes.* III. *etc.*) : isti quippè omnes aliena peccata lugebant. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* (*Matth.* v. 4.) Dic, quæso, quam terram? Terram quidam intelligibilem dicunt : verùm istud non est dicendum, nec in Scripturis uspiam reperimus intelligibilem terram. Quidnam hoc ergo est quod dicitur? Sensibile hîc primum statuit, sicut et priùs : *Honora*, inquit, *patrem tuum, et matrem tuam, sic enim eris longævus super terram.* (*Exod.* XX. 12. *Deut.* v. 16. *Matth.* XV. 4. *Ephes.* VI. 2.) Et rursùs Dominus ipse latroni : *Hodiè mecum eris in Paradiso.* (*Luc.* XVIII. 43.) neque enim de futuris solummodò bonis, verùm etiam de præ-

sentibus cohortatur, propter tardiores scilicet auditores, et antequàm futura veniant præsentia requirentes. Propterea igitur in processu evangelii dicit: *Esto consentiens adversario tuo citò.* (*Matth.* v. 25.) Deinde istiusmodi philosophiæ ponens præmium, ait: *Ne tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro.* (*Ibid.* 22.) Videsne undè terruerit, à præsentibus scilicet, et quæ è vestigio eveniunt? Et rursùs: *Quicunque dixerit fratri suo, Racha, obnoxius erit concilio.* Paulus quoque creberrimè et præmia sensibilia proponit, et de præsentibus adhortatur, ut cùm de virginitatis bono disserit: nihil enim ibi super cœlesti honore commemorat, sed de præsenti utilitate rem commendat, dicens: *Propter instantem necessitatem.* (1. *Cor.* VII. 26.) Et rursùs: *Ego autem vobis parco.* (*Ibid.* 28.) Et iterùm: *Volo autem vos sine sollicitudine esse.* (*Ibid.* 32.) Sic igitur Christus spiritualibus sensibilia miscebat. Quia ergo mitis quisque propria putatur amittere, contrarium pollicetur, dicens, quòd ipse sit qui tutissimè cuncta possideat, non audax scilicet, ac protervus. Qui autem talis fuerit, sæpè et paternis bonis exigitur, et animæ jacturam facit. Aliter verò quia in veteri Testamento sæpè Propheta cecinerat: *Mansueti autem hæreditabunt terram* (*Ps.* XXXVI. 12.): à familiaribus jam illi populo, notisque verbis sermonem texuit, ut non in omnibus inusitate loqueretur. Hæc verò dicit, non tantùm ad præsens usque tempus sua promissa perducens, sed cùm futuris etiam ista promittens. Nam cùm et spiritalia pollicetur, hæc certè quæ sunt in præsenti vitâ non eripit. Et rursùs cùm præsentia repromittit, non tamen magnitudo promissionum solummodò usque ad ista pertingit. *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI. 33. Et rursus: *Quicunque dimiserit domum aut fratres, centuplum accipiet in seculo isto, et in futuro habebit vitam æternam.* (*Matth.* XIX. 29. *Marc.* X. 29.) *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* (*Matth.* V. 6.) Quam verò justitiam? An in genere virtutem ipsam, an speciem illam justitiæ, quæ ex adverso avaritiæ collocatur? Quia enim commendaturus erat misericordiam, ostendens quomodo misereri oporteat: id est, non in avaritiâ, nec rapinâ, opportunè beatificat justitiam inquirentes. Et considera quantâ idipsum exaggeratione cumulaverit. Non enim dixit, Beati qui justitiam servant: sed, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam:* ut non utique mediocriter, sed cum omni illam cupiditate teneamus. Quia enim hoc est avaritiæ proprium, neque sic cibum desideramus ac potum, ut possidere latiùs, induique pretiosiùs: concupiscentiam istam quæ habendi amore flagrat, jubet in meliora converti: deindè rursùs sensibile præmium statuens, ait: *Quoniam ipsi saturabuntur.* (*Ibid.*) Quia enim plurimos divites facere putatur avaritia, dicit hoc esse contrarium, magisque id præstare justitiam. Noli igitur justitiam exercens formidare pauperiem, neque famem timere, cùm certè illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt: ut ex adverso ille qui justitiam diligit, tutissimè omnia bona possidet. Si verò qui aliena invadunt, tantâ rerum ubertate potiuntur: quantò magis qui propria fideliter largiuntur. *Beati misericordes.* (*Ibid.* 7.) Hic non pecuniarum solummodò erogatores designare mihi per misericordes videtur, sed etiam qui alia exhibent officia. Varii sunt enim misericordiæ modi, latum quoque hoc omninò mandatum est. Quod igitur virtutis est præmium? *Quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V. 7.) Et videtur æqualis quidem esse retributio, sed est tamen longè ipsâ virtute præstantior. Isti enim quasi homines profectò miserentur, cùm ab omnium Deo misericordiam consequantur. Par autem non est humana miseratio, atque divina: sed quantùm benevolentiæ, malitiæque discrimen est, tantùm ab illâ istâ discernitur. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Ibid.* 8.) Ecce rursùs præmium spiritale. Mundos verò hic appellat, aut universalem virtutem tenentes, et nullius sibi mali conscios, aut continentiâ conspicuos. Nihil enim nobis est ita opus ad videndum Deum, ut istius puritate virtutis: propter quod Paulus ait: (*Hebr.* XII. 14.) *Pacem sectamini cum omnibus, et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum.* Videre autem dixit, quemadmodùm hominibus videre possibile est. Quia enim sunt plurimi qui miserentur quidem, ac se à rapinâ avaritiâque continent, fornicentur tamen, atque luxurientur: ostendens, quia primum illud minimè sufficiat, etiam istud adjecit,

sicut et Paulus ad Corinthios scribens (2. *Cor.* VIII. 1.) : Macedonibus testimonium reddidit, quia non solùm misericordià essent divites, verùm aliis quoque virtutibus abundarent. Cùm enim illorum in pauperes pecuniarum liberalitatem dissereret, intulit: *Quoniam seipsos dederunt primùm Deo, deindè nobis.* (*Ibid.* 5.) *Beati Pacifici.* (*Matth.* V. 9.) Hic non modò dissentire illos prohibet, atque adversùm se mutuò dimicare: sed aliud quiddam majus inquirit, scilicet ut etiam alios dissidentes in sacram studeant revocare concordiam; ac rursùs præmium spiritale subjungit. Quod verò istud est? *Quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur.* (*Ibid.*) Si quidem unigeniti hoc præcipuum opus fuit, distantia copulare, conciliare pugnantia. Deindè ne opineris bonam esse ubique pacem, addidit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Ibid.* 10.), id est, pro virtute atque pietate, pro defensione cæterorum; solet quippè justitiam omnem prorsùs animi appellare virtutem. *Beati estis cùm exprobraverint vobis homines, et persecuti fuerint, et dixerint omne malum verbum adversum vos, mentientes propter me: gaudete et exsultate.* (*Matth.* V. 11.) Sive enim seductores sive maleficos, sive pestiferos, sive aliud vos tale quippiam vocent, *eritis*, inquit, *beati.* Quidnam possit his præceptis inusitatius inveniri, per quæ illa nobis desideranda dicit, quæ alii putant esse fugienda? Egere, dico, atque lugere, persecutionem pati, audire maledicta: nihilominùs non modò id dixit, verùm etiam facilè persuasit, nec duobus aut decem, non viginti aut centum hominibus, aut mille, sed universo jam penè mundo. Cùmque dicerentur illa quæ videntur onerosa et gravia, contraque multorum consuetudinem venientia, nihilominùs admirabatur venerans omnia illa audientium multitudo: tanta quippè erat virtus docentis. Attamen ne putares, quòd quolibet modo audire maledicta præstaret beatos, duos tantùm separavit modos, cùm scilicet vel propter ipsum audiuntur, vel falsa jactantur. Si verò ista non fuerint, non modò non est beatus hæc audiens, verùm etiam miserrimus. Deindè respice rursùs in præmium: *Quoniam merces vestra multa est in cœlis.* (*Matth.* V. 11.) Tu verò eliamsi non per singulas beatitudines regnum audias repromitti, nequaquam tamen mœrore turberis. Etsi enim retributiones ipsas differenter appellat: tamen profectò cunctas ad unum cœlorum regnum adducit. Quando enim dicit (*Matth.* V. 5. *Ibid.* 7. *et* 8. *Ibid.* 10.): Et lugentes consolabuntur, et misericordes misericordiam consequentur, et mundi corde Deum videbunt, et pacifici filii Dei vocabuntur; nihil omninò aliud nisi cœleste regnum per hæc cuncta designat. Qui enim horum dicuntur potiri, illud sine dubio consequentur. Ne igitur tantummodò pauperum spiritu hoc esse præmium suspiceris, sed et esurientium justitiam, et mitium, et prorsùs omnium quos idem beatitudinum textus includit. Propterea enim in cunctis virtutibus et promissionibus beatitudinem posuit, ut ne quid sensibile speraudum putares. Neque enim esset beatum talibus coronari, quæ in præsenti vità continuò solvuntur, ac defluunt, et fugaciùs quàm umbra prætervolant.... Propterea et mercedem patientiæ plurimam proposuit Christus: ac ne quis diceret, Hic ergo non reddis maledicentibus vicem, neque illorum ora consuis: cùm mercedem promisisset futuram, commemoravit Prophetas, ostendens quoniam nec propter illos in præsenti Deus exegerit ultionem. Si verò tunc quoque cùm in promptu ac paratæ essent retributiones, tamen de futurorum illos promissione solatus est: quantò nunc magis quando et hæc ipsa spes solidior effecta est, et philosophia profectò sublimior? Considera verò etiam post quot mandata id ipsum locarit. Non enim hoc absque certà ratione fecit, sed quia voluit ostendere quòd nisi quis illis, quas superiùs posuit, armatus fuerit ornatusque virtutibus, ad hæc nequaquam possit prodire certamina. Propterea de priore semper etiam mandato sequentis viam struens, aliquam quamdam nobis catenam texuit. Cùm enim quis humilis fuerit, etiam sua omninò lugebit peccata: qui autem luget, idem et mitis erit, et justus, et misericors: at misericors et justus et compunctus, omninò etiam puro erit corde. Qui verò talis est, erit etiam profectò pacificus. Porrò qui ista perfecerit, erit absque dubio ad pericula præparatus, nec ad maledicta prorsùs ulla terrebitur, eliamsi mala quoque mille patiatur.

S. Aug. *De serm. Dom. in monte lib.* I. *cap.* 1. *n.* 3. *Beati pauperes spiritu;*

quoniam ipsorum est regnum cælorum. (*Matth.* v. 3.) Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, *omnia vanitas et præsumptio spiritûs* (*Eccle.* I. 14.): Præsumptio autem spiritus, audaciam et superbiam significat: vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur.... Unde est etiam illud Apostoli (I. *Cor.* VIII. 1.), *scientia inflat, charitas verò ædificat.* Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflatum spiritum. Nec aliundè omnino incipere oportuit beatitudinem: si quidem perventura est ad summam patientiam: *Initium* autem *sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I. 16.) quoniam et è contrario, initium omnis peccati superbia inscribitur. (*Eccli.* X. 15.) Superbi ergo appetant et diligant regna terrarum: *Beati* autem *pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v. 3.)

Cap. 2. n. 4. Beati mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram (*Ibid.* 4.): illam credo terram, de quâ in Psalmo dicitur, *spes mea es tu, portio mea in terrâ viventium.* (*Ps.* CXLI. 6.) Significat enim quamdam solidîtatem, et stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terrâ: et indè cibo suo alitur, sicut corpus ex terrâ: ipsa est requies et vita Sanctorum. Mites autem sunt qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. (*Rom.* XII. 21.) Rixentur ergo inmites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus: *Beati* autem *mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*, de quâ pelli non possint.

N. 5. Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. (*Matth.* v. 5.) Luctus est tristitia de amissione charorum: conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt: non enim gaudent his rebus, quibus antè gaudebant: et donec fiat in illis amor æternorum, non nullâ mœstîtiâ sauciantur: consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maximè propterea Paracletus nominatur, id est, consolator, ut temporalem amittentes æternâ lætitiâ perfruantur.

N. 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. (*Matth.* v. 6.) Jam istos amatores dicit veri et inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit (*Joan.* IV. 34.), *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*, quod est justitia; et illâ aquâ, de quâ quisquis biberit, ut idem dicit (*Ibid.* 14.), *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

N. 7. Beati misericordes: quoniam ipsorum miserebitur. (*Matth.* v. 7.) Beatos esse dicit qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur, ut de miserîâ liberentur.

N. 8. Beati mundi corde: quoniam ipsi Deum videbunt. (*Ibid.* 8.) Quàm ergo stulti sunt qui Deum ipsis exterioribus oculis quærunt, cùm corde videatur, sicut alibi scriptum est, *Et in simplicitate cordis quærite illum.* (*Sap.* I. 1.) Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: et quemadmodùm lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest.

N. 9. Beati pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. (*Matth.* v. 9.) In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; et ideò filii Dei pacifici, quoniam nihil resistit Deo, et utique filii similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subjicientes rationi, id est, menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei: in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia: atque id ipsum quod excellit in homine, id est, mens et ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Et hæc est pax quæ datur in terrâ hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II. 14.): hæc vita consummati perfectique sapientis. De hujusmodi regno pacatissimo et ordinatissimo missus est foràs princeps hujus seculi, qui perversis inordinatisque dominatur. Hâc pace intrinsecùs constitutâ atque firmatâ quascunque persecutiones ille qui foràs missus est, forinsecùs concitaverit, auget gloriam quæ secundùm Deum est: non aliquid in illo ædificio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens quanta firmitas intùs exstructa sit. Ideò sequitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v. 10.)

Cap. 3. *n.* 10. Sunt autem omnes istæ octo sententiæ. Jam enim cætera compellans loquitur ad illos qui aderant, dicens, *Beati critis, cùm vobis maledicent, et persequentur vobis.* (*Ibid.* 11.) Superiores autem sententias generaliter dirigebat : non enim dixit, *Beati pauperes spiritu* (*Ibid.* 3.), quoniam vestrum est regnum cœlorum ; sed, *Quoniam ipsorum est*, inquit, *regnum cœlorum.* Neque, *Beati mites*, quoniam vos possidebitis terram ; sed *quoniam ipsi possidebunt terram.* (*Ibid.* 4.) Et ita cæteras usque ad octavam sententiam, ubi ait, (*Ibid.* 10.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Indè jam incipit loqui præsentes compellans, cùm et illa quæ suprà dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentes audiebant ; et hæc posteà quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos qui absentes vel post futuri erant. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate : *Beati pauperes spiritu*, id est, non inflati, dùm se divinæ auctoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiam si fortè in hâc vitâ sibi beata esse videatur. Indè venit ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum vituperare audeat, et pervicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Indè jam incipit scire, quibus nodis seculi hujus per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur : itaque in hoc tertio gradu in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu, labor est, ubi vehementer incumbitur ut sese animus avellat ab eis, quibus pestiferâ dulcedine innexus est : hîc ergo esuritur et sititur justitia, et multùm necessaria est fortitudo ; quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseverantibus in labore datur evadendi consilium ; quia nisi quisque adjuvetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat : est autem justum consilium, ut qui se à potentiore adjuvari vult, adjuvet infirmiorem in quo est ipse potentior ; itaque *Beati misericordes : quia ipsorum miserebitur.* Sexto gradu est cordis munditia, de bonâ conscientiâ bonorum operum valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro et sereno intellectu cerni potest. Postremò et septima ipsa sapientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur, *Beati pacifici ; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Octava tanquam ad caput redit ; quia consummatum perfectumque ostendit et probat : itaque in primâ et in octavâ nominatum est regnum cœlorum. *Beati pauperes spiritu ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* et, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Cùm jam dicitur, (*Rom.* VIII. 35.) *Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius ?* Septem sunt ergo quæ perficiunt : nam octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat, ut per hos gradus perficiantur et cæteri, tanquam à capite rursum exordiens.

Cap. 4. *n.* 11. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritûs sancti, de quâ Isaïas loquitur, his gradibus sententiisque congruere. (*Isaï.* XI. 2.) Sed interest ordinis : nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hîc verò ab inferioribus. Ibi namque incipit à sapientiâ, et desinit ad timorem Dei : sed *initium sapientiæ timor Domini est.* (*Eccli.* I. 16.) Quapropter si gradatim tanquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V. 3.), id est, non inflati, non superbi, quibus Apostolus dicit : (*Rom.* XI. 20.) *Noli altum sapere, sed time*, id est, Noli extolli. Pietas congruit mitibus : qui enim piè quærit, honorat sanctam Scripturam, et non reprehendit quod nondùm intelligit, et propterea non resistit, quod est mitem esse : undè hîc dicitur : *Beati mites.* (*Matth.* V. 4.) Scientia congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in Scripturis quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona et utilia ignorantes appetiverunt : de quibus hîc dicitur, *Beati qui lugent.* (*Ibid.* 5.) Fortitudo congruit esurientibus et sitientibus : laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, et amorem à terrenis

ci corporalibus avertere cupientes : de quibus hic dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* (*Ibid.* 6.) Consilium congruit misericordibus : hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi, ut dimittamus sicut nobis dimitti volumus ; et adjuvemus in quo possumus alios sicut nos in quo non possumus cupimus adjuvari, de quibus hic dicitur. *Beati misericordes.* (*Ibid.* 7.) Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit *quod* corporeus *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isai.* LXIV. 4. 1. *Cor.* II. 9.) : de quibus hic dicitur, *Beati mundi corde.* (*Matth.* V. 8.) Sapientia congruit pacificis in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversùs rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm et ipse obtemperet Deo, de quibus hic dicitur, *Beati pacifici.* (*Ibid.* 9.)

N. 12. Unum autem præmium quod est regnum cœlorum, pro his gradibus variè nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum cœlorum, quod est perfecta summaque sapientia animæ rationalis. Sic itaque dictum est. *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Ibid.* 3.) tanquam diceretur, *Initium sapientiæ timor Domini.* (*Eccli.* I. 16. *Ps.* CX. 10. *Prov.* IX. 10.) Mitibus hæreditas data est ; tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus : *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* (*Matth.* V. 4.) Lugentibus consolatio, tanquam scientibus quid amiserint, et quibus mersi sint : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* (*Ibid.* 5.) Esurientibus et sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus fortiterque certantibus ad salutem : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Ibid.* 6.) Misericordibus misericordia, tanquam vero et optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur à potentiore, quod invalidioribus exhibent : *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur.* (*Ibid.* 7.) Mundis corde facultas videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus : *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Ibid.* 8.) Pacificis Dei similitudo, tanquam perfectè sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renovali hominis : *Beati pacifici, quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur.* (*Ibid.* 9.) Et ista quidem in hâc vitâ possunt compleri : sicut completa esse in Apostolis credimus. Nam illa omnimoda in angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest.

S. BERNARD. *de divers. Serm.* 66. *n.* 1. Eodem ordine quo præcessit culpa, subsecuta est etiam culpæ medicina. Primum peccatum est factum in cœlo per superbiam prævaricatoris Angeli.... In seipso tumuit, et de sorte beatorum spirituum ejectus, cœlorum regnum amisit. Contra hoc peccatum dictum est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* V. 3.) Secundum peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus ejus non fuit subjectus Creatori, nec caro sibi subjecta spiritui. Contra hoc est dictum : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* (*Ibid.* 4.) Horum duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam dicens : *Discite à me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI. 29.) Tertium peccatum fuit, quòd ipsa mulier virum quoque secum travit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato : sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodò enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus, associare sibi consortem. Contra hoc peccatum est istud remedium : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* (*Matth.* V. 5.)

N. 2. Quartum peccatum commisit *Adam*, qui consensit. Adam enim sicut ait Apostolus, (1. *Timoth.* II. 14.) *Non est seductus ; mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit divinæ.... Contra hoc quartum peccatum adhibitum est remedium : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth.* V. 6.) Habuit quidem Adam justitiam, à justo Deo creatus justus : sed quia non eam ex libero arbitrio direxit, facilè ab eâ per idem liberum arbitrium defluxit. Quo contra dicitur per Psalmistam de Christo : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquita-*

tem. (*Ps.* XLIV. 8.) Quintum æquè peccatum commisit, qui propriam culpam retorsit in uxorem, cùm ait : *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* (*Genes.* III. 12.) Primò quidem crudelis in se, qui peccatum suum excusavit : secundò in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cujus amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V. 7.)

N. 3. Sextum peccatum fecit Eva, quæ cùm increparetur à Domino cur hoc fecisset, respondit ei : *Serpens decepit me, et comedi.* (*Genes.* III. 13.) Sic declinavit et ipsa *in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis,* (*Ps.* CXL. 4.) refundens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cùm nil obfuisset suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis : et forte præcessit in eâ aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Contra quod dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* V. 8.) Septimum peccatum factum est contra paradisum, quando Cain consurrexit adversùs Abel fratrem suum, et interfecit eum. (*Genes.* IV. 8.) Ex eo jam tempore inveteratum est, ut mali insurgant in bonos, et opprimant eos. Hujus peccati remedium est illud : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Matth.* V. 9.) Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerent eos justi, audientes consolationem quæ sequitur, et dicit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Ibid.* 10.) Ecce quàm necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subjiceret spiritui, hominem pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini.

Consule, si lubet, sacræ Scripturæ Interpretes, imprimis verò MALDONATUM *et* CORNELIUM A LAPIDE ; *et omnes ferè qui* de Ethicâ Christianâ *scripserunt. Maximè verò legendus libellus Gallicè à pio quodam et erudito Auctore conscriptus, cujus est inscriptio, Interpretatio Octo Beatitudinum,* Explication des huit beatitudes. *Prostat hic liber Parisiis apud viduam* ROULLAND.

FINIS INSTITUTIONUM.

APPENDIX.

APPENDIX.

TRACTATUS

DE

SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS.

Auctore P. F. Philippo de Carboneano Ord. Min. Regularis Observantiæ.

SACRORUM Rituum scientia, iis quibus animarum cura concredita sit, non solum utilis, sed etiam necessaria est: Ecclesia enim Ritus sive cæremonias instituit (hîc enim de Sacramentis non agimus quæ à Deo sunt instituta), tum ut aptiorem, quo Deus exteriùs colendus sit, modum demonstraret; tum ut sacra ordinatè fierent; tum ut homines per sensus ad divinum cultum alliceret; tum etiam ut ea sensibus objiceret, quæ vel Dei majestatem aliquo modo indicarent, aut in hominum memoriam revocarent collata humano generi beneficia, et gratias, quas Sacramenta conferunt, ac divinas promissiones, sive alia peculiaris Dei erga homines providentiæ argumenta, quibus fides, spes, et charitas, sive interior Dei cultus in nobis foveri, et augeri valeat. Voluit præterea ut homines, hoc exteriore, internum cultum invicem significando, ad vividiùs Deum colendum provocarentur, et, ut cæremonias usurpando, quas ipsa præscripsisset, faciliùs vanas, superstitiosasque devitarent. Sunt itaque cæremoniæ velati instrumenta quædam animarum Rectoribus ab Ecclesia tradita, et commendata, ut per ea faciliùs christianos homines à via perditionis retrahant, atque ad æternæ salutis consecutionem dirigant.

Nequeunt vero Ministri iis ita uti, nisi sciant, quid sint, qua sunt auctoritate institutæ, quo fine et quæ menti contemplanda exhibeant. Sacrorum ergo Ministris scientia hæc maximè necessaria est, præsertim iis, quorum cura christiani inter infideles, hæreticosque degentes regendi, atque instruendi sint. Ii enim Ecclesiæ instituendi ac præcipiendi Ritus auctoritatem vindicare tenentur, institutosque veluti utiles sanctosque tueri, proponere, et explicare; ac ulteriùs cavere debent, ne infidelium superstitione et hæreticorum erroribus inficiantur.

Hac de causa S. M. Benedictus XIV pro singulari, quam gerit Dominici gregis, cura, studium, hujusmodi, quod

ipse mirificè excoluit, omnibus commendavit, voluitque ut publicæ in Urbe scholæ instituerentur : mihique injunxit, ut in Collegio de Propaganda Fide adolescentibus ad Sacras Missiones destinandis institutiones de Sacris Ecclesiæ Ritibus traderem. Ne quidpiam ergo in Auctore nostro deesset, quod ad Parochorum, Missionariorum instructionem necessarium videretur, in hac nova Operis editione, fusiùs exposui, atque explicavi, quæ ad Sacrorum Rituum naturam, divisionem, originem, utilitatem, varietatemque pertinerent. En autem ordo quem in iis tradendis servavi.

In primo Capite. Agitur de Rituum definitione, et divisione.

In secundo. Regulæ nonnullæ proponuntur pro vanis superstitiosisque Ritibus dignoscendis.

In tertio. De natura, origine, utilitate et necessitate Sacrorum Rituum disputatur.

In quarto. Ea, quæ ad exteriorem Ecclesiæ formam spectant, exponuntur, et collata ipsi à Deo potestas asseritur, et vindicatur.

In quinto. Sophismata diluuntur novatorum adversus Catholicæ Ecclesiæ cæremonias.

In sexto. De Ecclesiæ Orientalis statu, deque Rituum in eadem varietate, tractatur.

In septimo. Historia recensetur eorum, quæ ab Apostolica Sede acta sunt, ut Orientalis Ecclesiæ Ritus vigeant, atque serventur.

In octavo. De obligatione, quam quisque habet in semel suscepto Ritu permanendi.

In nono Capite. Ritus indicantur, quos Apostolica Sedes proscripsit, et qui proscribendi videantur.

CAPUT PRIMUM.

De Rituum definitione, et divisione.

De Christianorum Ritibus dicturi, à Ritus definitione exordium sumimus. Ritus itaque sive cæremonia, quæ idem in præsentia significat, *Signum sensibile est, quod non naturâ suâ, sed ex voluntate, et arbitrio instituentis cogitationem in nobis excitare debeat, quæ de officio nos moneat, et in propositum finem dirigat.* Itaque actio ac cæremonia quælibet, quæ sensus nostros movendo ex vi suæ institutionis id menti nostræ considerandum offerat, ex cujus cognitione, vel mandatum, quod urgeat, vel proprii statûs obligationem, vel receptum beneficium, vel promissionem, aut quidpiam aliud intelligamus, quo in propositum finem dirigamur, Ritus nominatur. Sic signum Crucis, quo Christiani ex consuetudine ab Apostolis orta se signare solent, ac usus quoque etiam à primis temporibus ortus ferendæ crucis, christianorum ritus appellantur. Primum enim memoriæ nostræ

offerendo Christum pro nobis in crucem actum, cognitionem in nobis parit, quæ fidem ac spem in nobis foveat, et charitatem, qua in propositum homini christiano finem dirigimur. Crucis autem delatio monitum illud Christi meditandum nobis exhibet, ut post Gregorium Magnum Nicolaus Papa I. in resp. ad Cons. Bulg. exposuit, quo crucem ferre, ipsamque sequi jubemur; quo quidem monito *corpus nostrum per abstinentiam, corporisque cruciatum affligere, et per compassionem proximi necessitatem nostram putare admonemur*, inquit Magnus Gregorius.

Primam Ritûs divisionem, finis, quo nos dirigit, suppeditat, atque ita Ritus vel civilis est, vel sacer. Nam ut duplicem in hominibus in societate viventibus distinguimus finem, alterum in tranquillitate illa positum, quam in civitate exoptamus; alterum verò in æterna illa felicitate constitutum, quam in futura vita speramus; ita duplex Rituum genus agnoscimus. Qui instituti sunt, ut ea hominum memoriæ offerant, quæ ad tranquillam ac beatam in societate vitam agendam ducant, civiles ritus nominantur. Hujusmodi sunt sceptrum, corona, aliique splendidi ritus, qui in Regum inauguratione adhibentur, ut veluti ad sensus majestate Principum indicatâ, fortius subditorum animi ad obsequia præstanda moveantur. Item distinctæ magistratuum vestes, judiciorum solemnitates, aliæque cæremoniæ, quæ eo sunt institutæ fine in Republica, ut homines de officio moneant, aut affectus illos in iisdem excitent, atque foveant, quibus facilius constitutus in ea ordo servari possit, ac optata tranquillitas obtineri.

Ritus vero, qui ita nos moveat, ut cognitionem in nobis excitet, quæ ad legem servandam, Deumque colendum nos ducat, sacer sive religiosus erit. Atque huc spectant omnes exteriores Dei cultûs actus, qui ad interiorem cultum augendum, Deique honorem et gloriam promovendam ex instituentis voluntate homines alliciunt et provocant.

Cùm sacri, tum civiles ritus, vel publici sunt vel privati. Qui vel ex consuetudine, vel ex privati hominis instituto a privatis hominibus in civili societate adhibeatur, vel ad mutua inter privatos homines officia fovenda, vel ad conciliandam inter ipsos mutuam benevolentiam, dici possunt privati ritus civiles. Sacri verò ritus privati sunt, quos privatus sibi proponat, atque usurpet, ut eorum usu ea in mentem veniant, quæ interiorem Dei cultum fovere, vel augere valeant. Qui publicâ auctoritate instituti sunt ritus, ut in publicis functionibus societatis civilis usurpentur, sunt ritus publici civiles; ut ii quoque sacri ritus publici dicuntur, qui in publicum religionis usum ab eo, qui jus competat erga sacra, sint instituti.

Sacri Ritus *ex parte instituentis*, alii divini sunt, alii humani. Prioris generis sunt, quos Deus stabilivit: alterius

verò, qui homines auctores habent. Cæremoniæ omnes ac sacrificia veteris legis, nec non septem novæ legis Sacramenta à Christo Domino instituta, sunt Ritus divini. Ii verò, quos Ecclesia constituit, ut homines faciliùs à vitiis retraheret, ac per virtutis exercitium in Deum æternamque felicitatem dirigeret, humani ritus sacri nuncupantur.

Humani autem ritus dividi possunt in legitimos, atque illegitimos. Legitimi sunt, quos ii stabiliverint, quibus potestas insit præscribendi atque ordinandi ea, quæ ad Dei cultum pertineant. Illegitimi sunt, quos ille constituerit, qui potestate careat, quemque jura vetant ea stabilire, et ordinare, quæ ad Sacra pertineant. Hinc novatorum Liturgiæ Laicorum hominum auctoritate confictæ, ac cæremoniæ omnes, quæ privatâ auctoritate sint institutæ, et publicâ Ecclesiæ auctoritate non probentur, pro publicis Ecclesiæ functionibus, et in Sacramentorum administratione, illegitimi ritus appellantur. (1)

Si rem sive causam materialem spectemus, Ritus aut personam spectant, aut tempus, aut modum, aut rem ipsam, nempe oleum, panem, etc. Si causam formalem consideremus, nonnulli immediatè ad Dei cultum pertinent, ut sacrificium, oratio, adoratio : alii ad cultum disponunt, ut jejunium, et cælibatus : alii denique sunt divini cultûs instrumenta, ut templa, calices, aræ, etc.

Hactenus exposita generatim indicant, quinam esse debeant ritus, qui tutò in vero ac ordinato Dei cultu adhibeantur. Superest ut de iis dicamus, quos veluti contrarios, ac vero Dei cultui inimicos devitare, ac detestari oporteat. Ii verò sunt, qui inordinatum vitiosumque Dei cultum redoleant ac foveant, et superstitiosi nominantur. Sunt autem triplicis generis : scilicet falsi, superflui sive vani, et idololatrici.

Falsi ritus sunt, qui cognitionem in mente excitent, ex qua falsum judicium, vel falsus cultus sequatur. Hujusmodi sunt hæc nostrâ ætate veteris legis cæremoniæ, circumcisio, immolatio agni, etc. quæ venturum Christum vi institutionis significant. Earum itaque usus juxta vim, et potestatem, quam habent, ad falsò credendum induceret, non adhuc venisse, sed venturum esse Christum. Item sacrificium Eucharisticum, vel Absolutio sacramentalis à Laico homine peracta, falsus ritus esset, quia homines duceret ad credendum Sacerdotem esse, qui non sit Sacerdos, et sacramenta perfici Eucharistiæ et Pœnitentiæ, quæ non perficerentur, et ad falsum Dei cultum exhibendum. Rursus

(1) Qui ritus illegitimos adhibent, non solùm contra Ecclesiæ præceptum peccant, quo prohibentur alios præter probatos, et receptos in Ecclesia ritus in sacris functionibus usurpare, sed etiam hæreseos suspecti haberi possunt, si illorum probare videantur opinionem, qui omnibus ministris jus instituendi et mutandi sacros ritus competere arbitrentur; et hæretici sunt, qui hanc potestatem Laicis Principibus adjudicant.

falsa miracula, sive per imagines indicata, sive alio modo publicata, falsæ revelationes, falsæ reliquiæ, ac indulgentiæ conflictæ ad populi etiam devotionem promovendam, et Dei gloriæ augendæ causâ, sunt falsi ritus, quorum usus, Deo, qui summa veritas est, et in veritate adorandus, maximam injuriam irrogant, et Religioni plurimum nocent; quia mendacio eam promovendo, cum impostura confundit, et quia occasionem præbent vera etiam miracula, verasque revelationes in dubium revocandi, et aspernandi. Denique inter falsos ritus omnes illæ cæremoniæ numerantur, quæ falsum aliquo modo designant, atque suadent, cujusmodi esset etiam ritus, qui veluti publicâ auctoritate institutus adhiberetur, cui tamen nonnisi à privato auctoritatem non habente, constitutus esset, cujusmodi esset oratio, vel cæremonia aliqua in Missa usurpata, quæ à privato viro excogitata esset.

Hæc omnia Christianos omnes graviter dedecent, qui Deum verum in veritate colere jubentur, et Deo injuriam maximam afferunt, cujus honorem et gloriam in mendaciis et imposturis collocaret. Hinc maxima semper in iis præcavendis Ecclesiæ cura fuit. Conc. Laodicenum, can. 34. *Anathema sint*, inquit, *qui ad Pseudo-Martyres accesserint.* In Capitularibus Caroli Magni statuitur, ut falsa *nomina Martyrum et incertæ Sanctorum memoriæ non venerentur*; et in variis Conciliis stabilitum est, *ut nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur.* Videatur Conc. Trid. sess. 25. c. *de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus*, ubi « statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel » Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insoli- » tam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab » Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse » nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi » eodem cognoscente, et approbante Episcopo, qui simul » ac de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consi- » lium Theologis, et aliis piis viris, ea faciat, quæ veri- » tati, et pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis » dubius, aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino » aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, Metropoli- » tani, et comprovincialium Episcoporum in Concilio Pro- » vinciali sententiam exspectet: ita tamen, ut nihil incon- » sulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in » Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. »

Superflui, et vani ritus sunt, qui nec à Deo vel Ecclesia sunt instituti, nec communi fidelium usu recepti, et inutiles prorsus sunt ad interiorem Dei cultum fovendum et excitandum. Itaque ritus, qui nil conferat ad Dei honorem, gloriamque augendam, ad interioris spiritûs devotionem, atque virtutis exercitium, superfluus est.

Hinc nollc sacrum audire, nisi Sacerdos celebret, cui sit nomen Joannes, vel qui habeat figuram Christi, vel qui ante solis ortum, aut certo adhibito cereorum numero, sacrum faciat, est superfluum cultum adhibere : id quoque contingeret si quis bis *alleluia*, aut *Pater noster* diceret, cùm semel recitare deberet. Horum rituum usus, secluso scandalo et contemptu, venialis culpa est.

Idololatrici ritus sunt, qui ad exteriorem idolorum cultum, sive idololatriæ usum pertinent. Est autem idololatria duplicis generis : altera perfecta, et imperfecta altera. Perfecta est Idololatria, quâ Idolo, quod verus Deus habeatur, honor defertur : imperfecta verò est, dum debitus Deo honor creaturæ, quæ creatura existimetur, tribuitur. Itaque omnes cæremoniæ, quæ vel in Idoli honorem adhibentur, vel creaturæ Dei honorem tribuant, Idololatrici ritus appellantur. Ritus ergo, quorum usus expressam, vel tacitam Dæmonis invocationem præseferant, omnes superstitiosi sunt, et ad idololatriam imperfectam referuntur. Inter hos primo loco recensetur divinatio, quâ quis expressâ vel tacità Dæmonis invocatione res cognoscere curat, vel contingentes et liberè futuras, vel ita occultas ut naturali virtute deprehendere nequeat. Expressè Dæmonem invocat, qui vel verbis et signis pactum cum eo init, vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit, aut credit Dæmonem cooperari. Implicitè verò sive tacitè cum Dæmone paciscitur, qui vanis et inutilibus utitur ad aliquid cognoscendum, vel efficiendum : neque enim necesse est, ut aliquando pactio præcesserit ; sat enim est vana, et improportionata hæc adhibere, ut dæmon sese immisceat, etsi iis utens invocandi voluntatem non habeat. Nam cum improportionata et vana adhibeat, quæ nec à Deo, neque à bonis Angelis instituta sunt, optatum effectum, nonnisi à Dæmone exspectare potest. Accedit etiam quod omnes divinationis species ab idololatris dæmonum cultoribus, immo ab ipso dæmone originem trahunt. Undenam sunt Oniromantia, sive divinatio per somnium, Præstigium, quo variis apparitionibus dæmon oculos perstringit, Aruspicium, quod per exta fit animalium, Geomantia, quæ per figuram in terra, Hydromantia, quæ per figuram in aqua fit, Aëromantia in aëre, ac Pyromantia in igne, nisi ab idololatra gente, et à dæmone ipso superstitionis auctore ? At hæc plerumque expressam invocationem habent, et Necromantiâ continentur. Adsunt præterea Astrologia, quæ per situm et motum siderum, res contingentes, et liberè futuræ divinantur, Auspicium, quo per signa volucrum, Augurium, quo per signa animalium, Omen, quo per fortuitum signum, et Sortilegium, quo per sortes divinare præsumitur, quæ etiam divinationis species à superstitione, et dæmone ortæ sunt, ideoque tacitam semper ipsius invocationem præseferunt. Hæc verò à gravi culpa quis

excuset? Quis non videt, gravem Deo injuriam afferre, qui ad dæmonem confugiat ipsius inimicum, eique divinum quemdam tribuat honorem, exspectando illius ope, quod Dei unicè virtute et auxilio scire atque obtinere potest? (1)

(1) Astrorum motu ac situ, et cantu, incessuque, ac motibus avium, aliorumque animalium uti possumus ad effectus naturales et necessarios, nec libere futuros prænoscendos. Nemo superstitionis accusat eos, qui astrologiâ, et animalium certo motu, aut imminentem pluviam, aut ventum, aut aliam aeris mutationem conjiciunt, atque prædicunt. Hæc enim quamdam cum iis motibus connexionem habent, et ex retroactis observationibus, aliquando conjecturis assequi, et quandoque certò etiam prænuntiare possumus. Superstitionis autem sunt plenæ divinationes illæ, quæ ad effectus agnoscendos prænuntiandosque adhibentur, qui contingenter, ac liberè futuri sint, vel ad ea detegenda, et cognoscenda, quæ sint occulta, per ea, quæ ad hæc cognoscenda sint omnino improportionata, ut esset v. g. usus sortium in aperitione libri, vel jactu taxillorum, pro alicujus occultæ, vel futuræ rei cognitione comparanda.

Somnia etiam, quæ nil ordinarie sunt, nisi confusæ quædam cogniliones ex occasione motuum cerebri ortæ, ad futura, et occulta divinanda adhibentur. Si animadvertamus, hæc à libero tumultuantium spirituum motu rerum imagines excitante, atque menti exhibente proficisci, facilè intelligemus inepta ea esse, et improportionata ad res futuras, arcanasque cognoscendas. Scimus verò Deum iis quandoque usum ut hominibus vel futura præmonstraret, vel arcana reseraret, ut de Abimelecho, Jacobo, Labano, Josepho, Pharaone, Salomone, Nabuchodonosor, Daniele, Juda Machabeo, aliisque, divinæ Scripturæ testantur. At constat etiam Dæmonem in iis se immiscere consuevisse, atque partem idololatricæ superstitionis in iis fuisse collocatam. Hinc Deus Levitici XIX. somnia cùm auguriis improbat: *Non augurabimini*, inquiens, *nec observabitis omnia*; et Deut. XVIII. *Non inveniatur in te, qui observet somnia.* Audi Gregor. Magn. lib. 8. mor. c. 13. dicentem: *Somnia, nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret, dicens: « Multos errare fecerunt somnia et illusiones vanæ,» vel, « non augu» rabimini, nec observabitis somnia. » Quibus profectò verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur.*

Dum somnia sint à Deo, iis fidem indubiam habere tenemur, si id certò constet, aut certò putetur. Dum verò dubium sit, num ea sint à Deo, credere iis neutiquam debemus: dum enim somnia Deus immittit, certa etiam præbet indicia, quibus dubitatio omnis excludatur; alioquin divina hæc monitio suo frustraretur effectu, neque certa, atque indubia immissi divinitùs somnii regula esse potest, quod somnium ad bonum impellat, alacrem promptumque relinquat animum ad pietatis opera, cùm hujusmodi somnia passim in iis contingere debeant, ipsâ agente naturâ, qui Dei amore fervent, jugique Dei meditatione exercentur. Horum enim imaginationem, nullâ turbante causâ occurrente, somnia hæc suâ sponte sequuntur. Eodem modo de somniis, quæ depravata perversorum hominum imaginatio efficiat, philosophari oportet; neque enim dæmoni erit tribuendum, quod in perversa imaginatione sui causam habeat. Hæc de somniis generatim: dum vero ad divinationem referuntur, tunc cautè est procedendum: neque Deo, nisi certò omnino constet, sunt tribuenda, ne occasio præbeatur malo spiritui, per ambigua illa signa, perfectionis viam sectantes decipiendi. Quamobrem optima regula erit, ut nisi omnino explorata sit divina somnii causa, divinationes, quæ inde fiunt, omnino rejiciantur, ac veluti incertæ contemnantur.

Cùm divinatio per somnia sit per media naturâ suâ improportionata, atque a superstitione diabolica originem trahat, nemo non videt, graviter peccare, tacitamque cum dæmone pactionem inire, qui variis modis somnia procuraret, ut inde futurorum cognitionem hauriant. Inter quos femellas illas constituo, quæ in ludo Genuensi, vulgò *lotto*, lucrari cupientes, in lecto subtus caput notulam numerorum, qui extrahi debeant,

Neque à peccato excusari possunt, etsi protestentur nolle ullum cum dæmone commercium habere. Nam contra protestationem agunt, dum per media, quæ nec à Deo, nec à bonis Angelis, sed à dæmone inventa sunt, cujusque unicè opem exspectare possunt, futura vel occulta cognoscere curant; nec etiam excusantur, qui similia credant ob experimenta jam facta; quia illa dæmonis ope facta fuisse præsumitur.

Alii superstitionis ritus, vel ad magiam spectant, quæ mira facere contendit, non humana industria, quæ naturalis dicitur, et est licita, sed ope dæmonis, et ad vanam observantiam. Magia dum exercetur ad meram ostentationem, et commodum proprium, vel alienum, suum retinet nomen: dum verò ut alteri noceat fit, maleficium appellatur. Contra hanc omnia jura clamant, et est semper gravissimum peccatum, cùm invocationem, pactionem, societatem saltem implicitam præseferat cum dæmone, quæ Deo gravissima injuria est, et in ejus contemptum cedit; quia homo, relicto Deo rerum omnium auctore, ad dæmonem ipsius hostem, honoremque divinum affectantem confugit. Observantia vana est superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, et improportionata; vel qua quis ex observatione eventûs fortuiti actiones suas vanè dirigit. Non differt à divinatione, nisi quòd hæc ad cognitionem occultorum ordinetur; illa verò ad effectum externum, vel opus observantis. Quare quæ dicta sunt de divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ observantiæ.

Nunc indicabimus regulas, quæ superstitiosos ritus clarè demonstrent, ex quibus, quæ ad vanam observantiam pertinent, facilè intelliguntur.

apponunt, ut somniando, quinam ex urnula extrahi debeant numeri, divinent. Quis non videt has absolutionis incapaces esse, dum in hujus exercendæ superstitionis proposito persistant; atque eadem culpâ teneri contendo, qui librum, quem artis vocant, in quo modus indicatur divinandi hujusmodi numeros per somnia, aut vendunt, aut spargunt, aut secum retinent, ut ipsi aliique eo utantur. Nam ii omnes illicitæ superstitioni operam, aut occasionem dant: nec à mortali culpa excusantur, qui somniis inde sequentibus, ac interpretationi juxta illum librum se fidem non habere protestantur: quia rem illicitam et superstitiosam agunt; quia aliis, simplicioribus præsertim, scandalo sunt, seu occasio in superstitione perseverandi; quia causam adhibent, cujus effectum à solo dæmone sperare possunt; et quia ex sacra illa auri fame qua ducuntur, ac fortasse etiam dæmonis suggestione, vix fieri potest, ut fidem aliquam non adhibeant, unde majorem lucri spem concipiant, quàm si aliâ viâ numeros selegissent. Atque hæc de divinatione.

CAPUT II.

Regulæ explicantur, quibus facilius superstitiosi Ritus cognosci queant.

Ut fidei depositum, intactum, illibatumque servaretur, præcipua semper Ecclesiæ cura omni tempore fuit, ut vel umbra etiam superstitionis ex hominum mentibus radicitùs exsirparetur. Hùc spectant celebriorum Patrum conatus, plurimorum Conciliorum canones, illustriorum Ecclesiæ pastorum documenta Pastoralia, insigniorumque Theologorum de vitanda superstitione argumenta. At hæc satis non fuere, ut, ex inferis orius, malignique spiritûs artibus auctus, ac perversa hominum voluntate enutritus, superstitionis ignis penitùs exstingueretur. Viget enim, viget adhuc et non modo apud idololatras gentes, sed etiam apud christianorum plerosque aliquod antiquæ superstitionis vestigium reperitur. Quamobrem necessarium duximus certas hic subnectere regulas, quibus tutò cognosci queat, quæ cæremoniæ sint, quæ superstitionem redoleant.

Regula I. *Ritus seu actio quælibet, quæ in iis circumstantiis adhibeatur, in quibus certò constet nullam habere naturalem virtutem ad effectum producendum qui speratur, illicita et superstitiosa habenda est.*

Regula hæc ex S. Thom. deprompta est, qui (2. 2. *q.* 95. *a.* 2. *in corp.*) docet eos, qui rem adhibeant ad producendum effectum, quem norunt naturali virtute suâ producere non posse, illam adhibere, non ut causam, sed tantum ut signum, ideoque semper ad pactum se conferre, quod vel explicitè, aut tacitè cum dæmone inierunt. Atque hinc infertur: 1° Superstitiosam esse artem *notariam*, qua ad scientiam repentè et sine studio acquirendam, res adhibentur, quæ ineptæ sunt ad scientiam conferendam, et quæ nonnisi pro signis haberi possint, quæ invisibilem causam ad illius collationem moveant: ut verba ignota, certæ preces, certarum figurarum inspectio, vel potio aliqua, etc. 2° Superstitiosa esse improportionata quædam in media, quæ ad morbos hominum, vel animalium curandos adhibentur, ut certa signa, verba ignota, cæremoniæ inanes, certæ figuræ, numeri characteresque incogniti, etc. Item usus aliquarum rerum naturalium, quibus inania, et vana quædam, velut necessaria adjungantur, ut est usus herbæ collectæ in vigilia sancti Joannis Baptistæ, pro curandis nonnullis morbis, etc. neque enim constat die illi vim esse inditam communicandi herbis particularem virtutem. Rursus gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint lædi,

vel ne sanguis effluat, vel ad conciliandum invisibilitatem, amorem, fortunam, nocumenta, et maleficia. Verbo dicam: quidquid non habet nisi rationem signi ex instituto hominum ad effectum comparatum, qui speratur, si rationabiliter effectus ille à Deo exspectari non possit, superstitiosum, et illicitum est. Atque hinc altera eruitur regula.

Regula II. *Superstitio est et illicita quæcunque actio sive cæremonia, cujus effectus vel à natura, aut à Deo rationabiliter exspectari non possit.*

Regulam hanc Theologica facultas Parisiensis suppeditat (art. 3. Censuræ, quam edidit anno 1396.), per hæc verba: » Intendimus pactum esse implicitum in omni observatione » superstitiosa, cujus effectus non debet à Deo, vel à natura » rationabiliter exspectari. » Eruitur etiam ex Gersone, atque ex Martino Arelatensi, qui in tractatu de erroribus circa artem magiæ, et articulis reprobatis juxta Sanctorum Patrum, et præsertim Augustini sententiam, ait: « Observatio ad faciendum aliquem effectum, qui rationabiliter » exspectari non potest à Deo miraculosè operante, nec à » causis naturalibus; debet apud Christianos haberi superstitiosa, et suspecta de secreto pacto implicito vel expresso » cum Dæmonibus. Ista est doctrina Sanctorum Doctorum » et nominatim Augustini in locis pluribus.)

Atque hinc patet à superstitione liberari non posse feminarum carminatricum benedictiones et preces, quæ ad morbos depellendos adhibentur, unctiones unguen i armarii, quibus ferrum ungitur, ut absens percussus curetur, et id genus alia, in quibus optatus effectus à natura rei, quæ applicatur, rationabiliter exspectari non potest, nec causa adest alia qua prudenter judicemus effectum illum Deum miraculosè producturum esse. Unde enim scimus aut prudenter conjicimus feminis illis, illique unguento vim inesse, quæ Deum moveat ad effectum illum miraculosè faciendum? Itaque ex benedictionibus unctionibusque illis nonnisi per occultam dæmonis actionem effectus haberi potest, si sequatur, ac nonnisi ex tacita cum illo pactione operari potest. Huc quoque spectat superstitiosa illorum fides, qui in numero *tredecim* malam veluti qualitatem fingente, putant nefas esse tredecim homines in eadem mensa sedere, futurum alioquin, ut eorum unus, aut eodem anno moriatur, aut instar Judæ proditor sit futurus. Quis enim huic numero malignam hanc indidit virtutem? Regula hæc locum non habet in iis, quæ à Deo sunt instituta, à cujus promissione et virtute speratur effectus. Sunt autem cæremoniæ aliquæ, quæ utiliter adhibentur, etsi non sunt à Deo institutæ, dum constet ab Ecclesia esse præscriptas, quæ à Deo instituendi ritus potestatem habuit. Ex quo tertia eruitur:

Regula III. *Superstitiosum est, quidquid ad effectum producendum adhibeatur, quem spectare non possumus, nec a natu-*

rali rei applicatæ virtute, neque ab institutione divina, neque ex præscripto Ecclesiæ, quæ id ad effectum illum obtinendum ordinaverit.

Regula ex variis Conciliis deducta est. Proferam tantùm verba duorum Conciliorum Mechlinensium, quorum alterum anno 1570. alterum verò 1607. celebratum fuit: In illo (*Tit. de Superst.*) hæc habentur: « Cùm rectè moneat sa» crosancta Synodus Trid., ut omnis superstitio tollatur, » docet hæc Synodus omnem illum rerum usum esse super» stitiosum, qui sine verbo Dei, et Ecclesiæ doctrina fit, » proscriptis aliquibus ritibus et observantiis, quarum ratio» nabilis causa reddi non potest, et fiducia in eis collocatur » certo exspectandi aliquem eventum, qui sine illis viri» bus ex Sanctorum intercessione non speraretur, aut quæ » in cultu Sanctorum ex temeritate, aut quadam levitate » potiùs, quàm pietate, et vera in Deum religione, fieri » videntur. » In altero vero (*Tit.* 15. *de Superst.*) legitur: « Et quoniam rudis populus sæpe ex ignorantia superstitio» nibus inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis » doceant, et inter cætera, superstitiosum esse exspectare » quemcunque effectum a quacunque re, quam res illa nec » ex institutione divina, nec ex ordinatione et approbatione » Ecclesiæ producere potest. » Ex hac regula lata patet ad cognoscendas superstitiones via. Ex ea enim constat, licitum esse res naturales ad effectus producendos applicare, quos naturaliter producere possint, ad licitum itidem res applicare ad effectus obtinendos, quos illæ naturâ suâ producere nequeant, modò Deus, vel Ecclesia res illas usurpari voluerit, ut optatum effectum habeamus, ut ex. gr. res et verba, quibus Sacramenta constant, pro obtinenda gratia; vel preces, benedictiones, ac aliæ præscriptæ ab Ecclesia cæremoniæ pro illis effectis, quæ ex earum usu speramus. Dum enim constitutas per Ecclesiam cæremonias adhibemus ad effectum etiam obtinendum, qui naturalem illarum virtutem non sequatur, certum est nos effectum non aliunde quam a Deo sperare, atque ad illum obtinendum media adhibere ab Ecclesia, cui Deus hanc potestatem fecit, instituta, et quæ ob assistentiam quam semper habet Spiritûs Sancti in iis designandis, errare non potest, ideoque nec superstitionem præcipere, aut fovere.

Neque dubitare possumus, quin hanc Deus Ecclesiæ suæ potestatem concesserit. Matth. enim cap. X. convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis Jesus *potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Et Luc. X. 19. *Ecce*, inquit, septuaginta duos discipulos alloquens, *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.* Hac verò potestate uti sine cæremoniis non poterant; ac cæremonias reverâ nonnullas

constituisse, exorcismi pro depellendis malis spiritibus ab ipsa Apostolorum ætate in Ecclesia usurpati, rem exploratam faciunt. Illam verò potestatem in Apostolis, ac septuaginta discipulis, datam fuisse Ecclesiæ pastoribus, tum ex eo constat, quod semper in Ecclesia necessaria esset dæmonis depellendi potestas, quia semper is *circuit quærens quem devoret*, tum etiam ex perpetua, et constanti Ecclesiæ traditione comprobatur. Hac enim docemur, impositionem manuum ad curandos infirmos, et ab Apostolis adhibitam fuisse, et durasse ad quintum usque Ecclesiæ seculum, ut agendo de Ministro confirmationis ex auctoritate Innocentii I. ostendemus; ac deinde scimus in usu semper fuisse exorcismos pro expellendis malignis spiritibus, aliasque cæremonias. Atque hæc obiter diximus, nam de hac Ecclesiæ potestate alibi ex professo tractatum est. (*)

Itaque dum rem ad effectum producendum adhibeamus, quæ cùm virtutem illum producendi non habeat, solam rationem signi habere possit, si à Deo vel Ecclesia id institutum sit, dum ex illius applicatione effectum consequi certò speremus, id non aliunde, quàm à dæmone exspectare possumus: ideoque tacitam, vel expressam cum illo pactionem continet.

Id ex dictis satis perpicuè liquet. Sed quò faciliùs res tanti momenti cognoscatur, novis etiam momentis comprobamus. Facultas Parisiensis ann. 1398. hunc inter alios de superstitione articulum definivit: « In quacunque superstitiosa actione, ex qua effectus exspectatur, quem neque a » rei quam applicamus, natura, neque à Deo rationabiliter » sperare possumus, tacita cum dæmone pactio intercedit. » Id etiam docent S. Th. 2. 2. q. 96. a. 2. Gerson tract. de erroribus circa magiam, Dionysius Carthusianus, Guillelmus Parisiensis, Theologi denique omnes; atque ratio quam afferunt, rem planè demonstrat. Nam dum res ad effectum producendum applicatur, quæ apta ad illum producendum virtute careat, effectus ille nonnisi ab alia causa exspectari potest. At non possumus effectum illum ex Deo sperare, neque ex Angelis ejus ministris, dum res illa à Deo ad illum effectum producendum destinata non sit, neque ab Ecclesia pro illo divinitus obtinendo instituta; quis enim rationabiliter à Deo certò exspectabit effectum ex rei applicatione, quam ineptam agnoscit? Superest ergo, ut à solo maligno spiritu, à cujus unicè institutione vis, quæ præsumitur, pendere potest, effectus ille exspectetur. Pactio ergo saltem tacita cum illo intercedit. Accedit etiam quod actio illa vana, naturâ suâ inutilis, ex dæmonis suggestione excogitata præsumitur: nam ab Ecclesia et à Deo vanum superfluumque cultum vetante, prohibita est. Ergo contra Dei voluntatem adhibetur, et contra Dei voluntatem insti-

(*) Vide Cap. 8, Sect. 2. Part. 3. Institut. Cathol.

tutur. Quis ergo dubitet, quin suggerente dæmone inventa fuerit, et quin ex tacito cum eo inito pacto ac societate adhibeatur? « Quod si hæc superstitiosa inveniantur virtu-» tis alicujus, tanto perniciosiora sunt secundum Augusti-» num, quanto sunt ad seducendum validiora. Ille siquidem » effectus, cùm neque à miraculo vero, neque à causa » naturali fieri cognoscatur, ut à seductoribus dæmoniis » proveniat consequens est. A seductoribus autem fallaci-» bus, a patre mendacii, ab hoste crudelissimo, quid boni, » quid veri, quid commodi speres, tu videris. » Ita Gerson. *de erroribus circa artem magicam, et art. reprobatis 3. dicto.*

Vanus hic atque inutilis usus pluribus potest contingere modis. Primo, si effectus procuretur adjunctis nonnullis vanis et inutilibus, quæ ad effectûs productionem necessaria putentur: ut v. g. verba nonnulla sacræ Scripturæ, vel ecclesiastica, quæ sint certa forma, ac modo quodam particulari conscripta, vel certa hora; et delatio herbæ, quæ sit certo temporis momento collecta. Hæc enim cùm vanâ præsumptione adhibeantur, tacitam illam pactionem præ se ferunt. Secundo, dum recitantur aliqua Scripturæ verba pro effectu aliquo vano, vel ex vana præsumptione optato, obtinendo, ex. gr. promovendo, agitandoque annulo ad filum appenso, pro incantandis canibus, etc. (1) Tertio, hæc intercedit tacita pactio, dum ad effectus obtinendos, quos naturâ suâ res applicata producere valeat, adduntur characteres, ac vana quædam signa ut securiùs habeatur effectus: ut dum quis pro corporis purgatione medicinam sumere nollet nisi certæ figuræ vase contentam, in quo priores alphabeti litteræ descriptæ essent. Quarto, dum certa incognita verba adhibeantur pro effectu obtinendo, vel dum ex alicujus oratione a privatis conficta, in qua certa hebraica, vel græca verba habeantur, supernaturalis effectus certo exspectetur; tunc enim vanâ præsumptione effectus ille speratur, quem nonnisi dæmon, cujus suggestione vana illa cæremonia inventa fuit atque adhibetur, producere potest. Quod quidem attentè notandum est, ne sub prætextu cultûs divini aut alicujus sancti, dæmoni honor obsequiumque deferatur. Obiata mihi fuit paucis ab hinc annis quædam in honorem S. Patritii conficta oratio, qua in nonnullis parum ab Urbe dissitis locis utebantur ad benedicendam

(3) Vide quæ de annulo illo superstitioso scribit Cardinalis Cajetanus in Sum. *v. Incantatio.* « Sciant, (inquit,) lectores, quòd volui, non ex-» periri, sed convincere hujusmodi diabolicam institutionem ad effectus » vanos propter utilitatem fidelium. Accepto namque filo et annulo, pro-» testatus sum quod versum illum sacrum Deo vero, cui à Psalmista diri-» gitur, dicebam, et non tanquam institutum ad movendum annulum, » et sic dixi versum illum, et annulus non est motus. Ut hinc cognoscant » omnes, quod tunc diabolus movet annulum, dum versus ille dicitur » ei, ut ipse instituit. » Idem de iis dicito, qui Scripturæ verba adhibent pro incantandis canibus: tunc enim juxta diaboli institutionem adhi-bentur.

aquam, cujus usu certò credebant, statim à quocunque ex veneno derivato morbo, hominem, sive bestiam liberatum iri, etiamsi is distans esset, modo alter saltem ipsius nomine aquam illà præparatam biberet. Quis verò non videt vanam hanc credulitatem, quæ non ex Dei promissione, neque ex institutione Ecclesiæ, sed contra expositam ab Ecclesia doctrinam est, ex dæmone originem trahere, ideoque effectum illum nonnisi à dæmone exspectari? Sed neque oratio ipsa superstitione caret; habet enim *per hæc sanctissima nomina Eloi † Adonai † et Sabaoth †* atque ita occasionem præbet certò exspectandi effectum illum ob inditam, ac falsò putant, illis nominibus virtutem. Quinto denique, dum verba quæ pro effectu extraordinario adhibentur, falsi quidpiam contineant, vel dum preces in quibus vis magna statuatur, incertis apocryphisque historiis refertæ sint; cum exspectari nequeat à Deo, qui summa veritas est, ex falsitate certus effectus. *Superstitiosum est*, inquit Cardinalis le Camus Episcopus Gratianopolitanus, *in orationibus historias apocryphas, fabulosas, incertasque miscere.* Atque hæc satis visa sunt ad superstitiones dignoscendas, et ad varios detegendos modos, quibus tacita cum dæmone pactio instituitur.

CAPUT III

De Natura, origine, utilitate ac necessitate Sacrorum Rituum.

Sacrorum Rituum naturam, originem, ac necessitatem, non indicare tantùm, sed etiam demonstrare operæ pretium duximus; quamobrem variis propositionibus rem explicabimus. Esto itaque.

Propositio I. Sacer Ritus esse non potest actus illicitus.

Nam eo fine institui debent sacri Ritus, ut iis Dei cultus in hominibus augeatur; debent enim ex instituentis determinatione ea per sensus menti offerri, quæ hominis erga Deum obsequium concilient, et augeant. Per actum autem illicitum, qui de se malus sit, vel aliquà lege prohibitus, Dei cultus et gloria non augetur, sed ei injuria fit, ejusque gloria præcepti transgressione contemnitur. Atque hinc liquet, jure meritoque damnari ab Apostolica Sede festivas gratulationes, quæ solemni ritu in prima puellarum purgatione fieri solent in regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus, quod pudori, et honestatis legibus adversentur, et detestandos esse obscenos nonnullos ritus, quos in nuptiis celebrandis usurpari solere apud Hottentottos, gentem maximè barbaram, et nonnullos Orientales, Historici nonnulli testantur.

PROPOSITIO II. Ritus sacri eadem, quâ instituti sunt auctoritate, mutari possunt.

Etenim ritus non naturâ suâ, sed instituentis voluntate ac determinatione, ea significant, quæ ad fovendum, augendumque Dei cultum alliciant, et moveant. Igitur tota eorum vis ab instituentis arbitrio pendet: ergo instituentis voluntate ritus significatu privari potest, atque res alia, sive alius actus, ad id significandum assumi.

PROPOSITIO III. Si Ritus hominum ex abusu ad superstitionem, vel hæresim fovendam adhibeatur, aut in Dei injuriam cedat, prudenti œconomiâ mutatur, et quandoque etiam aboletur.

Nam sacri ritus non solum non possunt esse perniciosi, sed nec etiam inutiles, ut è definitionibus liquet. Igitur dum homines iis abutuntur, ut superstitionem vel hæresim foveant, aut si eorum usu injuria Deo fiat, sive ex hominum malitia, sive alia de causa, prudenti œconomiâ mutantur, et abolentur. Ob abusus Ecclesia è medio sustulit *Agapas*, convivia scilicet christianæ caritatis fovendæ causâ primis Ecclesiæ temporibus instituta. Eadem œconomiâ usus est S. Gregorius Magnus dum in Hispania trinam immersionem, quæ in Baptismo ex antiqua consuetudine adhibebatur, auferri permisit, quia ea Ariani abutebantur ad docendum divinas personas naturâ et gradu esse distinctas, ut constat ex Epist. 41. quæ est ad Leandrum Hispaniæ Episcopum. Eadem de causa alii in Latina Ecclesia mutati, ac sublati sunt ritus. A Constantiensi et Trid. Synodo usus calicis laicis interdictus fuit, quod ob ingentem communicantium numerum, passim Christi sanguis spargeretur, et alia occurrerent, quæ divino Sacramento atque Deo injuriosa essent. Et, ut alia omittam, ablatis justis de causis Diaconissis, disciplina quoque mutata fuit baptizandi per immersionem, ut feminarum pudori consuleretur.

PROPOSITIO IV. Ritus legitimâ auctoritate institutus vel comprobatus, si in Dei cultum et gloriam augendam referatur, licitè et utiliter adhibetur, licèt antea ritus fuerit falsæ religionis, et idololatræ gentis.

Nam ritus ratione illius, quod menti offert, et quo homo in finem aliquem dirigitur, vel vitiosus, aut utilis est: ergo si ritus, quo idolum colebatur, mutato significato et objecto, ad augendum Dei cultum, ejusque gloriam amplificandam referatur, licitus, utilisque erit. Quod enim de se malum non sit, licitè usurpatur; utiliter verò quidquid in Dei gloriam referatur. Actus autem nullâ lege prohibitus, quem hæreticus, vel idololatra superstitioso cultu ritum constituat, de se malus non est, sed solùm ratione objecti et finis, in quem dirigitur; si ergo in Dei gloriam dirigatur, ac Deo obsequii causâ adhibeatur, licitus, et utilis erit, nec am-

plùs hæretici, vel idololatræ ritus erit, sed orthodoxæ Ecclesiæ cæremonia. Sic cæremoniæ nonnullæ, quas Mosem ex Ægyptiis deprompsisse eruditis nonnullis visum est, determinatæ ex divina, qua Moses ducebatur, inspiratione, ad significandum Christum venturum, divinæ deinceps cæremoniæ dictæ sunt; Baptismus, quo Judæi Proselytos suos initiare solebant, postquam à Christo Domino ritus Christianorum, et Sacramentum novæ legis constitutus est, non amplius Baptismus Hebræorum, sed Christianæ religionis Ritus, et Sacramentum appellatum est. Processiones denique ab Arianis institutæ, ut religiosæ pietatis famam ac splendorem affectantes, precibus, et hymniis, quos hinc inde per vias, et plateas canebant, imperitum vulgum in turpissimi erroris societatem protraherent, postquam ab Orthodoxis in publicam veritatis contestationem ac in Dei laudem, et gloriam fieri cœperunt, utiles, sanctæque Ecclesiæ catholicæ cæremoniæ factæ sunt. Vid. Socrates lib. 6. Hist. eccles. c. 8. et lib. 7. c. 23. et Sozomen. Hist, eccles. lib. 8. c. 8.

Atque hinc patet, turpissimè eos falli Novatores, qui ut Catholicæ Ecclesiæ ritus contemnant, et damnent, satis esse putant, ostendere, atque clamare, vel à Synagoga, aut Gentium superstitione originem trahere. Ritus enim, non ex eo quod retroactis temporibus fuit, nec ex fine, quo tunc adhibebatur, sed ex eo, quod in præsentia menti considerandum offert, et ex fine, quo usurpatur, metiri debet. Igitur, si actus, templum, si vestis, vel aliud quidpiam, quo gentes Idolorum cultus ornandi, fovendi, exercendique causà usæ sint, ab orthodoxa Ecclesia adhibeatur; vel ut exteriori pompâ sensibus indicatà Dei majestate, et rerum omnium dominio, fortius homines moveat ad obsequium, vel ut in memoriam revocet collata humano generi beneficia, vel ut exteriori obsequio Dei cultum foveat, et augeat, vel denique ut alio modo Dei honor et gloria augeatur, quid est, quod reprehendi, quod damnari possit? Præterea quid mali est, ritibus uti, vicinitatem habentibus cum Veteris Testamenti cæremoniis? Hæ enim designabant futurum Christum, nostri verò ritus jam venisse indicant; dum ver. gr. luminaria adhibentur ad significandum patefactam lucem Evangelii; thurificatio, ad ostendendum odorem gratiæ à Christo manantem; vestes, quæ commemorandæ Dominicæ Passioni serviant. Hæc de rituum natura. Venio nunc ad originem.

Propositio V. Exterior Dei Cultus et Ritus sacri nonnisi à Deo originem habent.

Ea enim, quæ Deus homines docuit, ex Deo originem trahunt; exteriorem autem Dei cultum, ritusque, qui interiorem foveant, et augeant, Deus ipse homines docuit. Patet id, primùm ex eo quod exterior Dei cultus cum hominibus ceperit; ut ex sacrificiis constat, quæ Cain et

Abel Deo obtulerunt. (*Genes.* IV.) Deinde, quia omni ætate nationes omnes cultum externum, ritusque sacros adhibuere, idque vel ex eo, quod hujusmodi Dei colendi rationem à majoribus acceperint, quos Deus docuerat; vel quod Deus ipse per rectam rationem, id omnes homines doceat. Præterea constat, itidem constituisse signum fœderis ipsum inter et terram initi (*Genes.* IX.), Circumcisionem statuisse signum pacti cum Abramo initi, ejusque semine: ac plures per Mosem præscripsisse ritus, qui, aut collata beneficia Hebrææ genti, aut factas promissiones menti offerrent. Denique humano generi post diluvium præcepit, ne carnem cum sanguine comederent, ut non tam faciles essent homines ad homicidia, et sanguinis effusionem, sicut ante diluvium fuerant, quemadmodum Interpretes quamplurimi exponunt. Hebræo populo per Mosem cæremonias præscripsit: atque in plenitudine temporis, æterno ipsius Filio homine facto, Baptismum, sacram Cœnam, manuum impositionem, aliosque Sacros Ritus stabilivit, de quibus sequenti Capite dicemus. Dubitari ergo non potest, quin Sacri Ritus ex Deo originem trahant.

PROPOSITIO VI. Sacri Ritus in hac providentia non solùm sunt utiles, sed etiam necessarii.

Propositio hæc ex iis, quæ superiori Propositione demonstravimus, facile patet. Cùm enim Deus omni ætate exteriorem cultum, ritusque sacros homines docuerit, ac servandos quoque præceperit, argumentum est, non solùm utile, sed etiam necessarium esse, ut homines ex animo et corpore constantes, etiam exteriùs per corpus Deo obsequium exhibeant, et ut per sensus ad Deum colendum alliciantur, et determinentur. Quo autem res clarior fiat, utramque propositionis partem paucis demonstrabo. Ad primam quod attinet, nemo non videt, sacros ritus esse hominibus quam maximè utiles: ii enim ea sensibus offerre debent, quæ homines ad Deum colendum moveant et alliciant, quæque apta sint ad augendum in eis interiorem Dei cultum, eosque in æternam beatitudinem dirigendos. Altera vero pars ex modo liquet, quo Deus suam erga homines providentiam exercet. Licet enim ita homines regere potuerit, ut interius lumine suo eos docendo, et dirigendo per verum cultum, ad supernæ beatitudinis consecutionem perduceret; tamen per visibilia ad invisibilium suarum perfectionum cognitionem nos ducit, ut docet Apostolus, et per factam ad sensus per Prophetas et Apostolos revelationem, quæ credenda, quæque nobis agenda sunt, manifestavit, modumque indicavit, quo ei servire, cultumque exhibere debeamus. Voluit ergo Deus, ut in hac providentia hominibus per sensus tum credenda, tum agenda proponerentur. Ergo juxta hunc providentiæ ordinem, necesse est, ut homines per sensus excitentur, et alliciantur

ad Deum colendum. Ut enim fides esse debet ex auditu, ita per auditum, et alios sensus ad cultum Dei provocari, et allici debent: eo vel magis, quod hominum plerique, vix aliâ ratione, quàm per sensus determinari, ac moveri possunt ad Deum colendum. Accedit etiam, quod homines in societate viventes invicem moveri, et provocari debeant ad Dei cultum. Id verò, quâ ratione fiet, si exterior cultus, sacrique ritus è medio tollantur?

CAPUT IV.

De Christianæ Ecclesiæ Ritibus, ubi præcipui circa eosdem errores Hæreticorum, qui sunt hac ætate nostrâ in Occidentali Ecclesia, recensentur, et confutantur.

Explicata sacrorum rituum natura, origine, et utilitate, de ritibus dicendum est quos vera Christi Ecclesia præscribit, servandosque præcipit. Itaque in hoc Capite agemus de exteriore Dei cultu, ac ritibus in universum, et exponemus Catholicæ Ecclesiæ systema circa sacrorum rituum disciplinam. Plures sunt hoc tempore in Occidentali Ecclesia hæreses, quarum quælibet plures habet circa sacros ritus errores. Omnes Catholicam Romanam Ecclesiam novitatis et superstitionis insimulant, ejusque auctoritatem, cujus sententiâ è fidelium communione dejecti sunt, contemnunt et negant. Sed invicem dissident, tum in designando novitatis initio, tum in exteriori cultu reprehendendo atque damnando. Sociniani, et qui iis proximè accedunt Remonstrantes, Apostolorum ætate Ecclesiam Christi mutari, ac depravari cœpisse, tum circa dogmata, tum circa disciplinam effutiunt. Calviniani à secundo, Lutherani verò aliique à tertio vel quarto Ecclesiæ seculo, variationis et novitatis initium sumunt. Sociniani, Remonstrantes, et Calviniani, exteriorem Dei cultum, ut Christianæ Religionis simplicitati contrarium, detestantur; contrà verò Anglicani Hierarchiam Ecclesiasticam, exteriorem Catholicorum in pluribus similem cultum, ac cæremonias bene multas usurpant, et probant. Lutherani ritus adiaphoros putant, et contra aliorum hæresim, Christi Salvatoris Imaginem in Ecclesiis detinendam esse contendunt. Variant etiam in iis indicandis, quæ superstitionem in exteriori Ecclesiæ nostræ cultu redoleant, ut invicem pugnant circa dogmata fidei. Ita Deus Ecclesiæ suæ manifestat, eos superbiæ, dissidii, errorisque spiritu duci.

Hujusmodi errores confutaturi, ostendemus, Primò, exteriorem Dei cultum Christianæ Religionis humilitati et simplicitati non adversari; Secundò, in Christi Ecclesia inesse instituendi ritus potestatem; Tertiò, potestatem hanc

cum auctoritate præcipiendi, condendique Leges esse conjunctam ; Quartò, hanc potestatem non inesse in Magistratibus, atque Principibus ; Quintò, sed in Ecclesiæ Pastoribus : Denique, Pastorum omnium jurisdictionem Romani Pontificis auctoritati esse subjectam.

PROPOSITIO I. Exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus Christianæ Religionis simplicitati non adversatur.

Ut, quæ sunt nota, ab iis, quæ Novatores in dubium revocant, secernantur, tria principio constituo, quæ ab ipsis quoque Hæreticis unanimi consensu probantur. Primum, ea quæ ad statuendum atque servandum in divino cultu ordinem et decorem utilia sint, non esse Christianæ Religionis humilitati ac simplicitati contraria. Nam recta ratio docet in omnibus, sed præsertim in Dei cultu ordinem decoremque servari oportere ; et Paulus (1. *ad Cor. c.* 14. *v. ult.*) jubet, *ut omnia honestè, et secundùm ordinem fiant.* Plures autem cæremoniæ, quibus exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus continetur, ad ordinem decoremque in sacro cultu servandum quam maximè conferunt, ut easdem expendenti manifestum sit.

Deinde statuo Christianam Religionem non prohibere sacrorum rituum usum. Nam præterquam quod hujusmodi prohibitio, nec à Christo Domino, nec ab Apostolis ullibi facta legitur, ipsi quoque Novatores fatentur, Christum constituisse Baptismum, ut sacrum ritum, quo homines novum hominem induerent, atque Christianæ Religioni initiarentur ; et sacram Cœnam, quam perpetuò ab Ecclesia in sui commemorationem fieri debere mandavit ; nec inficiantur, Apostolos ad indicandum gratiam, aliaque Sancti Spiritûs dona, quæ hominibus conferebantur, manuum impositionem, aliasque cæremonias adhibuisse.

Denique, *omnia illa quæ cum virtute nobis præscripta conjunctionem aliquam habent, et ad ejus perfectionem faciunt, et solo fine suscipiuntur, ut aptiores et promptiores simus ad colendum Deum*, optimè cum Christiana Religione cohærere, fatetur Limborgius ipse Arminianus. (*Theol. Chr. lib.* 5. *c.* 75. *n.* 15.) At, quæ cæremoniæ est in exteriori Catholicorum cultu, quæ si eo fine usurpetur, quo adhiberi jubet Romana Ecclesia, cum virtute nobis præscripta conjuncta non sit, vel ad virtutis perfectionem, Deique cultum augendum non referatur ? Immo si qua sit cæremonia, quæ apta non sit fovere et augere interiorem Dei cultum, quo Deum in spiritu et veritate diligimus atque colimus, tum ab Ecclesia, tum ab omnibus Theologis nostris, tanquam inutilis, et superflua rejicitur et damnatur. Atque hæc notata sunt, ut palam cuique fiat hæreticorum impudentia, dum Romanam Ecclesiam calumniantur, quod cultum omnem divinum, hominis sanctitatem, ac totam æternæ salutis spem, in

exteriori cultu, et cæremoniarum usu constituat. Venio nunc ad demonstrationem.

Quidquid ad servandum in divino cultu ordinem et decorem, et ad interiorem in nobis Dei cultum augendum utile sit Christianæ Religionis humilitati, atque simplicitati non adversatur : quippe quæ cordis, seu spiritûs humilitatem, et simplicitatem commendat, nec ullibi vetat exteriores actus, qui simplici atque humili corde divini cultûs causa fiant. Ritus autem, quibus exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus continetur, vel ad servandum in divino cultu, seu sacrorum confectione, et administratione ordinem et decorem, vel ad virtutis exercitium, aut ad interiorem Dei cultum augendum referri debent, juxta Catholicæ Ecclesiæ institutionem atque doctrinam. Hæc enim inutiles et superfluos ritus, ut superstitiosos damnat, atque abusus, si qui sint in cæremoniarum praxi, Pastorum diligentiâ omnino removendos præcipit. Videatur Conc. Trid. sess. 22. *Decret. de observ. et evitand. in celebrat. Missæ*, et sess. 25. *De invocatione, veneratione, etc.*

Et sanè quis neget, plerosque ritus Catholicæ Ecclesiæ ad Sacrorum ordinem et decorem pertinere ? Exterior pompa maximè confert tum ad decorem in sacris functionibus servandum, tum ad alliciendos homines ad publicum Dei cultum, tum ad debitam Deo ejusque divino cultui venerationem conciliandam, tum denique ad ostendendum hominibus Dei majestatem, supremumque dominium, cujus consideratione cordis humilitas, et simplicitas fovetur, et augetur. Opera, quæ Ecclesia præcipit, sunt veræ virtutis exercitium, vel ad virtutis exercitium disponunt, si eo fiant fine, quo ipsa præscribit. Nam vel sunt actus religionis et virtutis, ut auditio Sacri, Sacramentorum susceptio, etc. vel ad exercendam virtutem disponunt et juvant, ut jejunia, cælibatus, etc. Promissiones denique et Dei beneficia, quæ per ritus plerosque menti contemplanda offeruntur, ad fidem, spem, et caritatem augendam destinantur.

Aiunt vero, exteriorem Romanæ Ecclesiæ cultum, mundi pompam redolere, quæ potiùs superbiæ fastum, quàm cordis humilitatem fovet, et auget.

At, si non mundi, sed Religionis ac Dei causa fiunt, cur mundanæ pompæ dicuntur ? Si Ecclesia cum Christo docet, hæc sine humilitate et simplicitate cordis fieri non debere : si pompæ illæ ac splendidi ritus, Dei Majestatem ad sensus ostendendo, cordis humilitatem ac simplicitatem fovent et augent, quo jure, ut affectus mundani damnantur ? Nunquid Deus mundanas pompas probavit, dum auctoritate comprobavit suâ, splendidum ornatum, vestes, et alia pretiosa divini cultûs instrumenta, quæ in Hierosolymitano templo adhibebantur ? Non ita sanè visum est Sanctis Ecclesiæ Patribus, qui eâ ætate floruere, in qua reddita jam

Ecclesiæ pace, Principium munificentia ita exterior Dei cultus exornari potuit. Videantur Cyrillus Cat. 24. Ambros. lib. 1. de Off. c. 22. Gregor. Nazianz. Oratione 11. in Laud. Gorg. Hieron. Epist. 3. ad Heliodorum, et 2. ad Nepotianum; Patres denique omnes quarti, et quinti Ecclesiæ seculi. Ii enim summis laudibus extollunt illorum pietatem et religionem, qui sumptus maximos impenderant in ornandis Christianorum templis, comparandisque pretiosis Sacerdotum vestibus, atque aliis divini cultûs instrumentis. Numquid Novatoribus ætatis nostræ magis exploratum est, quod Christianæ religioni contrarium sit, quàm Patribus illis, quibus trium priorum seculorum traditio ignota esse non potuit, quique tanto studio, ac fervore fidei puritatem, ac disciplinæ nitorem in Ecclesia conservare conati sunt. Hactenus quoad ornatum Templorum, pretiosa divini cultus instrumenta, splendidumque Ecclesiasticarum functionum apparatum.

Venio nunc ad cæremonias, quæ in Sacramentorum administratione adhibentur. Non video qua fronte has Christianæ Religionis simplicitati adversari prætendant. Nam hæ adeo antiquæ sunt, ut nonnisi ex Apostolis repeti queant. Sunt enim, saltem magis præcipuè, Ecclesiæ Orientali, et Occidentali communes: ac in Oriente vigent quoque apud Græcos, Jacobitas, Nestorianosque à multis seculis è Romanæ Ecclesiæ communione separatos. Quamobrem initio quinti seculi fuisse cæremonias totius Ecclesiæ per universum diffusæ certò cognoscimus. At cùm non constet generali quadam totius Ecclesiæ sanctione fuisse institutas, quis non videat nonnisi ab Apostolis et Apostolicis viris originem habere potuisse, à quibus per universum constitutæ Ecclesiæ veluti à communi fonte descendunt? Vero autem simile non est pugnantia cum Christi Religione Apostolos docere, atque inculcare voluisse. Rursus cæremoniæ Baptismi, idem de aliis dicendum, ea menti offerunt, quæ Christianam fidem doceant, eamdemque foveant, et augeant. Exorcismi significant libertatem à Dæmone, quam per Christum acquirimus; abrenuntiationes Satanæ de officio hominis Christiani baptizatum monent; immersio, Christi sepulturam memoriæ offert; et ut alia omittam, salivæ usus, Christi miraculum indicando, quo cæco sputo visum reddidit, docet nos, Baptismum lumen afferre, quo cœlestem veritatem percipiamus. Hæc vero Christianæ fidei, spei, atque charitati non nocent, sed prosunt.

Dicent, nefas esse, Christianos ad egena et infirma mundi elementa revocare, scilicet, externis ritibus quidquam menti offerentibus, puerorum instar ad credendum, et Deum colendum allicere et trahere. Hæc enim propria veteris legis œconomia erat, quæ fuit per Evangelii libertatem sublata. *Lex illa*, inquit Apostolus ad Galat. c. 3., *pædagogus noster*

fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi fides jam venit, non sumus sub pædagogo, idest non trahimur ampliùs per cæremonias ad credendum, Deumque colendum.

Sed nemo dicet, cæremonias, quâ ratione Ecclesia præscribit, usurpatas, egena appellari posse, et infirma mundi elementa. Hæ enim, ut dixi, ad augendum in nobis interiorem Dei cultum referri debent, neque spes salutis nostræ in exteriori earumdem cortice et usu ponenda est. Hoc sensu Apostolus veteris legis cæremonias egena et infirma mundi elementa appellavit, non verò quatenus excitabant, et fovebant in hominibus fidem in Christum venturum; qua fide Abrahamum justificatum fuisse, capite illo docet, ubi etiam eos, qui ex fide sunt, omnes filios Abrahæ appellat. Infirma quoque et egena elementa vocavit, postquam fides illa venit, quam fovere debebant. Hac de causa dixerat, *ubi venit fides*, hoc est Christus, quem futurum cæremoniæ illæ significabant, *jam non sumus sub pædagogo*, nempe sub cæremoniis illis, quæ homines puerorum instar per sensus ad credendum Christum futurum excitabant. Itaque veteris legis cæremoniæ, nuda, egena et infirma mundi elementa factæ sunt, postquam ea fuere destitutæ virtute, qua salutarem fidem in hominum cordibus excitabant. Egena quoque et infirma elementa vocavit, quæ superstitionis et idololatriæ causâ adhibentur, eadem Epist. (Gal. IV. 8. et 10.) nullibi verò scribit, nefas esse Christianis ritibus uti, qui menti offerant, quæ Christus pro nobis gessit, collata nobis à Deo beneficia, vel quidquam aliud, quo hominis erga Deum amor et cultus foveri et augeri queat. Immo Pauli ætate jam cœperat usus signi Crucis ad revocandum in memoriam Christum in Crucem pro nobis actum, trina immersio in Baptismo ad significandum Christi corpus triduo fuisse sepultum, festum Paschatis, Pentecostes, ac etiam cujusvis diei Dominici ad memoriam recolendam Christi resurrectionis, adventûs Spiritus Sancti, etc. Et præter alios ritus, quos infrà indicabimus, constat in precandi modo, tum Paulum, tum Apostolos reliquos imitatos fuisse Judæos.

PROPOSITIO II. In Christi Ecclesia vera inest instituendorum rituum potestas.

Hic pro comperto habemus, Christum Dominum septem instituisse Sacramenta; idque à nostris Theologis adversùs Novatores abundè demonstratum statuimus. Contendimus verò, Ecclesiæ potestatem fuisse concessam instituendi ritus, tum in Sacramentorum administratione usurpandos, quibus non modo ordini et decori sacræ functionis consuleretur, sed etiam gratiæ indicarentur, quas homines per hujusmodi Sacramenta reciperent, tum etiam, quibus locus, tempus, et modus divini cultûs præscriberetur, vel ea hominibus offerrentur, quibus virtutum exercitium faciliùs

fieret, Deique gloria et cultus amplificari posset. Id verò facilè demonstratur.

Primùm, quia Deus Ecclesiæ suæ animarum curam concredidit : voluitque, ut eas regeret, atque in æternæ felicitatis consecutionem dirigeret. Necesse ergo est, tantam ei dederit auctoritatem, quanta ad hujusmodi directionem necessaria est. Neque enim Deus vult finem, quin media ad finem comparandum necessaria suppeditet. Ad id verò necessaria est potestas instituendi ritus, quibus hominibus ea per sensus offerat, quæ, vel Dei majestatem, vel Dei beneficia aut gratias, quas nobis concedit in memoriam revocando, ad adorandum, et diligendum Deum, et ad pietatem colendam, excitent atque determinent ; sive, ut clariùs loquar, necessaria est Ecclesiæ potestas ea hominibus suggerendi et proponendi, quæ utilia sunt ad beatitudinis consecutionem ; sunt autem ritus utiles, immo in hac providentia etiam necessarii, ut in postrema superioris capitis propositione demonstravimus.

Deinde Christus Dominus (*Joan.* IX.) exemplo præmonstravit suo cæremoniarum usum, dum luto usus est, ut cæco Siloë visum restitueret. Atque huic similes instituendi cæremonias fecisse Ecclesiæ suæ potestatem facilè patet. Nam (*Matth.* XII. *et Luc.* X.) Apostolis, discipulisque fugandi dæmones, sanandique morbos potestatem concessit, ergo et auctoritatem instituendi cæremonias, quas in hujusmodi potestatis usu adhiberent. Ejusmodi sunt impositio manuum, qua Ananias usus est ad curandum Saulum recenter ad Christi fidem conversum, de qua in Actis Apostolorum ; atque exorcismi ad expellendos dæmones, insufflationes, aliique ritus, quos cùm semper ac ubique terrarum Ecclesia usurpaverit, nonnisi Apostolis referre possumus acceptos. Rursus an non Apostoli fuere Christi Ministri, ac Mysteriorum Dei dispensatores, ut habetur ad Cor. II. c. 4. ? quis ergo credat auctoritatem à Deo non accepisse necessariam ad hujusmodi obeundum ministerium? At hæc secum potestatem ferebat ordinandi disponendique sacras functiones, instituendique cæremonias ad ea menti offerenda destinatas, quæ mysteria, atque beneficia memoriæ offerrent, quæ fidelibus contemplanda essent. Hinc Apost. Paulus in suprà laudata Epistola Augustino teste in Epistola ad Januarium Corinthiis pollicetur, se ordinem modumque dispositurum fuisse, quo Eucharistia sumenda esset, dum ad ipsos venisset : *Cætera*, inquiens, *cùm venero disponam.* Eadem habet Trid. Syn. sess. 13. c. 2.

Præterea, Ecclesia semper potestate instituendi ritus usa est, adeòque eam à Christo Domino accepit : neque enim est verisimile Apostolos, eorumque Discipulos potestatem sibi usurpare voluisse, quam a Deo non habuerint. Plures instituisse ritus Apostolos, ex constanti et perpetua omnium

seculorum traditione constat. Ex Apostolis enim originem ducunt nonnulli dies festi, scilicet Paschatis, Ascensionis Christi in cœlum, Pentecostes, ac Dies Dominicus, jejunia nonnulla, puta antepaschale, ac fortasse etiam quartæ et sextæ feriæ jejunium; item mos ille, quo prohibemur, Eucharistiam sumere non jejuni; aliæque liturgiarum preces, trina immersio, insufflationes, unctionesque, et aliæ tum Baptismi, tum aliorum Sacramentorum cæremoniæ, quas Ecclesia ubique ac semper usurpavit, nec scimus ab aliis accepisse, quàm ex Apostolis, unde fides, ritusque per universum orbem à primis Ecclesiæ temporibus propagati, originem trahunt, ut Aug. Epist. 54. alias 118. ad Januarium invictè demonstrat. Ritus anteà dictos, indicatos legimus à Justino prope finem Apologiæ ad Antoninum Pium, ubi etiam commemorat sacros Christianorum conventus, concionum, precumque ordinem, benedictionem Antistitum, aquæ vinique oblationes, ac sacræ Liturgiæ cæremonias: ab Irenæo, Athenagora, Tertulliano lib. de cor. milit. c. 3. lib. de Bapt. et alibi, à Cypriano Epist. ad Magnum; et Clemente Alexandrino, aliisque trium priorum seculorum Patribus; atque eorum plerosque præscriptos habemus in Constitutionibus, et Canonibus, qui Apostolorum nomine circumferuntur, in quibus Ecclesiæ disciplinam contineri, quæ ab Apostolis et Apostolicis viris orta, pro Ecclesiæ regula primis temporibus habita sit, nemo negare potest.

Constat etiam, Ecclesiam, deficiente miraculorum copiâ, ac primorum Christianorum fervore, progressu temporis ritus auxisse, ut frequentiùs in hominum memoriam Dei gratias ac beneficia, et majestatem revocando, pietatis in eisdem fervorem excitaret, eosque fortiùs ad Dei cultum percelleret. Auctos ita fuisse Ecclesiæ ritus, testantur Patres quarti et quinti seculi; Sacramentaria tum Gregorii Magni, tum aliorum, qui à septimo seculo apud Latinos scripserunt; ac Euchologia, quibus à mille et amplius annis utuntur Græci.

Propositio III. Hujusmodi Ecclesiæ potestas cum auctoritate conjuncta est ferendi leges.

Id facilè ex eo patet, quia potestas hæc Ecclesiæ omnino necessaria est. Ut enim regat atque in æternam felicitatem dirigat hominem, qui et veram erga Deum pietatem et suam in eo beatitudinem neglectui habere propensus est, necesse est ea præcipere possit, quæ homines ab iis removeant, et distrahant, quæ huic comparandæ felicitati impedimento sint, et quæ istius consecutionem faciliorem faciant. Si enim in eo, qui civili societati præsit, necessaria est ferendæ legis potestas, qua homines ad præscriptos civitatis et imperii fines legibus dirigantur: cur in ea societati necessaria non erit, quæ Deo ipso jubente homines in infinitè præstantiorem finem,

hoc est, in æternam felicitatem dirigere debet? Sicut enim sine civilibus legibus, quæ impedimenta removeant, ac faciliorem reddant observationem legis naturalis, optata tranquillitas in societate haberi non potest; ita sine legibus, quæ removeant ea, quæ impedimento sint, ac promptiores homines reddant ad servanda divina præcepta, ad virtutum exercitium, et Dei cultum, difficilè admodum, ac ne vix quidem regi ac dirigi possunt animæ, in æternam beatitudinem. Cùm nemo neget hanc Deum dedisse summis Imperantibus potestatem, quod medium sit ad tranquillitatem illam procurandam, quæ est imperii finis; quis neget, eamdem potestatem dedisse iis, quos animarum constituit Rectores, voluitque, ut eas per apta media in summum bonum, cujus unicè possessione beati sumus, dirigerent?

Sed non desunt in Scriptura argumenta, quibus hanc ex Deo accepisse potestatem demonstretur. Nam Christus, quos Apostolos discipulosque suos delegerat, docere jussit omnes Gentes, Matth. cap. ult. Ac eorum, qui credere in Christum vellent, Pastores declaravit, dum Petro dixit: *Pasce oves meas.* (*Joan.* XXI.) *Deindè Claves dedit ei Regni Cælorum*, (*Matth.* XVI.) solvendi, ac ligandi potestatem, ac facultatem dimittendi peccata. (*Matth.* X.) Ubi vero ligandi, solvendique potestatem fecit, declaravit, peccantem fratrem, qui post trinam monitionem Ecclesiæ parere noluerit (id enim significant verba illa *si Ecclesiam non audiverit*), habendum esse veluti *Ethnicum et Publicanum*, hoc est, veluti à communione et fidelium societate dejectum. Pastoris verò ovium curam habentis allegoria, juxta Scripturarum phrasim, supremam significat potestatem, (2. *Reg.* V. 2. *et* 1. *Paral.* XI. 2.) ubi *Pasces*, inquit Dominus, *populum meum Israël, et tu eris Princeps super eum.* Et potestas clavium summam itidem potestatem designat. Nam (*Isai.* XXII.) cum Deus à Sobna in Eliacim summam potestatem transtulit, ait, « Vade, in» gredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam » præpositum templi, et dices ad eum: Quid tu hic? expel» lam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te: » et vocabo servum meum Eliacim: et induam illum tunica » tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam » dabo in manu ejus, et dabo clavem domus David super » humeros ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et clau» det, et non erit qui aperiat. » Dubitari autem non potest, quin Deus pastores, quos in Ecclesia posuit *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*, ad Ephes. IV. 12. semper in Ecclesia futuros esse vellet; et quin semper apud eos illam clavium potestatem esse voluerit, quam pro regendis suis ovibus tradidit. Itaque si Christus, dum Ecclesiam fundavit, ministros quos in ea posuit, Pastores declaravit, ac pastores, qui claves haberent Regni Cœlorum, qui ligarent, ac solverent, qui è

societate expellerent sua inobedientes ; quis dubitet, quin summam eis dederit potestatem, quæ pastoritio munere, ac clavium traditione conferri hominibus à Deo consuevit ?

Immo hanc contulisse Christus ipse declarat Lucæ x. 16. dum Apostolis dicit, *qui vos audit, me audit : qui vos spernit, me spernit.* Audire verò latinè apud Tullium, Quintilianum, et Alphonsum Jurisconsultum *L. arbit.* ff. *de recept. arbitr.* ut et Græcè ἀκούειν, sive πειθεσθειν, et Hebraicè *sciamach* idem sonat ac obtemperare, et præcipienti parere. Itaque in ipsum Christum contumax est, qui Ecclesiæ jussa observare detrectet. Ergo quæ statuit ac præcipit Ecclesia, per factam ipsi a Jesu potestatem constituit et præcipit. Quamobrem Apostolus Paulus ad Hebr. xiii. 17. postquam præpositos appellavit animarum Pastores, *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, et subjacete eis.*

Denique annon constat ex eadem Scriptura, et constanti atque perpetua traditione Apostolos, eorumque successores, jure pastoritio, atque accepta à Christo potestate clavium usos semper fuisse in iis, quæ ad fidem et disciplinam Ecclesiæ, vel ad tollenda scandala pertinerent ? De iis enim rebus leges ab Apostolis, tum singulis, tum communi consilio constitutas, tota penè sacræ historiæ series evincit ; hujusmodi autem constitutiones partim scriptæ, partim non scriptæ fuerunt. Nota res est ex Apostolorum Actis, quæ pro subrogando Apostolo in locum Judæ, et pro institutione diaconorum in curam viduarum egerint, ac celeberrima illa lex, de qua cap. xv. quæ pro decernenda orta de legalibus controversia constituta fuit per hæc verba : *Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.* In iisdem Actis, c. xvi. memoratur S. Paulum Syriam et Ciliciam perambulasse, *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum ;* τας διατάξεις idest, *Constitutiones.* Accedit etiam quod statim subnectitur de eodem Paulo atque Timotheo : *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, et Senioribus, qui erant Hierosolymis.* Ubi Glossographus, post veteres omnes Ecclesiæ utriusque Doctores, *dogmata* rectè interpretatur *statuta.* Mitto præcepta circa mores, tum publicos tum privatos, quæ passim in Apostolorum scriptis occurrunt. Quis ignorat pro regenda Ecclesia plura verba constituisse, quæ litteris non sunt consignata ? Id sanè indicat Apostolus dum 2. ad Cor. ii. se cætera, quæ ad disciplinam spectarent, dispositurum pollicetur, et dum 2. ad Thess. ii. ait : *State, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.* Hæ traditiones in græco textu vocantur παραδόσεις idest præcepta. Ecquis neget ab hujusmodi præceptis ortum ducere jejunia nonnulla, ac

cæremonias quamplurimas semper et ubique in Ecclesia servatas, veluti supremâ quadam lege institutas? Præterea Paulus incestuosum Corinthium tradidit Satanæ, aliosque improbos Ecclesiæ communione privavit, atque è fidelium societate dejecit.

Neque solum Apostoli, sed eorum etiam successores hac eadem potestate leges ad Ecclesiæ disciplinam moderandam tulerunt. Quis enim ignorat tribus etiam prioribus seculis canones ab Ecclesiæ Pastoribus fuisse conditos, quos veluti leges venerarentur? De iis enim Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, et Eusebius in sua Hist. Eccl. passim meminere. Nec solido fundamento eorum caret opinio, qui plerosque canones, et constitutiones, quæ Apostolorum nomine circumferuntur, à latis antiquis illis temporibus ab Ecclesia legibus deprompta fuisse, tuentur. Immo si Apostolis accepta referenda non sint, quæ in illis statuta sunt, pleraque saltem ab eorum fuisse successoribus primis seculis constituta, asserere oportet. Quæ cùm ita se habeant, nullus superesse videtur dubitationi locus, quin Christus Ecclesiam instituendo suam, ei vim, seu facultatem fecerit, qua leges ferret ad Dei cultum, ad retrahendos homines a vitiis, eosque ad virtutis exercitium alliciendos necessarias. Videndum itaque, in quo hæc resideat potestas. Occurrunt statim Novatores, Grotius præsertim, et Puffendorfius, qui summis Imperantibus hæc unice jura competere impudentissimè asserunt. Hos refellit:

PROPOSITIO IV. Potestas circa sacra à Deo Ecclesiæ concessa non inest in seculi Principibus.

Demonst. Nemo negat potuisse Christum Dominum Ecclesiæ jura, sive illius regendæ potestatem summis Imperantibus tradere, aut eam ita constituere potuisse, ut tota imperio subjecta esset, atque à supremo Principe regeretur. Immo cùm cujusque sit hominis cor in manu ejus, et quocunque velit trahat illud, Reges ipsos poterat Apostolos, Pastores, Rectoresque Ecclesiæ suæ eligere ac destinare. Sed non ita fecit. Nam Apostolos elegit duodecim, ac deinde discipulos septuaginta duos, ut eos qui suam vellent fidem profiteri, in illam societatem cooptarent, in qua ipsi, Christi potestate atque nomine Pastores essent, ligandi solvendique, ac clavium potestatem haberent. Hos ad omnes Gentes misit, atque ad Reges ipsos, et Præsides, ut hos etiam, si vellent, Christi oves facerent, atque potestati ipsis concreditæ quoad Dei cultum, æternæque salutis consecutionem subjectos declararent. Et sanè annon ut Populus, ita Principes, ac Reges ad oves spectant, quas ii regere debeant, quibus Christus dixit: *Pasce oves meas?* Ii sanè quoad spiritualia et æternæ salutis consecutionem omnibus Christi ovibus dominari debent, ac leges præscribere, qui ligandi,

et solvendi, atque clavium potestatem acceperunt. Sed videamus, quænam fuerit illorum Regum ac sumanorum Principum sententia, qui omnium primi Christianam religionem suscepere, et qua ratione à viris illis sanctis, qui Christianam iisdem demonstraverunt doctrinam, Ecclesia, ejusque forma atque jura exposita fuerunt. Verisimile non est aut Principes pati voluisse, jura imperii ipsis debita violari, aut sanctos illos Antistites eam voluisse sibi in Reges et Principes potestatem usurpare, quam Christus non dedisset, et quæ odiosam Principibus Christi Religionem reddere potuisset. Constantinus omnium primus christianorum Imperator, teste Eusebio lib. 3. de vita Constantini cap. 10. in Concilio Nicæno non priùs assedit, quàm Episcopi ut sederet annuissent. Et absoluto Conc. Epist. misit ad omnes Ecclesias, quam idem Eusebius ibid. refert, in cujus fine hæc leguntur: « Quæ cùm ita sint, cœlestem gratiam et divinum » mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in sanctis » Episcoporum Conciliis geritur, id nunc ad divinam refe» rendum est voluntatem. » Theodosius Junior in Epistola ad Synodum Ephesinam, « nefas est, » inquit, « qui sanc» tissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, » illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationibus sese im» miscere. » Similia habet Martianus Imperator L. nem. cap. de Summa Trinitate et fide Catholica. Et omnium legum peritissimus Justinianus novell. 83. leges civiles dixit non præcedere, sed sequi oportere leges Ecclesiasticas, *secundùm sacras*, inquiens, *et divinas regulas* (ita canones appellat) *quas etiam nostræ leges sequi non dedignantur :* et in Authentic. Const. 123. c. 7. hæc habet, « si Ecclesiasticum » negotium sit, nullam communionem habent civiles magis» tratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi » secundum sacros canones finem imponunt. » Ut alios verò prætereamus, unus sufficiat Basilius Imperator, qui in 8. Synodo ita loquitur : « De vobis autem Laicis, tam qui in » dignitatibus, quàm qui absolutè conversamini, quid am» plius dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licet » de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitùs » resistere integritati Ecclesiæ, et universali Synodo adver» sari. Hoc enim investigare et quærere Patriarcharum, » Pontificum, et Sacerdotum est, qui reginiinis officium » sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, et solvendi » potestatem habent, qui Ecclesiasticas et cœlestes adepti » sunt claves : non nostrum qui pasci debemus, qui sanc» tificari, qui ligari vel à ligamento solvi egemus. » Tom. 7. Conc. pag. 1154. Vides ergo non unum, sed plures, et quotquot de christiana religione rectè sensere Principes, ita christianam fidem professos fuisse, ut Ecclesiam instar Reipub. à Christo institutam crederent, in qua ipsi oves Ministri verò quibus claves traditæ fuere Regni Cœlorum, Pastores essent.

Sed rem clariorem faciunt editi hac de re Ecclesiæ canones, Patrumque illorum sententiæ, qui primis Christianis Principibus Christi fidem exposuere. Quis credat sanctissimos illos Pastores, qui Principes illos vel recenter ad fidem conversos, vel qui subditos plerosque haberent Idololatras ac Christiani nominis infensissimos hostes, in Christiana religione instituendos susceperant, vel in Conciliis edere voluisse canones, aut ea palam illis inculcare quæ jura à Deo illis concessa turbarent et infringerent, et quæ contra divinam institutionem eosdem Ecclesiæ tribunali, ac Senatui subjectos facerent? Igitur Patres illi persuasi esse debuere eam fuisse Christi Ecclesiæ formam, eaque jura, quæ ipsi explicarent. Neque credibile est priorum temporum Antistites, qui fuere patientiæ, humilitatis, et charitatis exemplar, et qui dum pastoris munus susciperent sese paratos ostendebant ad subeundum pro Christi fide, ac veritate martyrium, superbiæ quodam fastu jus sibi usurpare voluisse, quod ex Deo non accepissent, et onus voluisse indebitum Principibus summis imponere. At ii omnes consensu unanimi tradidere, Laicos etiam Principes ac Reges oves esse, quæ Ecclesiæ Pastoribus subsint, et in iis quæ ad fidem et religionis disciplinam spectant parere debeant. Ex Canonibus autem nonnullos tantùm referam. Gratianus (*dist.* 10. *c.* 6.) hunc refert ad Imperatores Constantinopolitanos directum. « Libenter accipitis, quod lex Christi sa» cerdotali vos subjecit potestati, atque istis tribunalibus » subdit. Dedit enim et nobis potestatem; dedit et principa» tum multo perfectiorem principatibus vestris. » Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: (*dist.* 96. *c.* 10.) « Duo » sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mun» dus regitur: auctoritas sacra Pontificum, et regalis po» testas: in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, » quantò etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri » examine rationem. » Gregorius Magnus ad Episcopum Metensem: (*dist.* 96. *c.* 9.) « Quis dubitet Sacerdotes Christi, » Regum, et Principum, omniumque fidelium patres, et » magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cog» noscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi co» netur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potes» tati subjicere, à quo credit non solùm in terra, sed etiam » in cœlis se ligari posse, et solvi? »

Venio nunc ad Patres, atque rem ab Ignatio exordior viro Apostolico, atque Joannis Apostoli discipulo. Is antequam Principes essent, qui Christianam doctrinam profiterentur, in epistola ad Philadelphios hæc scribit: « Principes, subditi » estote Cæsari, Milites Principibus, Diaconi Presbyteris, » Presbyteri et Diaconi atque omnis Clerus, simul cum » omni Populo, et Militibus, atque Principibus, sed et » Cæsares obediant Episcopo, Episcopus vero Christo, sicut

» Patri Christus : et unitas per omnia servetur. » S. Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, ita Osium Cordubensem Constantinum Magnum in Nicæna Synodo allocutum fuisse scribit : « Desine, quæso, Imperator : ne te » misceas Ecclesiasticis ; neque nobis in hoc genere præcipe, » sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit : » nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum » qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit » ordinationi divinæ ; ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, » ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. » Post hæc Osii verba Athanasius ipse subnectit : « Quando à condito » ævo auditum est, quod judicium Ecclesiæ auctoritatem » suam ab Imperatore accepit ? aut quando unquam hoc pro » judicio agnitum est ? » S. Ambrosius epist. 33. sic Valentinianum Imperatorem affatus est : « Noli te gravare, Impe- » rator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale ali- » quod jus habere ; noli te extollere, si vis diutius imperare. » Esto Deo subditus ; scriptum est enim : *quæ Dei Deo, quæ* » *Cæsaris Cæsari.* Ad Imperatorem palatia, ad Sacerdotem » Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, » non sacrorum. » Habes itaque antiquiores Patres non solùm exponentes Ecclesiæ jura penès Sacerdotes esse, sed et Principes ipsos ne iis sese immiscerent prohibentes, ac divinam illis minitantes vindictam, dum ea sibi usurpare pertenderent. Quæ cum ita se habeant, quis non videat Novatores illos qui summis Imperantibus jus erga sacra impudentissimà adulatione adjudicant, fundatam à Christo Ecclesiam penitus evertere, atque destruere ?

Propositio V. Potestas erga sacra, sive jus ferendi leges ad Dei cultum et Ecclesiæ disciplinam pertinentes à Christo Ecclesiæ suæ collatum in solis Episcopis residet, qui jure divino Presbyteris aliisque Ministris superiores sunt.

Utraque propositionis pars vel ex iis quæ hactenus sunt disputata facilè comprobari posset. Sed ut in re maximi momenti nil intactum remaneat, rem hic luculentiùs exponere, ac novis argumentis demonstrare operæ pretium esse existimavimus. Itaque pars prior in hunc modum demonstratur. In iis potestas inest regendæ Ecclesiæ, Ecclesiasticasque leges condendi, qui à nostra ætate ad exordium usque Religionis Christianæ eam semper veluti à Christo sibi traditam exercuerunt. Hac enim viâ, et datam à Christo potestatem, et genus hominum in quo eamdem collocaverit, certò cognoscimus. Episcopi verò sive Ecclesiarum Pastores ritu à Christo instituto ordinati, à nostra ætate usque ad Apostolos, per quos Christus fundavit Ecclesiam, potestate, quam à Christo accepisse certò crediderunt, Ecclesiam rexere, legesque ad ejus disciplinam spectantes condiderunt. De Episcopis, qui modo in Occidente sunt et

communionem servant cum Ecclesia Romana, id vocari nequit in dubium, cùm inter fidei articulos habeant, potestatem hanc ex Deo habuisse per legitimam ordinationem, et cùm eam singuli in suis exerceant Diœcesibus, et communi consilio in Conciliis. Græci quoque illi, qui schisma sectantur auctore Photio incœptum, absolutum verò à Michaële Cerulario, Jacobitæ sive Syri, sive Armeni, sive Cophti, sive Abyssini, qui Dioscorum sequuntur in Chalcedonensi Synodo damnatum, et ex Ecclesiæ sinu depulsum, ac Nestoriani, qui in Chaldæa, Perside, atque in variis provinciis Indiæ orientalis hæresim Nestorii in Ephesina Synodo anno 431. damnatam tuentur, ii, inquam, omnes in Syria, Ægypto, Æthiopia, Armenia, Chaldæa, Perside, aliisque remotis regionibus Episcopos habent, qui se hanc per legitimam ordinationem à Deo accepisse potestatem credunt, eamque exercent. Id verò palàm facit undecimo, octavo, immo et quinto Ecclesiæ seculo fuisse in toto terrarum orbe Episcopos, qui hanc sibi adjudicarent potestatem, eamque à Deo esse certò existimarent. Fac enim deinceps hanc sibi usurpare cœpisse auctoritatem: Vel omnes uno eodemque tempore unanimi consensu in id consenserunt; vel unà priùs in Ecclesia hæc usurpari jura cœperunt, in cujus deinde sententiam aliæ successu temporis venere. Qui verò convenisse refert Episcopos omnes non solùm locorum distantia, et linguarum varietate, sed et omnimodà communione invicem separatos, qui de re hac deliberarent, omnesque in hanc sibi usurpandam potestatem conspirarent? Fieri ne id potuit, quin ulla tam numerosi conventus, tamque mirabilis consensionis memoria remanserit? Neque credibile est unam Ecclesiam hanc sibi tribuere cœpisse potestatem, quam aliæ deinceps sint imitatæ. Nam præterquam quòd hujus novitatis nullum vestigium adest, quænam hæc fuit? Latina? Quis verò credat novitatem hanc nullo Episcopo, ac Principe nullo obsistente et reclamante, in universam Latinam Ecclesiam induci potuisse? Quis dicat Græcos immani odio Latinos horrentes, Armenios, Cophtos, Abyssinos, Nestorianosque veluti hæreticos ab illis damnatos, voluisse, ac potuisse sine ulla oppositione novitatem ab illa excogitatam amplecti, et quidem tanta circumspectione, ut ne uni quidem vel Ecclesiastico, aut profano Scriptori res nota fuerit, ut scriptis consignaretur? Itaque necesse est asserere ac omnino pro comperto habere, non aliam fuisse quinto seculo de auctoritate et potestate Episcoporum universæ Ecclesiæ fidem, atque sententiam, quam ea, quæ in Romana, in Græca, ac in tota orientali Ecclesia nostrâ hac ætate viget. At eamdem sibi inesse credidere, ac usurpavere potestatem Episcopi omnes quarti, ac trium priorum seculorum. Notæ enim sunt leges sive canones à totius orbis Episcopis conditi in Concilio Constantinopoli-

tano I. ann. 381. et Nicæno I. ann. 325. Nec opus est verbis, ut ostendatur, eadem potestate sacros Antistites usos fuisse illo eodem seculo in Gallia, in Hispaniis, in Africa, et in Asia, cum sint omnibus noti canones Conciliorum Carthaginensium, Arelatensium, Eliberitani, Antiocheni, Neocæsariensis, Sardicensis, etc. Sed ne novatores nostri Lutherani, Calviniani, ac hujusce furfuris reliqui fingant, hoc seculo in quo pax Ecclesiæ concessa fuit, Ecclesiæ Pastores hanc superbo quodam fastu sibi vindicare, ac usurpare cœpisse potestatem, in medium proferemus priorum seculorum exempla. Mitto Concilia celebrata in Africa sub Agrippino, et Cypriano, in Asia sub Firmiliano Cæsareæ Episcopo, et quæ Stephanus in causa rebaptizantium egit, aliaque Concilia, in quibus canones pro Ecclesia regenda conditi fuere. Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. c. 24. et 27. scribit à Victore Romano Pontifice sub finem seculi secundi Theodotum Byzantinum coriarium de Christo malè sentientem, ejectum ex Ecclesia fuisse, ortamque de tempore celebrandi Paschatis controversiam, indictis cùm Romæ, tum alibi Synodis, compositam ab eodem, ac Asiaticos Judaïco more Luna 13. Pascha celebrare perseverantes, à communione segregasse; Constitutiones denique ac canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur, partim ex Apostolicis regulis, partim ex decretis Synodorum primis temporibus ab Episcopis celebratarum, originem trahere, celebriorum Auctorum opinio est. Quæ sanè ostendunt ab hac ætate nostra ad Apostolos usque, Episcopos semper potestatem exercuisse decernendi disciplinam, Ecclesiæque leges condendi, ac certò credidisse Christum hanc eis pollicitum fuisse, ac per legitimam manuum impositionem contulisse. Id autem satis superque esset ad rem conficiendam, cùm verisimile non sit tot doctos sanctissimosque viros, qui Ecclesiis præfuere, aut potestatem quam non haberent superbiâ et ambitione quadam tribuere sibi voluisse, aut jura ignorasse, quæ sibi competerent. Sed opus non est conjecturis. Nam Scriptura ipsa rem extra omnem controversiam ponit. Hæc enim, ut suprà ex Paulo notavimus, positos esse à Deo in Ecclesia Pastores, ait: Ecclesiæ autem Pastores semper et ubique habiti sunt Episcopi, quos Actorum XX. Spiritum Sanctum posuisse legimus, *ut regerent Ecclesiam suam.* Potestas autem, quam loquimur, Pastorum est, quibus pascendi Christi oves munus concreditum est, quibusque ligandi, et solvendi, claviumque potestas promissa fuit. Atque hinc Richerii quoque refellitur hæresis, qui toti Ecclesiæ potestatem clavim collatam finxit, Petro verò, Apostolis et Episcopis instrumentaliter, et ministerialiter tantùm, seu quoad exsecutionem.

Venio nunc ad alteram partem. Et quanquam ex hucusque disputatis facilè patet Episcopos jure divino esse non

solùm Christianâ plebe, sed etiam Presbyteris, et Diaconis superiores, tamen ut in re maximi momenti nil præteream, quod ad perspicuam illius dilucidationem conferat, novam demonstrationem afferemus. Principio verò animadverto, ex supra allatis argumentis ostendi eamdem fuisse ab exordio, ac nunc est, Ecclesiæ formam, nec variationis initium designari à Novatoribus posse; quibus quidem si addatur, Epiphanium hæresi 75. et August. de Hær. n. 53. Aërium hæreticos inter recensere, quod asseruerit *Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni;* hæreticos deinceps ob hanc opinionem Wicleffum, Calvinum, aliosque fuisse ab Ecclesia declaratos, facilè intelligitur, Ecclesiam credidisse semper habere Episcopos à Deo auctoritatem, potestatemque, qua Diaconis, Presbyterisque præsint. Nam Novatores nostræ assertionis novitatem, immo et initium assignare nequeunt; nos verò demonstramus illorum sententiam, cùm primùm innotuit, continuò erroneam, hæreticamque habitam fuisse atque damnatam. Sed videamus alia argumenta.

Occurrit primo loco ipsum Episcopi nomen, quod cum ab ἐπί, *super*, et σκοπεω, *considero*, aut *specular*, originem trahat, idem sonat, ac *superinspector*, et *speculator*. Episcopi nomine in veteri testamento appellabatur, qui Levitis præesset 2. Esdræ XI. 22. Ab Ethnicis Diis suis, quos universarum rerum Rectores putabant, istud idem nomen fuisse tributum, ostendit in annot. ad 1. can. Apostolicum Beveregius testimoniis Homeri, Plutarchi, et Herodiani; ubi observavit etiam *Episcopos* nominari consuevisse viros, qui rebus administrandis præficerentur, idque ex Plutarcho in Numa, et Cicerone l. 7. ep. 11. ad Atticum. Itaque vel ex ipso Episcopi nomine constat his committi populorum ac fidelium regimen, et præfecturam, quod ipse Paulus demonstravit, dum Act. XX. 28. Ecclesiæ rectoribus dixit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* In Apocalypsi cap. 2. Episcopi vocantur *Angeli* Ecclesiarum, non alia de causa, nisi quia Evangelium annuntiabant, et eminenti præditi erant auctoritate. Angeli enim Dei Nuntii sunt, et inter res creatas principem locum tenent. Itaque vel ipsum nomen dignitatem auctoritatemque designat.

Deinde ritus ipse quo ab Ecclesiæ exordio Episcopi promoveri ad hujusmodi ordinem consueverunt, Presbyteris gradu, dignitate, ac potestate superiores esse demonstrat. Presbyter ab uno Episcopo, Episcopus verò à duobus, vel tribus aliis ordinari debet; id verò, ex consuetudine semper ac ubique recepta, et ex antiqua ab Apostolis orta lege. Hanc enim inculcatam legimus can. 20. Concil. Arausicani, can. 4. Concil. Arelatensis, can. 4. Concil. Nicæni. I. can. 1. illorum, qui Apostolici appellantur, ex eo, quòd inter anti-

quas, Apostolicas quoque nonnullas constitutiones complectantur, inter quas legem de ordinando Episcopo à duobus vel tribus aliis, jure meritoque recensemus. Tum quia, cùm hæc semper ac ubique locorum viguerit, nec ex nova totius Ecclesiæ determinatione post Apostolorum ætatem constituta ostendatur, ex ipsis Apostolis derivata præsumitur; tum etiam quia hac fuisse ratione ordinatum Timotheum Paulus, primâ ad ipsum datâ Epistolâ per hæc verba significat: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Quæ sanè verba, præmissâ perpetuâ illâ et constanti totius Ecclesiæ consuetudine de Episcopo à duobus, vel tribus aliis ordinando, satis aptè interpretantur de electione et deputatione Timothæi ad Episcopatum per prophetiam, et de gratia quam in susceptione ordinis accepit ab Episcopis cum impositione manuum collati. Nam Episcoporum cœtus et collegium passim presbyterium appellatur; immo cùm presbyterium Ecclesiæ senatum exprimat, nil aptiùs dici posse videtur ad cœtum Episcoporum designandum. Si Ecclesia viventibus Apostolis ritu quodam splendidiori, ac nobiliori Episcopos ordinari præcepit, horum ordinem presbyteratu digniorem, altioremque habuit, Episcoposque à Deo presbyteris superiores constitutos ostendit.

Ac ita revera esse jurisdictio illa demonstrat, quam semper, ac ubique in presbyteros exercuere. Nam presbyteris à primis temporibus vetitum fuit de una in aliam Paræciam migrare absque proprii Episcopi permissione, can. 12. Apost., ac omnia ad nutum Episcopi administrare jubentur, can. 33; quod et Tertullianus quoque asserit lib. de Bapt. c. 17. Rursus jus eis competit ordinandi presbyteros aliosque ministros, ut veterum omnium scriptorum, omniumque antiquorum canonum consensu constat. Quamobrem hoc veluti certo et explorato principio constituto, Epiphanius adversùs Aërianos concludebat, Episcopos à Deo presbyteris superiores esse constitutos, quod Episcopi potestatem acceperint creandi presbyteros, non verò contrà: et Athanasius Iscarum accusatorem suum presbyterum fuisse negabat, quia à Colluto ordinem susceperat, qui non erat Episcopus. Itaque si Episcopis nomen inditum est, quo juxta Hebræorum, Græcorum, Latinorumque loquendi rationem, is indicatur, qui sacrorum supremus sit moderator, quique aliis ministris præsit; si ritus quo in hujusmodi ordinem cooptatur, eorum supra presbyteros dignitatem significat; si jus ab exordio Ecclesiæ habuit ordinandi, ac veluti sibi filios creandi presbyteros; si presbyteris aliisque ministris veluti subditis imperavit; perspicuum argumentum est, Episcopos à Deo institutos fuisse, ac ea donatos auctoritate et potestate, qua plebi, ministris, presbyterisque præsint, et quoad regimen Ecclesiæ dominentur. Hinc

à Dionysio Areopagita de Eccl. Hierar. c. 5. Episcopus divinus Pontifex, cui Presbyteri pareant, et ab auctore Const. Apost. l. 2. c. 18. et 26. Episcopus dicitur, qui omnium curam egerit, vocaturque credentium *Dux*, *Princeps*, *Rex*, atque *Dynasta*. Quis ergo dubitet, quin Episcopi sint, quibus jus pascendi, ligandi ac solvendi, claviumque potestas concessa sit? Ita sane qui quinto, et quarto Ecclesiæ seculo scripserunt, sentiebant, quam ob rem Aëriani oppositum docentes veluti novatores, ac hæretici ab omnibus habiti sunt, atque damnati, ac eamdem fuisse antiquorum Patrum fidem facilè patet. Africanam Ecclesiam id pro comperto semper habuisse, fidem faciunt Tertullianus, et Cyprianus. Ille lib. de Bapt. c. 17. *Dandi* Baptismi *habet jus summus Sacerdos, deinde presbyteri, et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est.* Ater verò in Carthaginensi Synodo, cui ipse præfuit, veluti rem omnibus exploratam asseruit, *Apostolis nos successimus eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes.* Epist. 27. docet, *Ecclesiam super Episcopos esse constitutam;* et ep. 65. ad Rogatianum, *meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos Dominus elegit.* Palestinæ, ac Alexandrinæ Ecclesiæ eamdem fuisse sententiam, Origenes, et Clemens Alexandrinus testantur: nam ille hom. 2. in Jerem. de se loquens presbytero, ait: *Plus à me exigi quàm à Diaconis, ab iis verò plus, quàm à laicis, plus rursus ab his, quibus et super Diaconos et super Presbyteros commissum est regimen, et principatus ecclesiasticus.* Clemens autem lib. 3. Pædagogi c. 12. *alia præcepta*, inquit, *data sunt Episcopis, alia Diaconis.* Et lib. 6. Strom. *Et hic quoque in Ecclesia sunt progressiones Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum.* Accedunt etiam Acta S. Ignatii martyris edita ab Usserio, et Ruinartio, quæ habent, n. 4. *Honorabant enim Sanctum per Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, Asiæ civitates, et Ecclesiæ;* Epist. Ecclesiæ Smyrnen. de Martyr. Polycarpi, in qua Smyrnensis Episcopus S. Martyr appellatur; et demum indiculi catalogum exhibentes Episcoporum, qui Apostolis successere, ab Irenæo, Tertulliano de Præscr., Optato contra Donat., et Eusebio editi, in quibus cum Irenæo omnes sentiunt, Episcopos Apostolorum esse successores, ab iis ordinatos esse, eorumque *ordinatione*, et *successione* veritatem conservatam, et ad nos derivatam. Vide lib. 3. adv. hæreses. Quid plura? Ignatius quoque adest Vir Apostolicus, et qui Joannis Apostoli consuetudine usus fuerat. Is Epist. ad Magnesianos n. 6. Episcopum præesse Ecclesiis ait, ac Dei locum tenere, ad Trallianos, n. 3. Eidem credentes subjectos esse oportere *tanquam Jesu Christo:* et ad Philadelphienses, ait: *attendite Episcopo, et Presbyteris, et Diaconis:* ac infrà *sine Episcopo nihil facite.* Quæ cum ita sint, nemo non videt, omni ætate ac ubique

terrarum semper in Ecclesia fuisse Diaconos, ac Presbyteros, præter plebem, qui Episcopo veluti supremo rectori subjecti essent, ac Episcopos habitos semper esse veluti Apostolorum successores et tanquam ii, qui susceptâ ex Deo ab Apostolis, et ab iis ad eos derivatâ auctoritate, et potestate Ecclesiam Dei rexerunt. Annon hæc satis superque sunt ad demonstrandum constitutam à Deo esse Hierarchiam ecclesiasticam, ac Episcoporum ordinem, qui dignitate et potestate cæteris præemineret? Sed quæ Scriptura habet, rem extra omnem controversiam ponunt. Mitto Apocalypsis loca, quibus Episcopos præfectos fuisse Ecclesiis declaratur, quibusque sublimi Angelorum nomine eorum præstantia, ac auctoritas significatur; unus enim tantum textus Actor. XX. ad rem conficiendam sufficiet: *Attendite vobis*, inquit Paulus Ecclesiæ pastoribus, *et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Cùm omnium seculorum Scriptores memoriæ prodiderint à Spiritu Sancto Episcopos per ordinationem jus pastoritium potestatemque habere; cùm omnes ubique gentium Episcopi hanc semper crediderint accepisse in ordinatione auctoritatem, potestatemque, quis dubitet, quin textus ille designet Deum Ecclesiam instituisse suam cum Hierarchia, quam loquimur, et in qua Episcopi jus regendi ab ipso derivatum haberent?

Nec ullum nobis negotium facessunt novatorum adversùs tam apertam veritatem sophismata. Aiunt enim Scripturam, apertè docere eosdem fuisse Apostolorum ætate Episcopos, atque Presbyteros, cùm Presbyteri Episcopi, ac ii vicissim Presbyteri passim vocentur. Addunt præterea Clementem Romanum, Chrysostomum, et Hieronymum non agnovisse inter Episcopos, atque Presbyteros in primæva institutione discrimen. Sed hæc facilè corruunt, si animadvertamus:

Primo, quid Episcopi, quid Presbyteri, quid Diaconi nomen significet. De Episcopo diximus suprà; ad Diaconum, et Presbyterum quod spectat. Διάκονος Græcè, idem sonat ac latinè *Minister*, Πρεσβύτερος verò idem ac latinè *Senior*, quod aliquando ætatis, quandoque honoris, et dignitatis nomen est. Nam ad honores dignitatesque ii eligi solent, qui ætate rerumque gerendarum experientiâ cæteris præstent; quam ob rem Romani prudentiores ad rempublicam administrandam delectos patres *seniores*, eorumque collegium *senatum* appellare consueverunt. Hoc posito, munia expendentes Episcopi facilè intelligemus, eos Christi, et Ecclesiæ ministros fuisse, ac senatum illum constituisse Ecclesiæ, cujus auctoritate et consilio omnia moderarentur. Igitur si aliquando diaconi, sive ministri appellarentur, ut aptè aliquod eorum munus explicaretur, atque seniorum vocabulo aptè itidem judicaretur viros esse, quorum cœtus

stabilitum à Christo pro regenda Ecclesia senatum denotet. Itaque demus aliquando Apostolos, veteresque scriptores ministros, sive diaconos, et seniores, hoc est, presbyteros vocasse Episcopos : quis inde inferat tres non fuisse in Ecclesia ordines, et Episcopos eosdem fuisse ac simplices presbyteros, et diaconos ? Constans et perpetua omnium seculorum traditio, ac Scriptura ipsa apertè docet tres hujusmodi ordines in Ecclesia fuisse : poterant ergo Episcopi ob ministerium, quod exercerent, vel senatum, quem constituerent, Ecclesiæ ministri, ac seniorum nomine donari, quin ab eadem excluderentur Ecclesia inferiores diaconorum, et presbyterorum ordines ; nos secus ac Barnabas, Andronicus, Junias, aliique à Paulo Apostoli appellantur, ob munia, quæ subiere, quin nos cogant Apostolorum numerum augere. Mirum id non erit iis, qui statuant tunc rem fuisse omnibus exploratam, quo casu, ex promiscua illa appellatione nulla oriri poterat confusio ; ut in præsentia apud Catholicos nulla ambiguitas, ac confusio nulla occurreret, si Episcopi, vel Ecclesiæ ministri, aut presbyteri nomine in data aliqua occasione appellarentur, ut passim contingit. Immo nequidem demonstratæ assertioni obesse posset, etsi ostenderetur, aliquando presbyteros, vel diaconos, superinspectores seu Episcopos fuisse vocatos, cùm munus aliquando iis demandari potuerit, ob quod speculatores, inspectoresque dici potuissent. Hinc Theophylactus in Epist. ad Philip. scribit etiam Presbyteros dici Episcopos posse, « quòd etiam ipsi populum inspiciant, ut purgent, et illu- » minent ; sed alia esse Episcopi officia, non enim Presbyteri » ordinant. » Itaque ex hujusmodi nominibus in personæ dignitatem cadentibus, *non* in munia, quæ exercerent, ordinis discrimen argumentamur ; quo in sensu semper diversos a Deo in Ecclesia institutos ordines designarunt.

Deinde si statum spectemus nascentis Ecclesiæ, haud difficile erit conjicere Apostolos in novis constabiliendis Ecclesiis Episcopos tantùm cum diaconis constituisse, qui crescente deinde fidelium numero, atque Ecclesiâ exigente, Presbyteros ordinarent, quos vel minoribus urbibus destinarent, aut juxta eorum gradum in ministerii partem adsciscerent. Quod quidem ab Apostolo ad Tit. I. 4. indicatum arbitror, cùm dixit : *Hujus rei gratiâ constitui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Nec quidpiam asserere vetat, plures quoque in una eademque urbe, dum idoneos viros reperissent, ordinare consuevisse Episcopos, ut paratos haberent idoneos antistites pro novis, quas fundarent, Ecclesiis. Quid ergo prohibet hac nos viâ Scripturæ textus exponere, in quibus Episcopi tantùm cum diaconis mentio occurrit, ut Epist. ad Timoth. c. 3. et alibi, et ubi plures in eadem urbe recensentur Episcopi ; ut ad Phil. III. 1. et

Act. xx. Hæc sanè attentâ Ecclesiæ illius ætatis conditione, et ætate illâ, in qua nondum institutæ esset Diœceses, verisimilia videntur. Cur ergo ad illorum Scripturæ locorum expositionem afferri non poterunt, quæ Puritani opponunt?

Hæc ad Scripturam quod attinet. Eadem ratione exponi possunt, quæ ex Clemente Romano objiciunt, qui in Epist. ad Cor. n. 42. scribit Apostolos per regiones constituisse viros probatæ fidei in *Episcopos, et Diaconos eorum, qui crediturі essent.* Eò vel magis, quia in eadem Epist. Presbyteros ab Episcopis apertè distinguit. Nam n. 1. mandat ut reverentiam exhibeamus Ecclesiæ *Præsulibus, et honorem Presbyteris;* n. 21. *Præpositos nostros revereamur, et Presbyteros nostros honoremus;* et n. 49. hæc scribit, *Summo Sacerdoti sua munera tributa sunt, et Sacerdotibus locus proprius assignatus est, et Levitis sua ministeria incumbunt, et homo Laicus præceptis laicis constringitur.* De Chrysostomo pauca dicenda sunt; is enim nil aliud contendit, nisi Episcopos, presbyteros et diaconos aliquando appellatos fuisse, Hom. 1. in Ep. ad Philip. et xi. in 1. ad Timoth., et suâ quoque ætate Episcopos nonnullos scribere consuevisse *compresbytero, et condiacono nostro, etc.* Discrimen verò aliquod inter eosdem statuit, ac Episcopis ordinandi jus tribuit, quod negat Presbyteris. Etiam Hieronymus eadem habet Epist. ad Evagrium, dum dicit: *quid enim facit Episcopus, exceptâ ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Dum verò ad Diaconorum petulantiam coërcendam asserit, initio Ecclesiæ communi consilio Episcopos, et Presbyteros omnia rexisse, *postea verò unum fuisse electum qui cæteris superponeretur*, innuit tantum Presbyteros ab Episcopis in sollicitudinis partem initio admissos fuisse, ut Apostoli seniores in sollicitudinis partem vocaverant; postea verò crescente fidelium numero satiùs duxisse ad schismata removenda cæteris unum præficere, ita ut plura Episcopus statueret, ac præciperet, presbyteris inconsultis. Sed quid ambigua unius Hieronymi sententia tam perspicuæ veritati obesse potest? præsertim cùm eâ Scripturæ expositione nitatur, quæ ex superiùs à nobis notatis omnino dubia et incerta demonstratur.

Itaque Christus ita Ecclesiam instituit suam, ut hæc plebe constaret, quæ ovium nomine designatur, ac ministris, et Presbyteris, qui etiam pastoribus subessent, quos Episcopos posuit ad regendam Ecclesiam, quibusque etiam legis ferendæ potestatem fecit. At hic eorum occurrit oppositio, qui Optati et Chrysostomi auctoritatem urgent asserentium, Ecclesiam instar collegii esse in republica; unde inferunt non alia ei competere jura, quàm quæ Cujacius, Gottifredus, aliique jurisconsulti collegiis competere exponunt. Sed quorsum hæc? Annon Optatus, et Chrysostomus fatentur, Ecclesiæ pastoribus à Deo jus circa sacra, et pro decernenda Ecclesiæ disciplina concessum? Nil ergo ex horum

sententia auctoritati obest Ecclesiæ, eam instar collegii in republica constituere, dum illius collegii naturam servet, quod Christus instituit, in quod et Principes, et Reges cooptari possint, ac cooptati, oves fiant Pastoribus eorumque legibus subditæ. Hìc non de nominis appellatione, sed de jure, quod sit à Deo Ecclesiæ concessum, deque præscripta ab ipso Ecclesiæ forma disputamus. At Deus Apostolos delegit, et discipulos, ac Episcopos Apostolorum successores. Hos omnium, quotquot Christi fidem suscepturi essent, curam habere voluit, eaque iisdem jura dedit, quibus pro locorum, et temporum varietate leges aptas conderent ad spirituale bonum promovendum, pœnas in transgressores sancirent, ac contumaces è communione dejicerent. Dum hæc sarta tecta maneant, parum obest, quin in republica esse dicatur, quin appelletur collegium. Qua appellatione donari hoc sensu poterit, quod Christiani in hoc terrarum orbe, et in republica, peregrinorum instar, eorum more vivant, qui cursum absolvere studeant, ut virtutum apparatu instructi ad optatam patriam perveniant, cùm eorum sit finis, æternæ felicitatis et gloriæ consecutio.

PROPOSITIO VI. Suprema in Ecclesia potestas in Romano Pontifice Petri successore residet, ejusque auctoritati omnium Episcoporum jurisdictio subjecta est.

Propositio hæc variis argumentis adversùs Novatores, et schismaticos à Theologis demonstratur. Nos verò cùm eo unico fine de ea tractemus, ut notum sit, in quo resideat suprema erga sacros ritus in Ecclesia potestas, atque ut clarè sit explicatum orthodoxum circa hujusmodi disciplinam systema, indicabimus tantùm, unum, vel alterum momentum, quo dogmatica hujusmodi assertio demonstrari solet. Primum itaque constat, Romanum Pontificem Petri successorem esse, tum quod nullus unquam fuerit Episcopus præter Romanum, qui se Petri successorem prædicaverit, tum etiam, quia id exploratum est ex perpetua et constanti omnium seculorum traditione, scilicet, ex Irenæo lib. cap. 3. Tertull. lib. de Præscr. c. 36. Cypriano lib. 1. epist. 3. Epiphan. hæresi 26. August. aliisque. Constat verò ex sacris litteris, Petrum peculiari prærogativâ fuisse donatum, per quam in fratres, hoc est, in Episcopos omnes jurisdictionem habuit. Christus enim non solùm populi, sed etiam fratrum ei curam commisit, dum Lucæ XXII. 32. ait: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Dum Joan. XXI. 15. et seq. eum jubet non solum agnos, sed etiam oves pascere, hoc est, non solum populum, sed etiam fratres, sive Episcopos, ut Chrysostomus in hunc locum interpretatur, et post ipsum Theoph. et Bernardus lib. 2. de Consideratione. Dum denique Matth. XVI. 18. et seq. inquit: *Tu es Petrus, et super*

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris super terram, etc. Non est qui non videat, hìc ob singularem à Petro factam de Christi divinitate confessionem singulare ei privilegium fuisse collatum, in eo situm, ut Christi Ecclesia supra ipsum tanquam supra firmam petram fundanda ac stabilienda esset; ut Petro eam regente, portæ inferi prævalere non possent; et ut denique in omnes omnino jurisdictionem haberet, quæ singulari ei concessâ Clavium potestate designatur. Ne verò ullus ambigendi sit locus, notare hic necesse est, Christum Syriacè locutum dixisse Petro, Tu es Cepha, hoc est, petra, et petra quoque legitur in textu Græco: quamobrem dubitari non potest, quin Petrum, petram voluerit esse illam, supra quam Ecclesia fundata est. Deinde notum est, hanc jurisdictionem, quæ Petro collata fuit, ut necessariam ad conservandam in Ecclesia fidei, cultûs, et disciplinæ unitatem et ordinem, Romanos Pontifices semper exercuisse. Patet id ex eo, quòd initio secundi seculi Marcio hæreticus à proprio Episcopo in Ponto excommunicatus, Apostolicam Sedem adierit, ut illius auctoritate Ecclesiæ communioni restitueretur; quod circa finem ejusdem seculi, ortâ in Asia controversiâ circa diem, quo Pascha celebrandum esset, causa delata sit ad Victorem Romanum Pontificem, ut ipsius auctoritate scandala ex Ecclesia amoverentur, ac circa hujusmodi disciplinæ caput unitas in Ecclesiis omnibus conservaretur; quòd denique tertio Ecclesiæ seculo, contendentibus Firmiliano in Asia, et Cypriano in Africa, baptizatos ab hæreticis esse iterum baptizandos, Stephanus Romanus Pontifex eos ad servandam hac de re antiquam traditionem, etiam excommunicationis minis obligare voluerit.

Hæc satis sunt ad ostendendum jurisdictionem, quam Romanus Pontifex in Petri persona, cujus successor est, accepit etiam tribus prioribus seculis, ut rerum circumstantiæ ferebant, in universam Ecclesiam exercuisse. Hujus autem rei luculentiora, et frequentiora suppetunt in sequentibus seculis exempla. Hinc in primis in Oriente celebratis conciliis omnium Patrum consensu, tanquam Primas, et Ecclesiæ caput, et supremus rector habitus est, ut ex eorumdem actis liquet; et ut alia mittam, in Florentina Synodo, Græcis etiam consentientibus, decretum prodiit, quod sequitur: « Definimus Sanctam Apostolicam Fidem, et Romanum » Pontificem in universum orbem tenere primatum, et » ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri » principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium. »

Atque hinc patet solum Romanum Pontificem posse universæ Ecclesiæ præscribere ritus, atque stabilitos et universim receptos mutare, aut circa eorumdem usum dispensare. Reliqui verò Episcopi, etsi dispensare, vel mutare

possint ordinariâ auctoritate ritus, quos ipsi, vel eorum prædecessores in usum propriæ diœceseos constituere, ut jejunia, dies festos, processiones, etc. tamen circa ritus, vel ab Apostolica Sede constitutos, vel in conciliis generalibus præscriptos, aut Ecclesiæ universæ Orientalis, vel Occidentalis usu, et consuetudine comprobatos, nihil nisi ex delegatione, seu concessione Apostolicæ Sedis innovare possunt. Quamobrem Concil. Trid. sess. 7. can. 13. ait; « Si » quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ » ritus, in solemni sacramentorum administratione adhi- » beri consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris » pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ec- » clesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. »

Igitur ex Ecclesiæ præcepto in solemni sacramentorum administratione quisque tenetur ritus receptos et approbatos adhibere. Quamobrem graviter peccant, qui eosdem omittunt; si etiam contemnant, vehementer hæreseos suspecti habendi sunt; hæretici verò, si contendant et teneant sine peccato omitti posse pro libito, vel a quolibet ministro mutari. Jure itaque meritoque Apostolica Sedes Missionarios illos improbavit, atque reprehendit, qui in Madurensi, eique finitimis regnis, vel ex præsumpta cujusdam Episcopi dispensatione, aut propria auctoritate in solemni Baptismi administratione omittebant insufflationes, salivam, unctionesque, quod hujusmodi gentes antedictas cæremonias horrerent. Rite autem omittuntur durante dispensatione Apostolicæ Sedis, quam ad imitationem suorum prædecessorum, etiam Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. ad decennium concessit, ut infrà indicabimus.

CAPUT V.

Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ Ritus à superstitionis nota vindicantur.

Ritus superstitiosi sunt, vel superflui sive vani, vel falsi, aut idololatrici, ut nobiscum Novatores fatentur. Romana autem atque Catholica Ecclesia, nec probat, nec usurpari patitur ritus, qui ad unam ex illis tribus superstitionis speciebus referantur. Nam ritus hujusmodi damnat, atque animarum pastoribus præcipit et inculcat, ut circa sacras cæremonias populum Christianum instruant, ne ex abusu inutiles fiant; atque omnes ex Ecclesiæ institutione, et eo fine adhibitæ, quo ipsa cæremoniis uti præscribit, ea, quæ vere Deus revelavit, menti offerunt, et ad Dei gloriam semper referuntur. Id legentibus rituales libros, quos Ecclesia probat, fit illico manifestum: quippe in iis nulla præscribitur actio, quæ ordinata et decens non sit, atque apta ad ea menti offerenda, quæ per ipsam Ecclesia significare vult; nullæ sunt

preces, quæ ad Deum, ut supremum rerum omnium largitorem, non referantur. Si ita ritus nostros expenderent Novatores, non adeò faciles essent ad damnandum distinctas sacrorum ministrorum vestes, cantum in psallendo, non vernaculæ linguæ usum in sacris liturgiis, candelarum usum, thurificationes, lustralem aquam, *Agnus Dei*, et quæ sacramentalia vocantur, consecrationem Ecclesiæ et Altarium, benedictiones, seu baptismos, ut vocant, campanarum, et alia hujus generis.

Sed videamus quam sint hac in re inepti Novatores. Quis ignorat sacras vestes ad gloriam decoremque divini cultus pertinentes in Veteri Testamento commendari? Videatur Exod. XXVIII. 1. Reg. II. Neque in Christi Ecclesia recentes inventas esse, jure clamant. Nam Nazianzenus orat. 2. *sacerdotalem stolam*, Conc. Laodicenum psallentis Clerici *orarium*, et Eusebius Hist. Eccl. c. 24. ex Polycrate Ephesino, Pontificale refert πετάλον, hoc est, vittam, sive laminam appellatum, quo Joannes Apostolus utebatur. Bursus Stephanus ad Pontificatum evectus, jussit, ut Sacerdotes et Levitæ *vestibus sacris* uterentur. Sigebertus arguit Vandalos ad annum 451. quia vestes sibi fecerant *ex sacris palliis, et vestibus*, ac similia de Genserico illorum Rege narrat Victor Vitensis. Sacra vestimenta laudant Hincmarus, Ratherius Veronensis, Cyrillus Hierosolymitanus, apud Sozomenum lib. 4. c. 24. aliique. Exstat præterea vetus pictura in cœmeterio Priscillæ exprimens S. Pii I. et Pastoris presbyteri sacra indumenta, ut videre est apud Aringhium Rom. subter. tom. 2. pag. 305. et Blanchinium in not. ad Anastasium. Ciampinus quoque in dispositione de duobus emblematibus sacras vestes delineat ex vitreo orbiculo ætatis, ut ipse opinatur, duorum Philipporum, qui Consules fuere ann. 247. sedente Fabiano in Cathedra Petri.

Neque Psalmodiam, et Cantica, quæ adhibemus, jure reprehendunt. An non legimus apud Paulum ad Ephes. v. 19. *loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino?* in quæ verba Hieronymus habet, *sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur.* Rursus quis ignorat cantum alternatim in Ecclesia à primis temporibus usurpari cœpisse? Id Ignatium instituisse in Antiochena Ecclesia habetur in actis Martyrum ab Usserio et Ruinartio editis pag. 8. scribitque Socrates lib. 16. c. 8. Auctor verò qq. ad Orth. inter opera Justini edit. Peironi pag. 60. ait. *retentum* in Ecclesia cantum, *quoniam mores animum ad ardentem cupiditatem rei, quæ in cantibus detectat, sedat motus, qui in carne excitantur.* Augustinus lib. 9. Confess. c. 7. Ambrosium laudat, quod secundum morem Orientalium instituerit, ut psalmi et hymni canerentur, *ne populus mœroris tædio contabesceret.* Ut alia verò mittam

Lucianus ipse in Philopatro conviciatur Christianis *ad hymnos tota nocte decantandos vigilantibus.* Et C. Plinius in Epistola ad Trajanum, de qua Tertullianus c. 2. Apolog. Euseb. lib. 3 c. 33. et Hieronymus in Chronico, refert de Christianis, *quod soliti essent ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Adeò hæc clara sunt, ut Novatores in dubium revocare non possint. Ne verò abusus qui in hujusmodi cantibus occurrunt vitio nobis vertant, sciant necesse est, Romanam Ecclesiam docere, hortarique Episcopos omnes, ut quoad fieri possit, abusus hujusmodi de medio tollantur. « Hoc, » inquit Benedictus XIV. de Synodo Diœc. lib. 11. c. 7. « Hoc proculdubio ad Episcopi » officium pertinet, ut Synodalibus decretis Ecclesiasticæ » musicæ rationem, quatenus in Diœcesi sua opus esse » cognoverit, ad certas regulas exigat, atque componat; ut » corda fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicut » fit in theatris, inani voluptate demulceat. » Videatur integrum caput, in quo Encyclica ab ipso edita ac tom. 3. Bull. num. 3. impressa laudatur; usus deinde improbatur eorum, qui sine necessitate, ac solo Ecclesiæ in cantu serviendi fine excitantur: atque hominum cantum, aliaque in Ecclesia tolerari asseritur, quæ tolli non possent, quin Pastores, quibus « populorum amor ad munus suum utiliter » gerendum maximè necessarius est, eorum animos à se » ultro abalienare, sibique molestias et offensiones sine » causa parere velle videantur. » Porro in Encyclica illa Episcopis ditionis Ecclesiasticæ jubet, ut « organo, aliisque » nonnullis instrumentis retentis, ea duntaxat ab Ecclesiarum choris eliminare studeant, quæ theatralibus ludis potius, quam sacris locis et actionibus convenire » videntur. »

Sed aiunt, quorsum psallere, ac sacras liturgias incognita lingua celebrare? Quid enim inde fructus ac spiritualis alimenti plebs Christiana percipiet, quæ verborum sensum non tenet? At facilè patet Novatores hæc objicientes antiquam, et universalem Ecclesiæ consuetudinem ignorare. Nam exploratum est, ex iis quæ de Orientalium ritibus disputaturi sumus, non solùm Latinos, sed etiam Orientales omnes psallendo, ac sacra perficiendo linguam, quæ vernacula non est, adhibere. Græci, Armeni, Syri, Chaldæi, Cophti, Æthiopes, Orientales denique omnes ab antiquis temporibus linguâ sacra faciunt, quæ vernacula non est. Immo facilè quoque ostendi potest, vel à primis temporibus id fuisse in more positum. Nam cum Latinâ tantùm, et Græcâ linguâ universim sacra fierent Apostolorum ætate, ac sequentibus inde temporibus, quis dicat in tota Africa Romano subdita Imperio, Latinam linguam, qua sacra ibi fiebant, populo plebique fuisse cognitam? aut notam fuisse toti plebi Orientis Græcam linguam, quæ generatim in

regionibus illis, adhibebatur? Aliud itaque est de privatis, aliud de publicis orationibus asserendum. Dum de privatis loquimur, conveniens est, ut quisque proprio, ac sibi explorato idiomate loquatur, sed ubi de publicis agitur, satius est publico uti ore, atque Ecclesiæ spiritu duci, quam certo scimus nobiliori intentione dirigi, sublimioribusque verbis loqui, quàm possit excogitare universorum hominum ingenium, vel eloquentia. Rursus semper fuere in Ecclesia Pastores, qui ex officio explicare populo tenerentur, quæ in publicis Ecclesiæ functionibus repræsentantur, et fiunt. Nec defuerunt Ecclesiæ causæ, quæ ad hanc servandam disciplinam impulerint. Prima est, ut faciliùs unitas servetur, quæ linguarum varietate, ob maximam quæ inde sequeretur confusionem, facilè perderetur. Et sanè quæ confusio non esset, si omnes, qui Romanæ Ecclesiæ ritum servant, patrium sermonem adhiberent? Ubi tum esset mutua illa in sacris communio inter Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, Italosque, quæ in præsentia viget? Secunda causa fuit, quia vernaculæ linguæ ob aliarum gentium incursiones mutationi, ac perpetuæ vicissitudini subsunt; in sacris autem has novitates admittere non convenit, ob simpliciores, qui novitatibus facilè turbantur. Atque hinc tertia quoque causa patet, quia ex tot, quæ fierent sacrorum librorum versiones, vix novitates, dissidia, erroresque caveri possent, quæ res passim inde sequuntur. Hæc itaque in causa fuere Ecclesiæ, ut antiqua, et quæ variationi non subsit lingua à ministris sacra fierent, quibus tamen præcepit, ut populis, quæ scitu sunt necessaria, explicarent.

Quoad cereorum usum, sat erit afferre, quæ Hieronymus adversus Vigilantium disputavit l. 2. « Quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem. » Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, » sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde et virgines » illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. » Et ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri præcincti, et » lucernæ ardentes in manibus vestris. » Itaque non ad fugandum tenebras tantùm, sed in typum spiritualis luminis; et ad ostendendum lumen nobis ex Evangelio datum, unde spiritualis lætitia est, cerei adhibentur, et quidem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, ut ex Nazianzeno contra Julianum invectiva 2. aliisque antiquis Scriptoribus constat.

De thuris usu pauca dicemus. Hujus rei exempla passim in Veteri Testamento occurrunt, ex Novo verò Lucæ 1. et Apocalyps. VIII. Atque à Christianis adhiberi solet, ut orationis est symbolum, divinique cultus. Hujusce usus mentio fit can. 3. Apost. à Dionysio de Eccles. Hierarchia c. 3. in Act. 3. Conc. Chalced. ab Ambrosio l. 1. in Lucam; et ex eo constat etiam quod antiqua sint in Ecclesia Thymiamateria, seu

Thuribula, cum Anastasius in Silvestro dicat duo aurea dedisse Constantinum Lateranensi Basilicæ.

Aspersio lustralis aquæ, quæ interioris ablutionis est symbolum, et per Ecclesiæ preces sanctificata plurimum valet ad dæmonem expellendum, obtinendamque supernam benedictionem, instituta ab Apostolis ostenditur à Baronio, Bona, Bellarmino, et Blanchino in notis Tom. 2. Anastas. pag. 83. Illius mentio habetur lib. 7. cap. 44. Const. Apost., apud Synesium epist. 121. Theodoret lib. 1. c. 21. Hist. Eccl. ubi narrat à Marcello Apamenorum Episcopo sparsa aqua benedicta fugatos fuisse dæmones, et apud Hieronym. in Hilarione 2. part. tom. 9. ubi refert dissipatas ejusdem aquæ aspersione Ethnici Aurigæ præstigias. Hæc satis sunt ad ostendendum semper, ac ubique obtinuisse. Sed quid, si dicamus de novo fuisse ab Ecclesia institutam? Satis enim superque probavimus hanc à Christo inditam ei esse potestatem.

Ad alias benedictiones quod spectat, satis notæ sunt in antiqua disciplina *Eulogiæ*, panes scilicet benedicti, quos in communionis tesseram fideles invicem mitterent. Cujus rei mentio occurrit in can. 24. Conc. Laodiceni, in lib. 1. de pecc. merit. et remiss. apud Augustinum, et in Sulpicii Severi Hist., in S. Paulini Epistolis, aliisque antiquis Ecclesiæ monumentis.

Cinerum quoque, palmarum, cereorumque benedictionem antiquæ Ecclesiæ commemorant. Scilicet usus cinerum in iis aspergendis, qui publicam pœnitentiam agerent, memoria exstat apud Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, et in can. 63. Concil. Agathensis. Quid ergo mali est, horum usu mortis memoriam homini offerre, atque ita ad pœnitentiam excitare? Palmarum benedictio, quarum usu triumphalis Salvatoris nostri ingressus in Urbem Hierusalem in memoriam revocatur, et quæ pro pacis gratiæque symbolis habentur, octavo certe seculo antiquior est, cum hujus cæremoniæ memoria exstet in Sacramentario Gregorii Magni, ac in vetusto quodam Calendario a Martenio edito, cujus sententia codex ante quintum secalum exaratus censetur, mentio fiat *Dominicæ in Palmis*. Cerei quoque Paschalis usus et benedictio ex antiquis ad nos derivavit. Sigebertus in Chronico, Leo Ostiensis, Amalarius, Rupertus, et alii Zosimum Papam paulo post initium quinti seculi institutorem faciunt; sed recte observat Baronius ad ann. 418. hujus cerei usum Zosimo antiquiorem fuisse, cùm Anastasius, ac Liber Pontificalis tradant constituisse Zosimum, ut cereus, qui accendi tantùm solebat in Basilicis, benediceretur, ac adhiberetur in Parœcia. Accenditur Paschalis cereus ob memoriam resurrectionis Christi, Conc. Tolet. IV. et ob Evangelicæ fidei et gratiæ splendorem.

Superest nunc ut pauca dicamus de cereis benedictis Agni

imaginem præseferentibus, qui vulgò *Agnus Dei* vocantur. Hujusmodi imagines *Agni* ex cera pura et virginea confectæ Symbolum habentur Agni immaculati Christi Jesu, qui absque ulla contagione ex Virgine prodiit. Non immoramur in eorum demonstranda antiquitate, etsi scimus Vincentium Bonardum, Gretserum lib. 2. de benedictione, aliosque quinto seculo antiquiores esse demonstrare; sat enim nobis est à pluribus seculis in usu esse atque à Summis Pontificibus solemniter benedici, ac maxima cum devotione à fidelibus suscipi solere, ob Symbolum Christi Jesu, quod exhibet, et quia à Summis Pontificibus benedicuntur, ac fidelibus commendantur, ut ob Ecclesiæ preces benedictionesque eorum delatione ex Christo imperii dæmonis eversore se maximum adversus dæmonis insidias habere confidant præsidium. Si causam institutionis, quam Baronius affert, expendamus, nil hac cæremoniæ institutione prudentius Ecclesiam agere potuisse comperiemus. «Christianos,» inquit ille, «ex bullis » Ethnicorum, quas parvulis suis fascini avertendi causâ appendebant, occasionem sumpsisse ut recèns baptizatos » bullis, sed sacris insignirent, superstitione in Religionem » mutatâ. » Hæc institutionis causa fuit, nec iis agnis vim ullam intimam esse credimus, sed quidquid ex illorum delatione optamus, ex Christo, cujus præ se imaginem ferunt, et ex publicis Ecclesiæ precibus institutaque ab ipsa cæremonia, obtinere confidimus. Quid in hoc superstitionis est? Ecclesiæ sanè hujusmodi instituendi cæremonias jus à Deo concessum esse demonstravimus, atque æqua et sancta fuit ejusdem in hac institutione œconomia. Maximum Ecclesiæ præsertim Romanæ semper studium fuit, ut Benedict. XIV. lib. 13. de Synodo Diœcesana cap. 17. observavit, «ut pu» blicis offensionibus et scandalis consultissimum aliquando » remedium adhiberet, studens criminosis quibusdam actio» nibus alias substituere rectas cœlestique præmio dignas; » atque ita Religionem impietati subrogavit, sanctaque me» tamorphosi inducta, quod improbatum erat immutavit. » Nemo non scit, quid essent Lupercalia, quæ ab Evandro, » ut ferebatur, instituta, mense februario celebrabantur. Ut » autem probabilis fert opinio, à S. Gelasio I. Pontifice se» culo V. proscripta fuerunt, subrogatâ in ipsorum locum » pià supplicatione, quæ Festo die Purificationis B. M. V. ab » Ecclesia habetur. » Atque hinc alterius quoque cereorum benedictionis origo detegitur, et illius usus cùm institutione, tum etiam objecto atque fine rectus ac sanctus demonstratur.

Præcipua eorum argumenta ad quatuor capita facilè revocantur. Primum quòd cæremoniarum pleræque ex Synagoga, aut ex idololatra gente originem trahant. Præterea, quia, ut ostendit Claudius Vert, vestes, cerei, thura, et alia id generis ex necessitate, vel usu locorum primùm fuerunt usurpata, ac deinceps veluti cæremoniæ habita sine institutione

illa. Deinde, quòd earum quam plurimæ ad augendum inferiorem Dei cultum nullo modo conferant, adeoque inutiles sint, plures verò omnino falsæ, cujusmodi sunt illæ, quæ vel purgatorium, vel transsubstantiationem, aut aliæ, quæ dogmata significant, quæ ipsi respuunt. Denique Idololatriam saltem imperfectam inesse putant in usu et cultu sacrarum imaginum, et reliquiarum, atque in invocatione Sanctorum.

Sed si, ut par est, exponatur doctrina, quam Orthodoxa tradit Ecclesia, hujusmodi sophismata illico corruunt. Ad primum quod spectat, satis superque ostendimus *Proposit.* IV. *Cap.* I. sacros ritus superstitionis insimulari non posse, quòd antea superstitiosi cultûs cæremoniæ fuerint, si deinceps legitimâ auctoritate, mutato significato et fine, ad obsequium, cultumque veri Dei promovendum, augendumque referantur. Ex objecto enim et fine sacri ritûs metiri debent. Ita verò præscribi atque usurpari ab Orthodoxa Ecclesia cæremonias, quæ anteà vel ab Hebræis, vel a gentibus adhibebantur, eas rite expendenti manifestum fit.

Ad secundum, alio, turpiter errasse Claudium Vertium, si putavit nullam omnino fuisse in Ecclesiasticis cæremoniis mysticam, et symbolicam significationem, sed ob Ministrorum commodum, locorumque consuetudinem fuisse institutas: ferri vero ipsius opinionem posse, si contendat prædictis ex causis nonnullas originem habuisse, sed retentas deinceps, ac in Sacrorum usu conservatas, ob mysticam symbolicamque, quæ eisdem deinceps accesserit ex instituto Ecclesiæ significationem. Quæ quidem significatio in omnibus adest, ac plerumque per preces exprimitur, cum quibus conjungi debent, aliquando indicatur in rubricis, quæ eorumdem usum præscribunt, quandoque verò ipsæmet actiones à sacris Ministris expressæ cogitationes in Christianorum mentibus excitant divinum cultum foventes.

Ad tertium respondemus: Catholicam Ecclesiam, ritus qui inutiles seu supervacanei sint, omnino damnare; atque animarum Pastoribus præcipere, ut supra etiam innuimus, ut Christianum populum circa sacros ritus instruant, ne ex negligentia vel abusu inutiles vanique fiant. Neque falsos ritus Ecclesia nostra probat. Quippe dogmata illa, quæ Novatores respuunt, quæque Ecclesia cæremoniis suis Fidelibus credenda inculcat, ab ipsis Apostolis, ex quibus ipsa descendit, et à quibus Fidei depositum habuit, accepit: et ante duo secula etiam Novatorum hominum majores eadem dogmata cum Ecclesia profitebantur, quæ reverâ dicitur, et est Apostolica, non vero Reformata, vel Calviniana, vel Anglicana, vel Lutherana, aut alio denique nomine appellata, quo Novatorum sectæ designantur.

Venio nunc ad tertium caput. Neque circa usum cultumque sacrarum imaginum, et reliquiarum, ac invocationem Sanctorum quidquam occurrit, quod jure Novatores re-

prehendere valeant, si rite intelligant doctrinam, quam Catholica exponit Ecclesia. Incipiamus ab imaginum usu. Sacras imagines vocamus, imagines Christi, Deiparæ et sanctorum hominum, aut eas, quæ exprimant Angelos, Æternum Patrem, aut Spiritum Sanctum eâ formâ, sub qua Prophetis, vel aliis sanctis hominibus sacræ Scripturæ apparuisse indicant. In iis verò quid est, quod reprehendi possit? Non imago ipsa; quippe de se mala non est, nec lege ullâ prohibita. Non usus; nam in memoriam revocat hominum Christum Dominum, et ea quæ Christus pro nobis egit, aut Sanctissimam ipsius Matrem, vel sanctos homines, quos Deus ob insignes virtutes cœlesti gloriâ donaverit, aut denique sacræ Scripturæ historias, in quibus ea narrantur, quæ apparitiones in figura corporea vel Dei, aut Angelorum exhibent, vel quæ Deus pro nostra salute fecit. Quid in iis Novatores reprehendendum ostendunt? An non utiles sunt cogitationes quas, in hominum mentibus excitant? Nemo sanè negat utiles esse Reipublicæ imagines, quæ antiquas historias exprimant, quarum memoria regendæ reipublicæ utilis sit, et quæ res gestas designent illorum hominum, qui fuerunt de eadem republica optimè meriti, ut cives ad illos imitandos provocentur. Cur ergo utiles non erunt imagines, quæ hominum memoriæ offerant factas à Deo, sub certa figura apparente, sive per Angelos suos humanâ formâ donatos, revelationes, aut collata humano generi beneficia; quæque considerationi nostræ subjiciant Christum Salvatorem nostrum, Matrem ipsius, sanctosque homines, qui nobis exhibent veræ virtutis exempla, qui nos movent ad fidem illam profitendam, pro cujus defensione subiere supplicia, quique spem in nobis fovent illius beatitudinis, quam ii divinâ gratiâ, veluti laborum mercedem, sunt consecuti? En imaginum usus, ut Romana Ecclesia præscribit. Videatur Tridentina synodus sess. 25. « Illud verò, » inquit, « diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assiduè recolendis; tum verè ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum et munerum quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. »

Aiunt verò imaginum cultum idololatriam esse, ideoque illarum usum illicitum, quod ad idololatriam provocet. At injuriâ id asserunt. Sacrarum enim imaginum cultus, qua ratione à Tridentina synodo præscribitur, omnis superstí-

tionis suspicione caret. Nam Lege mandat Ecclesiæ Pastoribus, « ut fideles diligenter instruant, docentes eos imagines » Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum » honorem, et venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter » quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, » vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed » quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, » quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, » Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum » oppugnatores sancitum est. » Quæ cùm ita se habeant, ubi est Idololatria, vel etiam superstitionis umbra in cultu, quem Romana Ecclesia sacris imaginibus deferendum esse docet? Hoc enim cultu, non imagines, non Divinitatem, aut vim aliquam, quæ in imagine fingatur, sed id veneramur et colimus, quod imagines menti cognoscendum exhibent; scilicet, Christum Dominum, Deiparam, Angelos, sanctosque homines, qui cum Christo in Cœlis regnant; motivum autem nostri cultus in Deipara, in Angelis, sanctisque hominibus, non est naturæ quædam proprietas sive conditio, sed gratia Dei, qua Sancti fiunt et Deo cari, sed dignitas, excellentia, aut supernaturalis prærogativa, qua à Deo exornantur, ac veneratione digni fiunt. Quamobrem nostri cultus objectum, ut vocant, formale, est Dei gratia atque supernum divinæ liberalitatis donum, quo fit, ut hac veneratione et cultu Deus ipse glorificetur, qui hac de causa gloriosus dicitur in Sanctis suis. Igitur cultus, quo Deiparam, Angelos, sanctosque homines veneramur, ad Deum ipsum refertur, qui eo glorificatur. At veri Dei cultus superstitione caret. Item Templa, et Altaria non sanctis hominibus, sed Deo dicamus in honorem Sanctorum, quos ipse gratiâ, et gloriâ suâ honore dignos fecit.

Eadem ratione à superstitione vindicamus cultum, quo sanctorum reliquias prosequimur. Vit Tridentina Synodus, loco supracitato: « Sanctorum quoque Martyrum, et alio» rum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva » membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab » ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fideli» bus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo homi» nibus præstantur. » Colimus ergo Sanctorum corpora, quòd fuerint in hac vita viva Christi membra, et templum Spiritus Sancti, ut ait Apostolus 1. ad Cor. III. 16., quodque ad æternam vitam suscitanda, et glorificanda sint, ac multa per ea beneficia hominibus præstentur. Quid vero est in hu-

jusmodi cultu, quod ad augendum hominis erga Deum amorem, ad fovendam fidem, et spem, ad glorificandum Deum non referatur? In quo ergo sita est superstitionis suspicio?

Docet propterea Catholica Ecclesia in suprà citata Synodo, « Sanctos unà cum Christo reguantes, orationes suas pro » hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter » eos invocare; et ob beneficia impetranda à Deo per Filium » ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster » Redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxi- » liumque confugere. » Nos hic non suscepimus demonstrandum, Sanctos cum Christo in Cœlis regnare, nostrarum precum conscios esse, atque Deo nostras orationes offerre; id enim pro certo habemus, et tum ex Scriptura, tum ex constanti omnium seculorum traditione à nostris Theologis luculenter ostenditur; sed eorum invocationem omni superstitione carere demonstramus. Nam confugere ad eorum orationes et opem, ob obtinenda à Deo per Jesum Christum Filium ejus beneficia, non est eis divinam prærogativam, vel honorem, qui superstitiosus sit, tribuere. Ipsos enim spectamus ut homines Dei gratiâ cœlesti glorià præditos, ac ejusdem Dei amicos constitutos, qui perfectâ illâ, quam habent, caritate ducti pro hominibus Deo orationes suas offerunt, quique scientia illa, quam Deum intuendo habent, tum nos, tum nostras petitiones agnoscunt, atque ad impetranda pro nobis à Deo beneficia per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum moventur, dum suppliciter eos invocamus. Hanc autem invocationem, non necessariam, sed utilem duntaxat asserimus. In iis autem perspicuum est, nos Sanctis hominibus in Cœlis cum Christo regnantibus nec divinam aliquam prærogativam, nec indebitum honorem tribuere, sed eosdem considerare, ut Dei amicos cœlesti glorià donatos, qui, ut Sacræ Litteræ describunt, sunt ante thronum Dei, eique serviunt, ac pro nobis orant. (*)

(*) Ex iis, quæ diximus, abundè patet, injuriâ Novatores sanctorum hominum cultum superstitionis accusare. Sed ut clariùs pateat quantùm Romana Ecclesia superstitiones horreat et abusus omnes, qui in Divino cultu occurrere possint, paucis indicabo, quæ in eadem Synodo Tridentina pro præcavendis abusibus circa sacras imagines, Sanctorumque cultum, stabilita sunt. Primo itaque universim mandat, ut si qui abusus in has sanctas et salutares observationes, omnino tollantur, « ita ut nullæ » falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præ- » bentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes Sacræ » Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contige- » rit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi cor- » poreis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. » Secundo, ut « omnis superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum venera- » tione, et imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus elimine- » tur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines » non pingantur, nec ornentur, et Sanctorum celebratione, ac Reliquia- » rum visitatione homines ad commessationes, atque ebrietates non abu- » tantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam » agantur. » Tertio præcipit, ut tanta circa hæc diligentia et cura ab Epis- copis adhibeatur, « ut nihil inordinatum, aut præpostere, et tumultuariè

CAPUT VI.

De Ecclesiæ Orientalis Ritibus, eorumque varietate.

In superiori Capite exteriorem cultum, ritusque Catholicæ Ecclesiæ ab Hæreticorum, qui in Occidente sunt, criminationibus vindicamus. Nunc de Orientalis Ecclesiæ Ritibus dicemus. Idque in tribus distinctis Paragraphis : in primo, Orientalem Ecclesiam universim describemus ; in altero, Schismaticorum et Hæreticorum, qui in ea sunt, tum Sectas, tum præcipuos errores indicabimus ; in tertio vero, varios, qui in Ecclesia Orientali sunt, Ritus exponemus.

§. 1. Describitur generatim Orientalis Ecclesia.

In Orientali Ecclesia ab Apostolorum ætate Alexandrinus, et Antiochenus Antistites, post Romanum Pontificem, reliquis universi Orbis Episcopis honore ac prærogativis præeminuerunt. Nam in Nicæna Synodo omnium generalium prima, anno 325. celebrata, Canone 6. statutum fuit, ut antiqua consuetudo servaretur circa Alexandrinos et Antiochenos Episcopos, qui Summi Metropolitani appellati sunt. Leo autem Magnus circa medium V. seculi epist. 53. quæ est ad Anatolium, scribit hujusmodi consuetudinem ex Apostolo Petro originem trahere. Neque id in controversiam revocari potest : nam exploratæ res est, Alexandrinam Ecclesiam Apostolum Petrum per Marcum, Antiochenam vero per scipsum fundasse. Itaque cum Nicæna Synodus definierit, ex antiqua ab Apostolis orta consuetudine antedictos Episcopos reliquos superare, perspicuum fit, præeminentiam ac jurisdictionem hujusmodi, ex Petro Apostolorum Principe accepisse.

Ut in Concilio Nicæno primo hujusmodi Antistites appellati fuerunt Summi Metropolitani, ita in prima Synodo Ephesina vocati fuerunt Archiepiscopi, et in Constantinopolitana prima Exarchi Diœceseos. Tempore autem inter Constantinopolitanum, et Chalcedonense Concilium intermedio, nuncupari cæperunt Patriarchæ, quod nomen ex

« accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat. « Quarto denique, ut fidelius hæc omnia serventur, statuit, « nemini licere « ullo in loco, vel Ecclesiâ, insolitam ponere vel ponendam curare imagi- « nem, nisi ab Episcopo approbata fuerit ; nulla etiam admittenda esse « nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognos- « cente et approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid comperium « habuerit, adhibitis in consilium Theologis, et aliis piis viris, ea facial, « quæ veritati et pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius, « aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus « gravior quæstio incidat, Episcopus antequam controversiam dirimat, « Metropolitani, et comprovincialium Episcoporum, in Concilio Provin- « ciali sententiam exspectet, ita tamen, ut nihil inconsulto Sanctissimo « Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum de- « cernatur. »

Synagoga in Ecclesiam deductum ; primum in Theodosii ad Valentinianum imperatorem Epistola, Leoni I. Romano Pontifici tributum fuit, ac deinde in Chalcedonensi Synodo Alexandrino quoque, et Antiocheno Antistiti. Iis additus postea fuit Constantinopolitanus Episcopus, qui postquam in hac Urbe Sedem suam Imperator constituit, in magno honore haberi cœpit apud Orientales, ac consuetudine, accedente etiam Principum favore, jus Metropolitani Diœceseos Ponti, Asiæ, et Thraciæ sibi usurpaverat. Demum eadem prærogativa Hierosolymitano Antistiti concessa fuit ob Apostolicæ Sedis honorem, quæ prima Episcopum habuisset.

Quanquam Patriarcha Constantinopolitanus Alexandrino et Antiocheno posterior est, nec ipsius Sedes cum Alexandrina et Antiochena comparari potest, et licet Romanus Pontifex diutius rejecerit 28. Canonem Chalcedonensem, quo ei jus patriarchicum conferebatur, nec nisi ab Innocentio III. initio tertii decimi seculi, ut Patriarcha sit agnitus ; tamen undecimo seculo vastissimam sibi jurisdictionem usurpaverat. Nam sub se habebat Metropolitanos sexaginta quinque, Archiepiscopos independentes, quibus nulli subjecti erant Episcopi, triginta quatuor, et Episcopos sexcentum, et amplius, ut refert Leo Allatius ex Nilo Doxapatrio Græco Scriptore. Sed everso deinceps Græcorum imperio, ac restitutis, quas in Calabria et Sicilia Romano Pontifici usurpaverat, Provinciis, valde imminutus est eorum numerus. Ipsius enim jurisdictioni subjecti sunt Episcopi circiter centum quinquaginta, inter quos sunt viginti quinque Metropolitani, quorum plerique suffraganeis carent. Provinciæ, in quas jurisdictionem exercet, sunt quæ sequuntur : Asia minor, Insulæ Maris Ægæi, Thracia, Græcia, Valachia, Moldavia, Servia, Mingrelia, atque Circassia. Nonnulli quoque Græci, qui in Moscovia sunt, aliquem ei honorem deferunt, licet, Magno Basilide imperante, propriam ibi constituerint sibi Patriarcham.

Tres antè recensiti Patriarchæ cum Episcopis, ac Christianis reliquis, qui Orthodoxam fidem profiterentur in Ephesina, et Chalcedonensi Synodis definitam, contra Nestorium, Eutychetem, atque Dioscorum, à Nestorianis, et Eutychianis, sive Jacobitis, appellati sunt Melchitæ seu Regalistæ, quòd Imperatores, præsertim Marcianus, Orientalibus omnibus fidem in duobus illis Conciliis definitam edictis suis inculcaverint. Igitur Melchitæ nomen excogitatum fuit ab Hæreticis ad conflandam invidiam in Orthodoxos, qui definita in Conciliis illis dogmata profitebantur. Sed postquam Patriarchæ atque Episcopi ferme omnes Græci ritûs, Schismati, erroribusque Græcorum adhæserunt, Melchitarum nomine appellare solemus Orthodoxos Græcos, qui scilicet Romano Pontifici subsunt ; reliquos vero Photianos dicimus.

Alexandrinus Patriarcha Græcus Schismaticus sedem in Cairâ habet, jurisdictionem verò exercet in varias Africæ et Arabiæ Provincias; Antiochenus Damasci sedet, Græcisque præest suis in Soria, Mesopotamia, et Caramania degentibus : Hierosolymitanus denique Palæstinis, atque iis Arabæ Ecclesiis præest, quæ sunt Palæstinæ finitimæ. Ii cum subjectis sibi Episcopis Græcum ritum servant, ac Græcâ linguâ, et etiam Arabicâ celebrant officia Sacramentorum omnium. In eorum communione sunt Syri multi, qui Syriacè sacra celebrant.

Ac præter hos, qui, ut dixi, Schismatici sunt, adest nunc Melchitarum Patriarcha Antiochenus, qui cum reliquis Græci ritûs sibi subjectis Orthodoxam fidem profitetur, atque Romano Pontifici obtemperat. Adest epistola S. M. Benedicti XIV. tom. 1. Bullar. pag. 290. ad Cyrillum Patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum, et omnes ejusdem ritûs Catholicos Episcopos eidem Patriarchæ subjectos, in qua plura circa Ritus, ac ejusdem Patriarchæ jurisdictionem decernuntur. Pag. quoque 512. alia ad eumdem Patriarcham data legitur epistola, cum qua eidem pallium transmissum fuit. In actis autem Consistorialibus pro concessione dicti pallii, quæ leguntur t. 2. Bull. in Append. pag. 21. inquit SS. Pontifex : « Præest Cyrillus noster genti » Melchitarum, quæ hodie Catholicos ingenti numero com» plectitur, quæque a decem Episcopis, qui ipsum tanquam » legitimum Patriarcham venerantur et colunt, providè » gubernantur. »

Nomen Patriarchæ Antiocheni, habet quoque Maronitarum Patriarcha, qui modò est Simon Ewodius ex Archiepiscopo Damasceno Patriarcha renuntiatus à Benedicto XIV. ut ex litteris constat ad eumdem datis die 16. Martii. 1743. *Super ad nos, etc.* Metropolitanorum, et Episcoporum Maronitarum sedes et limites ita describuntur in appendice Synodi Montis Libani, quæ appendix inserta legitur Constitutioni Bened. XIV. *Apostolica prædecessorum, etc.* En verba : « Patriarcha Antiochiæ, ac totius nationis Maronitarum sedem » habet in Monte Libano, in Cœnobio, quod Canubiense » dicitur : sub eo erant Archiepiscopi, et Episcopi sequen» tes : 1. Tyri. 2. Damasci. 3. Cypri. 4. Aleppi. 5. Beryti. » 6. Tripolis. 7. Botri. 8. Aco, seu Ptolemaidis. 9. Laodiceæ. » 10. Apameæ. 11. Arcæ. 12. Eden. 13. Sareptæ. 14. Paneadis. » 15. Listræ, seu Bybli. 16. Neapolis. Sed in Synodo Montis » Libani die 30. Septembris 1736. decreverunt Patres, ut » Maronitarum Diœceses in posterum ad octo tantùm redi» gerentur, salvâ Reverendissimo Domino Patriarchæ Epis» copo nonnullos titulares ordinandi potestate; Videlicet 1. » Aleppi, seu Beroæ, et adjacentium locorum. 2. Tripolis; » hujus Pontificis jurisdictio extenditur à Tripoli, et Jania » ad Arcam Balaneam. Aradum, Orthosiadem, Gabalum,

» Laodiceam, usque ad fines Aleppi. 3. Bybli, et Botri : » hujus jurisdictio extenditur in Diœceses Bybli et Botri, » Acuræ, Dairalamari, et Regionis Bisarajæ. 4. Heliopolis, » seu Baalbech : hujus jurisdictio extenditur in Diœceses » Heliopolis, et Phathnicæ in Bybliensis Regionis confinio, » et dimidiæ partis ditionis Gazirensis, cujus caput Gusta, » et Gazir. 5. Damasci : hujus jurisdictio extenditur in Diœ- » cesim Damascenam, nec non ampliatur ad alteram dimi- » diam partem ditionis Gazirensis, cujus caput est Agelton, » complectitur præterea Bascontam, Zuccharabam, et Zab- » bugam. 6. Cypri ; hujus jurisdictio complectitur universa » Insulæ illius castella, ac præterea in Chesroë Regione » habet Bacasajam, Bethschebabam, earumque Villas, nec- » non Villas Caestœniæ usque ad Pontem Beryti. 7. Beryti : » hujus jurisdictio extenditur à Beryto usque ad Mathatam, » et Giordam, et Algarbam, et Sciacharam Mathanæ, et » usque ad Pontem fluvii Cadi, seu Tamyris. 8. Tyri, et » Sidonis : hujus jurisdictio complectitur Sidonem, Tyrum, » earumque Villas, nec non Suph-Bacaam, Vallem Tainæ, » et adjacentes Teny à fluvio Tamyri, usque ad sanctam » Civitatem Hierusalem. Nos subscripti hanc Diœcesum dis- » tributionem approbamus. Datum in Sancta nostra Synodo » in Monasterio Deiparæ de Leoisia die 30. Septembris 1736. » Joseph Petrus Patriarcha Antiochiæ. Gabriel Sareptæ. » Simeon Damasci. Abdalla Beryti. Elias Arcæ. Basilius Tri- » polis. Philippus Lystræ. Stephanus Botri. Gabriel Aco. » Joannes Laodiceæ. Ignatius Tyri. Gabriel Aleppi. Michaël » Paneadis. Tobias Cypri.

Jacobitæ quoque duorum Patriarchatuum titulos servaverunt, Alexandrini scilicet, atque Antiocheni. Alexandrinam verò Diœcesim ita obtinuerunt, ut Orthodoxis et plures essent quodammodo, et auctoritate superiores. Nam ex quo Arabes Ægyptum subjecerunt, omnes ferme Græci profugientes vacuam Alexandriæ Ecclesiam hæreticis reliquerunt. Nativi Ægyptii ad Jacobitarum hæresim propensissimi, eam ubique amplexi sunt, atque ita in Thebaide omnes Christiani eam intra paucos annos acceperunt. In Nubia, et Æthiopia cùm Sacerdotes et Episcopos à Jacobitis ordinatos haberent, Jacobitæ quoque intra unius seculi spatium facti sunt. Iidem cum ex veteri quodam jure Patriarcharum Alexandrinorum, Palæstinam suæ sedi vellent esse subjectam, Hierosolymis Metropolitam ordinaverunt. Hanc autem præ reliquis sectis, quæ vel omnino interciderunt, vel adhuc supersunt, prærogativam habet Jacobitica, quòd Episcoporum non interruptam successionem hucusque conservat, ab illis ordinatorum, qui in Ecclesia Catholicâ manuum impositionem acceperant, quales erant Dioscorus, et Dioscori successores. Ita quamvis hæretici, et abcissi ab Ecclesia, validam tamen ordinationem habebant, cùm im-

positionem manuum accepissent ab Episcopis legitimè priùs ordinatis. « Notum est enim, » inquit Renaudotius, diss. de » Patriarcha Alexandrino, pulso Dioscoro, Orthodoxos ejus » loco Patriarchas constitutos, quos Jacobitæ pro intrusis » et prædonibus habent. Illo defuncto, ejus sequaces Timo- » theum Ælurum substituerunt, qui occiso Proterio, Cathe- » dram occupavit, ejectusque et restitutus sub Basilisco » tyranno, et Zenone, qui Dioscorianis favebant, eam per » viginti duos annos retinuit, secundùm Severi et aliorum » Jacobitarum sententiam. Timotheo Petrus Mogus, Atha- » nasius, Joannes alter, Dioscorus Junior, Timotheus, » Theodosius, Petrus Damianus, Anastasius, Andronicus, » successerunt, atque huic Benjamin, cujus anno duode- » cimo, Jesu Christi 640. Alexandria ab Arabibus capta est, » statimque Benjamin ejectus, et in Monasteriis latitans, » restitutus est Sedi suæ, atque omnem, pulsis Orthodoxis » Græcis, ipsoque Gregorio Patriarcha, qui Constantinopo- » lim fugit, Ecclesiasticam auctoritatem obtinuit. Ut autem » certa est ea, quam fusè explicavimus in historia Patriar- » chali Jacobitarum Patriarcharum à Dioscoro ad Benjami- » num, ita quoque certissima est hodiernorum Alexandri- » norum Antistitum ex eadem secta, ad Benjaminum usque » successio. » Hæc notanda esse censui, quod paucis ab hinc annis litteras à quodam Missionario ex Ægypto scrip- tas legerim, in quibus asserebatur Cophtos Jacobitas legi- timis Episcopis carere. Hactenus dicta perspicuè demonstrant Patriarcham Alexandrinum succedere Dioscoro, auctoritate Chalcedonensis Synodi ex illa Sede pulso : Græcum verò Orthodoxis Patriarchis, qui post Proterium, in locum Dios- cori suffectum, in eadem Sede fuerunt. Licet enim pulso ab Arabibus Gregorio anno 640. ut suprà ex Renaudotio adno- tavimus, Græci per annos nonaginta non habuerint hanc Patriarchalem dignitatem, eam tamen iterum obtinuere anno 780. atque deinceps suos quoque Melchitæ Patriarchas semper habuerunt, quorum legitimus successor est Græcus, quem supra diximus in Urbe Cahira Sedem tenere. Patriar- cha Jacobitarum vocatur quoque Patriarcha Cophtorum, licet nomen Cophti, non sectam, sed nationem indicet, quæ Cophticâ linguâ sacra celebrat. Ejusdem jurisdictio- nem, tituli, quibus à suis donari solet, designant. Hos ita exprimunt : « Pater N. Sanctissimus Archiepiscopus magnæ » Urbis Alexandriæ, et Potestatis Babylonis, et Nomorum » Ægypti, Thebaidis, Pentapolisque Africanæ, regionisque » Æthiopiæ et Axumitarum, Nubiæque, et Macaureos, re- gionisque superioris. » Horum explicationem vide apud Renaud. diss. cit.

Jacobitæ habent quoque Patriarcham Antiochenum, quem ut legitimum Severi successorem agnoscunt omnes Syri Monophysitæ. Illius amplissima auctoritas est, vocaturque

inter eos *Papa Orientis*. Plures Metropolitani, Episcopi, ac Monachi bene multi sunt eidem subjecti. Inter Metropolitanos, seu Archiepiscopos recensentur Hierosolymitanus, Damascenus, Edessenus, Cyprius, etc. Præter hos habebant etiam olim suæ auctoritati subjectos alios secundi generis Patriarchas, quos Catholicos appellant, quorum alter Persidis, alter Armeniæ Patriarcha diceretur. Sed ii jam à longo tempore nullam in eo jurisdictionem agnoscunt, ac tanquam supremi Armeniæ gentis Patriarchæ habentur.

Armeni non minus ac Jacobitæ latè diffusi sunt per Orientem, immo eorum plerique sunt etiam in Occidente. Sunt enim in utraque Armenia, majore scilicet, atque minore, in Perside, Mesopotamia, Palæstina, Georgia aliisque bene multis Orientis Provinciis. In Occidente verò præter eos, qui commercii causà in variis locis degunt, quamplurimi sunt in Russia Polonica, eique finitimis Provinciis. In Oriente ab anno fortasse 505. ex quo propriam æram sumunt, duos antedictos Patriarchas sive Catholicos habent: antea enim ex Cæsariense Antistite Metropolitam accipere solebant. Prioris Sedis est Artaxata, majoris Armeniæ Urbs, sed residere solet in Monasterio Eczmiazim, eique parent viginti sex Archiepiscopi, Episcopi verò septuaginta quinque, ut ex testimonio Uscanii Armenii, Episcopi, istius Patriarchæ Vicarii, qui id Riccardo Simonio narravit Parisiis anno 1679. refert Brunus *dissert.* 10. quæ est de Liturgia Armen. *art.* 1. Alter manet Cis, quæ minoris Armeniæ Urbs est, ac præsest Episcopis circiter triginta. Priori subest Episcopus, sive Patriarcha Constantinopolitanus ejusdem gentis; huic verò Hierosolymitanus, et is qui Alepi residet. Ii quos dixi, Schismatici sunt. Sed habent quoque Armeni Orthodoxos Episcopos. Qui Aleppi sedem habet, sed modò vitandæ persecutionis causa in Monte Libano commoratur, Patriarchæ titulum, ac jurisdictionem habet. Plures ei subjecti sunt Episcopi, inter quos adest Edessæ Episcopus, qui nunc Romæ manet. Qui in Russia, Polonia, atque iis finitimis locis degunt, Catholico Archiepiscopo subsunt, qui Leopoli residet. Et præter Archiepiscopum Naxiavensem, qui à quartodecimo seculo desumi semper solet ex inclyto Prædicatorum Ordine, quique iis præest, qui auctore Bartholomæo Parvo ejusdem Ordinis, Joanne XXII. Ecclesiam regente, cum Orthodoxa Fide latinum quoque ritum susceperunt, ut §. 3. hujus Capitis exponemus: plures alii Armeni Catholici sunt in variis Provinciis, qui Latinorum Missionariorum curæ concrediti sunt, quorum opera Catholicam fidem susceperunt.

Alii quoque sunt in Oriente, qui Patriarchas habent, quos Catholicos vocant. In Mingrelia *Græcus* Schismaticus Patriarcha residet, quem Catholicum vocant; cui Episcopi aliquot subjiciuntur, quos Principes ex Monachis seligere solent, qui *Beri* nuncupantur.

At celebrior est Patriarcha, qui eodem nomine donatur apud Chaldæos. Nestoriani ex Romano Imperio pulsi, ad Persarum limites, aut in eorum Provinciis sedes fixerunt. Hinc post annos satis multos, cùm Ecclesiam Seleuciæ Parthorum invasissent, quæ quidem ex nuper instituta sub Justiniano Catholico dignitate novam auctoritatem consecuta erat, eam suæ Religionis Cathedram primariam esse voluerunt; atque inde nullum majorem titulum, quam *Catholici Seleuciæ, et Ctesiphontis* Patriachis suis veteribus attribuerunt. Hujusmodi Patriarcha, qui deinceps apud Mosulam residere consuevit, quintodecimo seculo tantam, ac tam vastam jurisdictionem exercebat in Assyria, Mesopotamia, Chaldæa, Perside, ac etiam in Indiis Orientalibus, ut tredecim Metropolitanos, et Episcopos bene multos sibi subjectos haberet, ac tercentum mille recenserentur, quæ eidem obtemperarent familiæ; ut scribit Petrus Stroza *in Expositione Fidei, et Tractat. de Dogmat. Chaldæorum.*

Is enim hæc de Nestorianis eorumque Patriarchæ eodem in libro scribit. Nestorianorum autem Patriarcha Ecclesiæ Babylonis præest, ejusque residentiæ locus est Monasterium ad oppidum Musul; in viciniis antiquæ Ninivis, ut aiunt, ædificatum. Dissident inter se Jacobitæ, atque Nestoriani odio implacabili; sed Nestoriani, numero atque opibus præstant, quorum ad trecenta millia, et amplius domorum recensentur: cùm familiæ Jacobitarum numero octoginta millia non excedant. Itaque Patriarchæ Nestorianorum amplissima est auctoritas, eaque in Indiam se extendit. Nam Chaldæi, qui Goæ, Cocchini, Angamalæ, atque in Insula S. Thomæ ante adventum Patrum Societatis Jesu reperiebantur, omnes pariter professione Nestoriani obediebant Patriarchæ Babylonis. Nunc quidem magna eorum pars, studio ac diligentia Jesuitarum, ad Ecclesiam Sanctam Catholicam reversa Summum Pontificem colit. Defunctoque nuper Metropolitano Chaldæo, successorem ab Apostolica Sede suscepit Archiepiscopum Angamalensem a Clemente VIII. ex Societate Jesu ordinatum. Ante Pontificatum Julii III. nomen hujus Patriarchæ ignotum penè nostris fuisse videtur, neque de ipso, neque de Chaldæorum natione mentionem ullam factam fuisse in Pontificum Romanorum monumentis reperio. Sedente verò Julio III. cum nonnulli ex Chaldæis Nestorianis se ab obedientia Patriarchæ subtraxissent, detestataque Nestoriani hæresi, in communionem venissent Catholicæ Ecclesiæ, illis Summus Pontifex, ut postulaverant, Patriarcham ordinavit, eumdem quem ipsi hac de causa legaverant, Simonem Sulacham ordinis Sancti Pacomii Monachum. Is cum Patriarchali pallio, atque titulo Patriarchæ Assyriorum Orientalium ad suos rediit, et Charemet, sive Caimed residens, Archiepiscopos, et Episcopos, ac Sacerdotes quamplurimos ordinavit. Sic igitur Chal-

dæorum natio uni Patriarchæ Babylonis usque ad illa tempora subjecta, in duas partes divisa fuit. Sulacha deinde à Turchis, adversariorum opera, ut fertur, è vivis sublato, sufficitur in ejus locum, Abdiesus ejusdem ordinis Monachus, vir mirificæ eruditionis, linguarum varietate, et Sacrarum litterarum notitiâ, de quo in vita Pii IV. præclara fit mentio, cujus Pontificatu Romam venit pro confirmatione, qui et Tridentino Concilio interfuit. Ejus autem effigies depicta conspicitur in Aula Regia Palatii Vaticani inter Cardinales, cæterosque Prælatos Alexandro III. assistentes Imperatorem Fridericum pœnitentem Venetiis recipienti. Plurimum quidem profecit Abdiesus, multosque ex Nestorianis ad Ecclesiam Catholicam convertit; acceptamque ab Apostolica Sede auctoritatem valde propagavit, quam ejus Successores postea conservare sibi aut nescierunt, aut non potuerunt. Nam qui ei successit Ahatalla, et ipse Monachus ejusdem ordinis, parum vixit. Et Denha Simeon postea ex Archiepiscopo Gelu, et Seert factus Patriarcha, nec ætate, neque doctrinâ idoneus tanto muneri, tempore, quo Episcopus Sidoniensis in Orientem profectus est Nuntius Apostolicus, relicto Charemet, ubi alii Patriarchæ Orientalium Assyriorum resederant, in Provinciam Zeinalbech secesserat ad fines Persidis, potentiæ cedens Patriarchæ Babylonis. Quo loco etiam hodie manet ejus successor, Simon quoque et ipse vocatus, existimatione ac numero subjectorum, ut accepimus, prædecessoribus longe inferiori: ita ut Patriarchæ Babylonis status nunc videatur in pristinum restitutus, æmulo sponte suâ quasi in exilium relegato. Igitur qui modò Sedem Babylonis obtinet, Marella Chaldæorum Patriarcha multò minùs, quàm prædecessores sui domestico dissidio laborat, subjectamque ejus obedientiæ nationem pacificè gubernat: Metropolitis, et Episcopis, Cleroque non modo obtemperantibus ei, sed ipsum valde diligentibus. Hæc ille, quibus statum exhibet Chaldæorum Ecclesiæ circa initium seculi 17. Hac nostra ætate pauci admodum in Indiis Orientalibus occurrunt, atque ob facilem eorum ad Mahumedanismum defectionem, vix quadraginta millia hominum sibi subjectos habet Patriarcha Nestorianus, qui in Urbe Ninive, sive Mosula, residet. Ac longè minor eorum est numerus, qui Patriarchæ Catholico, Diarbekir commoranti, subsunt. Is verò Josephus est hoc nomine tertius. Nuntiatum fuerat Mamachio à Carmelitis nonnullis, ut ipse scribit t. 2. Orig. et Ant. Christ. lib. 2. c. 5. « Patriarcham Nestorianorum conjungi nobiscum so-» cietate communionis velle, secum autem una XL. circiter » hominum millia ad orthodoxam religionem perducturum. » Immo verò, » inquit ipse, « litteras Patriarchà ad Sacram » Congregationem scripsit, quibus etiam atque etiam orat, » atque obsecrat, ad se ut Ministri mittantur. » Attributa

utique ea pars Dominicanis est, missique initio fere anni 1759. Cajetanus Codileonicus, Corradius Tarrianas doctiex illo instituto viri; sed mutata fortasse Patriarchæ voluntate, nec optata illa, quæ sperabatur, conversio contigit, nec spes certa affulget, qua prudenter existimetur brevi saltem futura.

Præter eos, quos dixi, ad Orientalem Ecclesiam ratione originis, et Rituum pertinere dicimus, non solùm Græcos, qui in Moscovia, Valachia, Bulgaria, Hungaria, aliisque iis finitimis Provinciis degunt, atque Ruthenos, quos supra nominavimus; sed etiam Græcos et Albanenses, qui in ditione Ecclesiastica, et in reliquis Italiæ partibus, ejusque insulis adjacentibus, sive orti, sive aliunde advecti incolæ commorantur. Ii scilicet, qui grassantibus jamdudum per totum Orientem, tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam Schismaticorum perfidiâ, ex Græcia, Epiro, Albania, aliisque Asiæ regionibus, ad Italiam, eique adjacentes insulas, tanquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverunt; et tam ipsi, quàm eorum filii Græcorum mores, instituta, ritus et consuetudines à Græcis progenitoribus sibi traditas studiosè, enixèque servare pergunt; ita tamen ut debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam ac devotionem omnino profiteantur. Ut iis præsto sint ministri, à quibus juxta proprium ritum sacramenta recipiant, et ne ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione cogantur confugere, Clemens VIII. anno 1595. constituit, Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis latinis Italiæ, et adjacentium insularum subjectos, initiaret. Clemens vero XII. anno 1735. ut Italo-Græcorum in utraque Sicilia commorantium rebus commodiùs consuleret, alterum ejusdem Græci ritus Episcopum in Seminario Corsino à se in Calabria erecto, propter Græcorum hujusmodi ordinationes, manere jussit, quorum laudatissimam institutum confirmavit, et innovavit S. M. Benedictus XIV. Constitut. *Etsi Pastoralis*, tom. 1. Bullar. pag. 167.

§. 2. De Schismaticorum, Hæreticorumque Sectis, quæ in Orientali Ecclesia sunt: deque præcipuis earumdem erroribus.

Cùm non adeò facile sit, errores omnes detegere, in quos Orientales, postquam ab Apostolicæ Sedis communione sejuncti sunt, vel superbiæ, et erroris spiritu ducti, aut ignorantiâ, inciderunt; eos unicè explicandos suscipimus, qui proprii sint cujusque sectæ, ac magis præcipui. Schismaticorum autem sectæ, quæ in Oriente occurrunt, ad tres facilè revocantur, scilicet, Nestorianorum, Jacobitarum, et Photianorum. Nestoriani à Nestorio nomen, erroresque mutuati sunt. Præcipuus eorum error in eo situs est, ut negent Beatam Virginem esse Dei Matrem, quòd in

Christo Domino duas inesse personas putent; alteram hominis ex Maria Virgine nati, alteram verò Dei Filii ex æterno geniti, quæ in homine ex Virgine nato veluti in Templo inhabitet. Hinc aiunt Beatam Virginem Christiparam non verò Deiparam appellandam esse, atque unionem Dei, et hominis in Christo esse, per voluntatum conjunctionem, et dignitatis participationem, non secundum naturam, et personam. Hujusmodi errorem, qui damnatus fuit in prima Ephesina Synodo anno 431. docuisse reverà Nestorium, ac ipsius Sectatores tueri, ex liturgiis aliisque Nestorianorum libris facile demonstrare est contra Basnagium, aliosque Novatores, qui Nestorium, ejusque Sectatores ab omni errore vindicare contendunt. Vide Liturgiam, quæ celebratur quinquies in anno, scilicet, in Epiphania, in vigilia S. Joannis Baptistæ, in vigilia Doctorum Græcorum, feria quarta Hebdomadæ supplicationis Ninives, et in Paschate. « Exstitisse porrò istam Liturgiam antiquitus apud Nesto- » rianos præter codices manuscriptos, testantur Auctores » Syri, atque inter eos Ebedjesus, qui eam recenset, ut » etiam Echellensis ejus meminit, » inquit Renaud. in not. ad hanc Liturg. In ea autem hæc leguntur de Dei Filio : » Semetipsum exinanivit, et similudinem servi accepit, » hominem perfectum ex anima rationali intelligente et » immortali, et corpore mortali hominum, conjunxit illum » sibi, univitque secum in gloria, potestate, et honore, ex » natura sua passibilem. » Videantur etiam Nestorianorum libri. Elias Catholicus, eo nomine tertius, in expositione Fidei, quam scripsit, cum esset Metropolita Nisibenus, et in disputatione cum Viziro Abulkacimo, et in alio opere ait : « Verbum Æternum productum à Sapientia Creatoris, « quod Filius appellatur, estque una Personarum trium, » habitavit, seu illapsum est homini assumpto ex Maria » Virgine, mediante potentia intellectuali unitumque illi est » per unionem potestatis, benevolentiæ, voluntatis, hono- » ris, et repræsentationis. » Ita etiam Ebneltaib, Amrus Matthæi filius, et alii fere omnes, quorum scripta ad nos pervenere. Denique videatur Lectionarium Persicum ad usum Nestorianorum, ubi hæc verba *æqualem se faciens Deo*, explicantur *secundum honorem, dignitatem, et potentiam.* Itaque perspicuum est, Nestorium ejusque Sectatores errorem propugnare, quem Summus Pontifex Cælestinus, et Ephesina Synodus damnavit. Clarissimus Assemanus in Bibliotheca Orientali alios Nestorianorum errores recenset, quos nos de Sacramentis agendo indicabimus. (*Vide* Antoine *Theol. Mor. edit. nov.*) Unum verò præterire non possumus, scilicet, eorum plerosque negare originale peccatum, quem errorem verisimile est à Theodoro Mopsuesteno mutuasse, quod in maximo honore apud Nestorianos habeatur. Ii sunt magis præcipui Nestorianorum errores. Errant præterea cum Hæ-

reticis omnibus, quòd Romani Pontificis primatum negent, atque Orthodoxæ Ecclesiæ auctoritatem contemnant. Nicænam Synodum primam, ac primam Constantinopolitanam prolegitimis habent, sed præter viginti canones, qui in Nicæna illa conditi fuerunt, eidem perperam tribuunt canones omnes, qui in canonum, qui *Arabici* vulgò dicuntur, collectionibus reperiuntur. Rejiciunt primam Ephesinam Synodum, et Concilia omnia generalia, quæ deinceps, tum in Oriente, tum in Occidente celebrata sunt.

Altera Hæreticorum Secta, quæ in Oriente est, Jacobitarum dicitur. Hæc Dioscori errores tuetur, ejusque Sectatores Jacobitæ appellantur à Jacobo, quem Nicephorus et alii *Zanzalum*, id est, vilem appellant: Arabes verò *Baradæum*, sive *Baradatum*, qui cum aliis circa medium sexti seculi Monophytarum hæresim per totum Orientem disseminavit, et plurimos, in tota Syria et Mesopotamia præsertim, Episcopos, Sacerdotes, et Diaconos ordinavit. Eodem fere tempore in eamdem cum Jacobitis abiere hæresim Armeni, qui in Tibenensi Conventu circa annum 554. damnarunt Chalcedonensis Synodi decreta, ac si plena Nestorianorum errorum, et impietatis essent, et Dioscori errores amplexati sunt. Quo factum est, ut hujusmodi hæresis per majorem Orientis partem propagata sit. Sunt qui putent, hos Eutychianorum errorem tueri, iique non vulgares modo, et nullius auctoritatis scriptores, sed etiam doctissimi, ut Joannes Morinus, Auctor Perpetuitatis Catholicæ Ecclesiæ fidei circa Eucharistiæ Sacramentum, aliique. Id verò minùs rectè, cùm Jacobitæ Eutychi anathema pronuntient. Ita enim statuunt, illum eodem quo Apollinarius errore laborasse, atque adeo Christum habuisse de cœlo Corpus, quod nostro consubstantiale non esset, sed phantasticum. Commixtionem quoque naturarum, confusionem et alterationem, quam Eutychiani adstruebant in Christo, rejiciunt. Sed Christum Dominum licet ex duabus naturis unum agnoscant; tamen non ut Ecclesia Catholica in unitate personæ, sed in unitate naturæ unum illum profitentur, atque consubstantialem Patri secundum humanitatem, et cum Dioscoro Chalcedonense Concilium damnant; quod duas in Christo naturas post unionem stabilierit, et Leoni Romano Pontifici, cujus epistola ad Flavianum in Concilio probata fuerat, anathema dicunt.

Post duodecim aut tredecim annos à Chalcedonensi Synodo Jacobitæ, auctore Petro Fullone, addidere Trisagio, his scilicet verbis, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, hæc alia, *qui crucifixus es pro nobis*: quæ quidem additio tanquam Monophytarum tessera habita deinceps fuit à Jacobitis Syris, Ægyptiis et Armenis, atque tum ob hanc causam, tum quòd divinam naturam trium personarum videatur indicare passibilem esse, à Felice III. Ro-

mano Pontifice improbata, ac pluries deinceps ab Apostolica Sede damnata fuit.

Immo et eorum quoque interpretatio rejecta fuit, qui non ad tres divinas Personas, sive ad divinam iisdem communem naturam, sed ad solum Filium Trisagium illud referri contenderent. Videatur qua ratione rem narret in Encyclica ad Missionarios per Orientem deputatos Benedictus XIV. num. 29. ubi hæc habet; cùm Petrus Fullo, cognomento Gnaphæus, fautor hæresis Apollinaristarum, qui Theopaschitæ appellantur, ausus fuisset Trisagio hæc verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis;* sicuti fusè commemorat Theodorus Lector lib. 1. Collectaneorum, et cùm nonnullæ Orientis Ecclesiæ, ac potissimum Syrorum, et Armenorum, operâ cujusdam Jacobi Syri, teste Nicephoro lib. 18. cap. 52. additamentum hujusmodi recepissent, haud prætermiserunt Romani Pontifices, pro ea, quam in similibus adhibere consueverunt, vigili curâ, et sollicitudine inolescenti errori se opponere, factamque Trisagio additionem intercedere; rejicientes interpretationem, qua, Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non verò ad tres Divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi jactabatur: tum quia periculum semper supererat adhærendi dogmati hæretico; tum quia humanæ mentis præsumptio ad solum Christum referre minimè poterat Hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimæ Trinitatis decantatum, sicuti Lupus rectè expendit *in notis ad Can.* 82. *Trullanum*, ubi, postquam retulerat, à Felice III et Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: « Hym» num soli Divinæ Trinitati a sanctis semper Angelis adcan» tatum, Ecclesiæ ab ipso Deo ac eisdem sanctis Angelis in » puero laudato traditum, malorum Regiæ urbi impenden» tium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu et ra» tione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi, con» stanter asseverant, » (loquitur de Episcopis tum in prædicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus,) « humanâ præsumptione non potuisse » ad solum Christum detorqueri. » S. Gregorius VII. eodem religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola 1. l. 8. scripta ad Archiepiscopum, sive Patriarcham Armenorum. Idem præstitit Gregorius XIII. in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die 14. febr. anno 1577. In Congregatione autem Propagandæ Fidei habita die 30. januarii anno 1655. cùm examini subjecta fuisset Armenorum Liturgia, atque inter cætera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum additio inducta Trisagio tolerari posset, ob indicatam causam, quòd illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur: responsum fuit, id non esse permittendum, additionem omnino expungendam.

Syri hac unicâ additione in Liturgiis errorem designant, aut erroris saltem suspicionem prodant; Ægypti verò addunt etiam expressè post unionem in Christo unam tantùm inesse naturam. Et Armeni à miscendo cum vino aquam in Missa abstinent, ne duplicem in Christo naturam profiteri videantur: huic particulares nonnulli Armeni Doctores plures alios errores addiderant, ut videre est apud Galanum, aliosque, ex iis nonnullos quos de Sacramentis agendo indicabimus. Jacobitæ omnes tria priora generalia Concilia suscipiunt ac venerantur, scilicet Nicænum primum, primum Constantinopolitanum, et Ephesinum primum; rejiciunt verò, atque damnant Chalcedonensem Synodum, et quotquot deinceps celebrata sunt Concilia cùm in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia. Nonnulla quoque fidei dogmata, quæ in Conciliis in Occidente celebratis definita sunt, eorum plerique respuunt: sed errores hujusmodi videntur potiùs à Photianis reliquis Orientalibus communicati.

Schisma Græcorum Photianum dicitur, quod nono Ecclesiæ seculo, Patriarcha Constantinopolitano Photio, cœperit, ob dissidium Latinos inter et Græcos, circa processionem Spiritûs Sancti à Patre Filioque, et additionem particulæ *Filioque* in Latina Ecclesia Nicæno Symbolo factam, atque ab Apostolica Sede deinceps probatam; licèt absolutum non fuerit, nisi sub Michaële Cerulario circà annum 1054. Constantinopolitani deinceps Patriarchæ alios quoque tres Græcos Patriarchas in schisma erroresque traxere suos. Præcipui Photianorum errores sunt, qui sequuntur. Primò, negant Romanum Pontificem esse visibile totius Ecclesiæ caput, cui Pastores omnes subesse debeant, ac Concilia cuncta respuunt, et damnant, quæ in Occidente celebrata sunt. Secundò, licèt fateantur Spiritum Sanctum esse Deum, ac Personam à Patre et Filio distinctam, quæ procedat ex Patre, negant tamen etiam ex Filio procedere, ac Romanam damnant Ecclesiam, quòd Symbolo particulam *Filioque* addiderit. Tertiò, negant dari Purgatorium, et justorum animas, quibus nihil luendum supersit, ante extremi judicii diem clarâ Dei visione donari. Quartò, licitum esse putant, dare uxori libellum repudii, et ad alias nuptias transire, atque adeò matrimonium dissolubile esse credunt. Quintò, eorum plerique negant, fornicationem esse peccatum. Sextò, in eo quoque nonnulli errant, quod tertias et quartas nuptias pro illicitis omnino habeant; nec desunt, qui usuras licitas esse credant. Alii eorumdem errores in eo consistunt, quòd Latinæ Ecclesiæ disciplinam, quæ cum Græca non consentiat, contemnant, atque tanquam illicitam et malam detestentur. Aiunt itaque, primò, Latinam Ecclesiam errare, quòd Eucharistiam in Azymo conficiat, et quòd hujusmodi pane perfici posse credat. Secundò, quòd Sabbato jejunet. Tertiò, quòd Eucharistiam sub unicâ tan-

tam specie Laicis administret. Quartò, quòd Confirmationem a Baptismo sejungat. Quintò, quòd sanguinis et suffocati usum tanquam licitum permittat. Reprehendunt etiam eamdem Ecclesiam, quòd à Septuagesima usque ad Pascha in sacris officiis omittat *Alleluia*, et quòd Ritus alios, qui Græcis conformes non sint, adhibeat, et probet. Immo non defuere inter eos, qui vel baptizatos à Latinis sine trina immersione, iterum baptizandos esse docuerint, vel saltem nefas esse, trinam in Baptismo immersionem omittere, crediderint. Plures quoque inter eos in Palamitarum errorem abierunt, qui docent, « particulas Divinitatis, Divinitatemque ipsam aliquam inter ea quæ videntur, viderive possunt, recenseri, » ut ait Papadopoli in Prænot. Mystag. resp. 2. sect. 5. pag. 114.

§. III. De propriis Orientalis Ecclesiæ Ritibus, eorumque varietate.

Quanquam in Ecclesia Orientali plures sunt Sectæ, quæ à multis seculis, à Romana Ecclesia separatæ, nullam cum ea communionem habuerunt; tamen circa exteriorem Dei cultum ac disciplinam, eamdem cum Romana Ecclesia doctrinam profitentur. Omnes enim Ecclesiæ auctoritatem agnoscunt Ritus instituendi, ac ea præcipiendi quæ ad disciplinam pertineant. Omnes septem Sacramenta admittunt; omnes Sanctos invocant, Angelosque, ac tum eos, tum eorumdem reliquias, et imagines cultu aliquo prosequuntur: omnes dies festos et jejunia servant, ac præceptum ab Ecclesia ciborum delectum: omnes Missæ Sacrificium admittunt, quod propriis induti vestibus Sacerdos celebrent: habent omnes Monachos, qui castitatem voveant; nec ulla Secta est, quæ cælibes Episcopos non habeat. Quæ quidem satis superque videntur ad convincendum novitatis et falsitatis hæreticos illos, quos superiori capite nominavi. Dissidet autem à Latinis Orientalium circa Sacros Ritus disciplina: primùm ratione linguæ, quam in sacris celebrandis officiis usurpant; deinde, quòd Orientales proprias liturgias habeant, ac propria Euchologia, quæ cæremonias in Sacramentorum administratione adhibendas, in nonullis à Latina Ecclesia diversas, præscribant. Præterea in ordine divinorum officiorum, quæ ab Ecclesiasticis recitantur. Item ratione disciplinæ circa jejunia. Denique ex eo à Latinis Orientales dissident, quòd juxta eorum disciplinam simplices Presbyteri unicam et virginem uxorem habere possint, quam ante sacrorum Ordinum susceptionem duxerint.

Prima atque omnium antiquissima Ecclesiæ divisio est in Latinam et Græcam. Hæc autem non aliunde ortum habuit, quàm ex lingua, qua sacra officia celebrarentur. Latina non solùm Romanam et reliquas Occidentis Ecclesias, sed etiam Africanam, quæ eàdem ac istæ utebantur linguâ, designat. Græca verò omnes Orientales Ecclesias complectitur, qui-

bus, si paucas excipias, quæ Syriacè fortasse celebrabant, et Ægyptiacè, Græca lingua communis erat. Qua de causa Orientalis Ecclesiæ Ritus universim Ritus Ecclesiæ Græcæ appellari solent; atque omnes origine Græci reputantur, licet mutationem aliquam subierint, postquam aliâ linguâ sacra fieri cœperunt. Ecclesia Armena, quæ à Græca Cæsareæ Ecclesia cum Episcopo disciplinam acceperat, initio quinti seculi, tum sacra Biblia, tum alios ad sacrorum disciplinam pertinentes libros propria linguâ scriptos habere, ac in sacris peragendis usurpare cœpit. Atque eadem linguâ, quæ vernacula non est, sed doctis tantùm cognita, etiam nunc Armeni utuntur. Circa finem ejusdem seculi, cùm Nestoriani, omnes prope Mesopotamiæ Ecclesias occupassent, amisso Græcæ linguæ usu, illam quoque in sacris Officiis celebrandis omiserunt, Syriacaque solâ uti cœperunt. Cum Arabica ubique passim obtinuisset, ita ut soli Eruditi Syriacè scirent, et plebs illitterata, immo Ecclesiastici ipsi, non nisi adhibito studio, Syriacam linguam intelligerent, ea tamen ratio tanti visa non fuit, ut antiqua consuetudo aboleretur, et vernaculè sacra fierent. Unde hucusque apud Ecclesias omnes Nestorianas et Chaldæas quoque Catholicorum, non aliter quam Syriacè celebrare solent. Immo cùm Nestoriani à quinto seculo plurimas in Persidè Ecclesias fundassent, ubi Syriacæ linguæ usus nullus erat, eam tamen in sacris celebrandis retinuerunt. Plebi tamen ita consuluerunt, ut lectionaria, quibus Epistolæ et Evangelia de circulo anni continebantur, Persicè interpretata essent. Eadem linguâ usi sunt, atque utuntur in aliis, quas in Tartaria et Turquestania, et aliis Indiarum Orientalium partibus habent, Ecclesiis. Syriacam quoque linguam adhibere cœperunt Jacobitæ quoque, postquam Antiochenum sibi usurpavere Patriarchatum. Licet enim verisimile sit, nonnullas in ea regione fuisse Ecclesias, quæ Syriacâ linguâ uterentur; tamen explorata res est, IV. et V. seculo Antiochiæ Græcè celebrare consuevisse; atque constat, quas hujusmodi Jacobitæ habent Liturgias, ex Græco in Syriacum sermonem esse translatas: quippe in iis plura Græca vocabula occurrunt, et formulæ nonnullæ Græci sermonis, quæ clarè ostendunt, ex Græcis fontibus originem trahere: ut observavit Brunus tom. 2. dist. 9. quæ est de Liturgiis Syrorum. Hac eadem linguâ, quæ à multis seculis vernacula amplius non est, utuntur quoque Syri Melchitæ et Maronitæ.

Qui verò in Ægypto sunt Jacobitæ, non Syriacam, sed Cophticam linguam adhibent. Sunt qui contendant, semper fuisse in Ægypto Ecclesias, quæ hac linguâ, olim hujusmodi genti vernacula, uterentur. Sed utcunque se res habeat, negari non potest, quin antea Alexandrina, et aliæ quoque bene multæ Ægypti Græcam linguam usurpaverint. Renaudotius enim ex antiquissimis Ægyptiorum glossariis

hæc refert verba, quæ ex præfatione deprompta sunt unius ejusmodi glossarum collectionis : « antiquum morem fuisse, » ut lectiones ex Scripturis legerentur Græcè, sequeretur- » que cophtica interpretatio, idque factum, antequam ulla » omnino apud Christianos foret Arabicæ linguæ cognitio. » Sed per universam Ægyptum, antiquitus Christiani lege- » bant lectionem Græcè, eamque Cophticè explicabant, et » postea aliam, sicut nunc, legunt lectionem cophticam, » et eam arabicè interpretantur. » Igitur linguæ Græcæ usus, qui modo penès illos paucos viget, qui Græco Alexandrino Patriarchæ subsunt, fuit antea, tum Alexandriæ, tum in plerisque saltem Ægypti Ecclesiis, et nonnisi postquam Jacobitarum schisma prævaluit, Alexandriæ ac in tota Ægypto cophticè celebratum est. An id factum sit, quod invasa à Saracenis Ægypto, post aliquot annos Græca lingua omnino esset incognita, ut visum est Renaudotio; sive quod Jacobitæ cum Græcis, quos incredibili odio prosequebantur, convenire amplius non vellent, nostrum non est in præsentia investigare. Cum lingua hæc populo, qui arabicè loquitur, nota non sit, postquam Scriptura sive Evangelium vel à Sacerdote celebrante, vel a Diacono lectum sit, vulgaris, seu arabica interpretatio legi solet.

Æthiopes sive Abyssini, qui à Patriarcha Cophto Jacobitarum cum Metropolita, quem accipere solent, Cophticæ Ecclesiæ disciplinam, et Jacobitarum errores mutuati sunt, Æthiopica lingua sacra faciunt, quæ tamen est à populari diversa.

Ii, quos dixi, lingua, ritu, et disciplinâ, à Græcis dissident : quippe cæremonias in plerisque diversas habent, ac canones omnes non recipiunt, quibus Græcorum disciplina continetur, ut ex superiori paragrapho liquet. Adsunt verò alii, qui Græcum ritum, et disciplinam servant, sed in sacris Officiis peculiari linguâ utuntur. Scilicet, Colchi, nunc Mingrelenses, et Iberi, sive Georgiani ritum et disciplinam Græcam tenent, sed suo quisque idiomate sacra facit. Illyrici seu Sclavoni in Servia, Misnia, Bulgaria, etc. Illyricè sive Sclavonicè celebrant : Moscovitæ verò et Ruthenі, Ruthenam linguam parum à Sclavonica dissidentem adhibent. Reliqui Orientalis Ecclesiæ ritum servantes Græca lingua utuntur. Scilicet Græcorum, Itali, Græci, Melchitæ Orthodoxi, Schismatici omnes, qui Patriarchis Græcis Constantinopolitano, Alexandrino, et Hierosolymitano obtemperant, et alii.

Ex hactenus dictis perspicuum est, illustriores Orientis Ecclesias sacra Officia, linguâ, quæ vernacula non sit, celebrare. Quamobrem Orientalis Ecclesiæ exemplo, atque usu manifestæ falsitatis et calumniæ convincuntur ætatis nostræ Novatores, qui Romanæ Ecclesiæ vitio vertunt, quòd sacra Officia vernaculâ linguâ non celebret. Nam ex hac

liquet, Ecclesiam ubique terrarum, tum retroactis temporibus, tum etiam nunc credere satis provisum esse plebi, si à sacris ministris, tum Scripturæ, tum Liturgiarum mysteria interpretentur; nec semper expedire, ut, mutatâ in regione aliqua populari linguâ, Ecclesiæ etiam lingua variari debeat; tum, ut cum disciplina fidei unitas conservetur, tum etiam, ut novitates illæ vitentur, et confusiones, quæ novas sacrorum librorum versiones sequerentur. Et sanè, undenam factum est, ut inter tot, qui in Occidente sunt, Hæreticos, nulla sit fidei, et disciplinæ unitas, sed confusio maxima, nisi ex hac, quam sibi usurpare ausi sunt, libertate? Hæc quantum ad linguarum varietatem, quas orthodoxa probat, vel usurpat Ecclesia in Oriente.

Dissident etiam Orientales, tum à Latinis, tum inter se ob Liturgias, et Rituales libros, quos habent. Liturgias vocamus sacra Officia publica Ecclesiarum auctoritate conscripta, atque earumdem usu comprobata, quibus preces, et ritus ad consecrandam et administrandam Eucharistiam continentur. Libros verò, qui vel aliorum Sacramentorum, vel alia Ecclesiastica Officia præscribant, Rituales appellamus; Græci vero Euchologium, quod nil aliud est, quam collectio Ecclesiasticarum precum, et benedictionum, ideoque, ut Goarius explicat, Rituale sive manuale, aut sacerdotale, et pontificale commodè appellari potest. Hic non inquirimus, num sacræ Liturgiæ, quas Græci, Syri, sive Orthodoxi, sive Nestoriani, sive Jacobitæ, atque Cophti, et Æthiopes habent, iis auctoribus acceptæ sint referendæ, quorum præ se nomen ferunt: num primis Ecclesiæ seculis litteris consignatæ fuerint; nec quot unaquæque Orientis Ecclesia Liturgias habeat, quotque libros, quibus Ecclesiastica Officia continentur. Hæc enim eruditis investiganda relinquimus. Nobis enim sat erit ostendere, omnes Orientalium Liturgias, non secus ac Latinas, eam perficiendæ, atque administrandæ Eucharistiæ formam continere, quam à primis temporibus Christi Ecclesia adhibere consuevit: Orientales, tum à Latinis, tum etiam invicem, ritibus tantùm qui mere cæremoniales sint, dissidere: ac denique nonnulla notare, quæ observatu digna videntur, ut tum Liturgias, tum reliquos Orientalium libros ab iis emendari queant erroribus, quia ex Schismaticorum malitia in eosdem irrepserint.

Ita inter se Liturgiæ omnes conveniunt tùm Orientales, tum Occidentales, ut ab uno fonte, Apostolorum scilicet exemplo et præceptis, ad omnes Ecclesias promanasse certissimè agnoscantur. Neque aliunde tanta in Divinis Mysteriis celebrandis conformitas esse potest, quanta est in Liturgiis, quas ab antiquis temporibus tùm Occidentis, tum Orientis Ecclesia usurpat, quam ex communi, ac nota

traditione nasci potuit. Ita verò invicem convenire Liturgias omnes, quas diximus, tùm legentibus illico fit manifestum, tùm etiam ex partibus liquet, quibus constant. Omnes à Sacerdotibus sacram Eucharistiam fieri præscribunt, qui sacra vasa, eaque pretiosa, et vestes itidem sacras adhibeant, et in altari celebrent, quod omnibus in magna veneratione est: omnes exhibent præparatorias orationes et cæremonias, scripturarum lectiones, psalmorum cantus, orationes pro vivis et defunctis, memoriam Sanctorum, osculum pacis, præfationem, quæ initium Anaphoræ propriè dictæ, sive canonis est, orationes pro donorum oblatione, recitationem historiæ institutionis Eucharistiæ cum Christi verbis, quæ ejusdem nomine à Sacerdote proferantur, invocationem Spiritûs Sancti, orationem Dominicam, fractionem hostiæ, atque ejusdem communionem, ac confessionem Corporis, et Sanguinis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Tanta conformitas, in tot loco dissitis, ac communione à multis seculis separatis Ecclesiis, non aliunde oriri potuit, quam ex communi per antiquos Patres ab Apostolis accepta traditione. Atque hinc patet, Liturgias omnes, quæ sunt apud Orientales in usu, non modo inter se, sed etiam cum Latinis ad rei substantiam, quod spectat, omnino convenire. Itaque rituum diversitas, quæ in iis inest, tota est circa ritus, qui mere cæremoniales dicuntur, et circa formulas, et ordinem precum, ac circa alia, quæ institutam à Patribus perficiendæ Eucharistiæ formam non variant. Sed licèt ita se habeat hæc rituum diversitas, tamen quisque ex Ecclesiæ præcepto eos adhibere tenetur, qui in propria Ecclesia usu recepti, et consuetudine comprobati sint. Nonnulla, quæ ad hujusmodi differentiam spectant, in Appendice ad Tractatum de Eucharistia indicabimus, ubi de materia et forma, Ministro et subjecto hujus Sacramenti ac cæremoniis nonnullis agemus. Interim nonnulla de Liturgicis, ac Ritualibus libris Orientalium dicemus.

Cum Hæreticorum, Schismaticorumque malitia tum in Liturgias, tùm in alios Orientalium libros errores irrepserint, circa eorumdem emendationem ac usum, duæ, quæ sequuntur, observandæ sunt regulæ. PRIMA: *phrases, quæ exprimere possint hæreses, quæ in illis locis vigeant, sunt omninò tollendæ.* Hinc a Nestorianorum libris non solùm expungi debent dictiones illæ, quæ indicare videntur duas inesse in Christo Personas, quarum una in altera inhabitet, vel cùm altera conjuncta sit per amorem, ac per honoris, potentiæ, dignitatisque communicationem; sed etiam verba illa, quibus Beata Virgo Christi Mater appelletur: ibi enim Christiparæ nomen pro Nestorianismi tessera habetur, illiusque usus prohibitus omninò censendus est; sicuti in Antiochena Synodo, circa finem tertii seculi prohibitum fuisse a nonnullis asseritur, appellare Dei Filium seu Verbum

omousion Patri, quod à Paulo Samosateno, ejusque Sectatoribus hujusmodi Verbum adhiberetur ad indicandum Filium non esse à Patre distinctam personam, et in Ephesina Synodo Mariam appellari Christiparam, quia hac voce Nestoriana hæresis ab Hæreticis significabatur, aut occultabatur. Ex Jacobitarum verò libris non solùm tolli debent verba illa, quibus una in Christo natura post unionem designari videatur, sed etiam additio illa facta Trisagio, quam suprà diximus, quæ Jacobiticæ hæreseos aliquando habita est tessera, ac vehementer Jacobiticæ hæreseos suspicionem ingerit. Immò hac de causa Armeni cogendi sunt ad miscendam cùm vino aquam in Missa, quod fama sit, ab hujusmodi mixtione abstinere, ne duplicem in Christo naturam post unionem profiteri videantur. ALTERA REGULA; *ex omnibus Liturgiis Orientalibus, ubi Sanctorum memoria celebratur, expungi debent nomina Schismaticorum, et Hæreticorum.* Nam præterquam quòd falsò inter sanctos recenseantur, qui extra Ecclesiæ communionem obierunt; memoria hæc Schismatis, sive Hæreseos professio est. Sunt autem nomina hæc vel Nestorii, vel Dioscorii, vel Severi, aut aliorum, qui in hæresi, sive schismate mortui sunt.

In iisdem Liturgiis Schismatici, vel Hæretici Patriarchæ, sive Episcopi commemoratio fieri non potest. Nam id esset cum iisdem in divinis communicare, ac probare quodammodo Schisma, vel Hæresim. Immo in iis locis Romani Pontificis commemoratio fieri omnino debet: tum quia hæc commemoratio tessera est communionis cum eodem Pontifice, tum etiam quia ibi necessaria est ad tollendam Schismatis suspicionem, et ad fidem illam profitendam, quam Schismatici, negando primatum summi Pontificis, contemnunt. Huc spectat monitum primum, quod Benedict. XIV. in prima de nova Euchologii Græci editione Epistola proponit: « Sciendum est, » inquit, « quod Sacerdotes, qui Eu» chologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos sanctorum » Patrum Canones, et Catholicæ Ecclesiæ Constitutiones, » ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes » officia, errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia » commemorationes fieri soleant, oportet primùm quidem » Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii » Episcopi, et Patriarchæ, dummodo Catholici sint. Quod » si alter eorum, vel ambo sint Schismatici, sive Hæretici, » eorum commemoratio nequaquam fiat. » Id autem decreto consonum est Congregat. habitæ 1. maii ann. 1745. ac à Pontifice Maximo probato, quo instructionem hanc Euchologio præmittendam præcipiebatur. Omnes Latini sive Ambrosianum, sive Mozarabicum, sive alium quemcunque ritum habentes, in Missa Romani Pontificis commemorationem faciunt, quod argumentum est antiquam esse, et à primis deductam temporibus hanc in Latina Ecclesia con-

suetudinem. In Græca quoque Ecclesia à multis seculis hanc fieri consuevisse commemorationem, et nonnisi orto schismate sublatam, facilè conjicimus. Nam Romanus Pontifex Acacium Constantinopolitanum Antistitem communione privavit, quod ann. 484. inaudito ad eam diem temeritatis excessu Felicis III. Romani Pontificis nomen è diptychis abraserit, cujus damnationi Græca quoque Ecclesia subscripsit sub Hormisda Pontifice, ac Justino Imperatore. Erat itaque in sacris diptychis Romani Pontificis nomen; pro eo ergo nominatim orabant Græci inter Missarum solemnia. Quod quidem magis, magisque comprobatur ex eo, quòd Michaël Cerularius, Photiani schismatis instaurator, ad alios Patriarchas Orientis scripserit, ut videri est apud Cotelerium *t.* 2. *Monum. Eccl. Græcæ*, *n.* 9. *p.* 140. ac miratus sit, quòd nomen Romani Pontificis in sacris diptychis recenserent; cui Petrus Patriarcha Antiochenus ita respondit Epistolâ ab eodem Cotelerio in citato opere relatâ: « Ad hæc ego quoque » testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures » eorum, qui in Ecclesia præcellunt, quod sub beatæ me- » moriæ Patriarcha Antiochiæ Domno Joanne Papa Romæ, » ipse etiam Joannes nominatus in sacris diptychis referre- » tur. Constantinopolim prætereà ante hos annos quadra- » ginta quinque ingressus reperi, sub sanctæ memoriæ Pa- » triarcha Domno Sergio, prædictum Papam in sacra Missa » cum aliis Patriarchis referri. » Accedit etiam post natum in Græcis schisma nunquam agi cœptum de unione cum Romana Ecclesia instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut sacræ Liturgiæ Romani Pontificis commemoratio insereretur. Hanc sane conditionem Michaëli Palæologo ann. 1165. unionem optanti, Urbanus IV. proposuit, teste Niceta lib. 5. c. 2.; eandemque conditionem proposuit in Concilio Lugdunensi ann. 1275. Beatus Gregorius X. eamque à Græcis admissam fuisse, ac exsecutioni demandatam, asserit Pachymeres lib. 5. c. 32. ubi ait: « Ex hoc » Legatorum adventu pacem factam referentium, duo con- » secuta sunt, vi prius conventorum, exauctoratio Patriar- » chæ, et Papæ in Sacro commemoratio publica. » Id etiam in Florentina Synodo actum fuisse testatur quoque Sylvester Sguropulus schismaticus scriptor *in Histor. Conc. Flor. sess.* 10. *c.* 12. Eademque præmissâ conditione tentata iterum fuit concordia à Constantino, dum ad Nicolaum V. Legatos pro ea iterum obtinenda misit. Hujus autem commemorationis necessitas ex eo patet, quia hæc membrorum cum Ecclesiæ Capite communionis est tessera. Hinc Apostolica Sedes Græco-Italis imperavit, Constit. *Etsi Pastoralis*, ut hanc commemorationem facerent. Et à variis Orientalis ritus Christianis in Synodis id constitutum legimus. In Synodo Zamosciæ à Ruthenis habita 1720. et in ea, quæ in monte Libano à Maronitis celebrata fuit anno 1736. in qua tit. de Symb. Fidei

num. 12. habetur : « Sanctissimi Romani Pontificis commemorationem, tam in Missis, quam in divinis officiis, ante « Reverendissimi Domini Patriarchæ nomen, ut hactenus » consuevimus, celebrare non omittamus. »

In Liturgiis Cophticis, et aliorum Orientalium tolerari non possunt preces pro Principibus, quas ita exprimant, ut se orare dicant pro Orthodoxis, et Fidelibus Principibus, si hoc nomine designari velint Principes Jacobitiæ, vel Nestorianæ sectæ ; secus verò si pro verè Orthodoxis Principibus orare contendant. Immo si hac intentione orent, permittendæ sunt orationes quoque illæ, in quibus se orare aiunt *pro Principibus nostris*, cùm hujusmodi preces ad Catholicos Principes dirigantur : ut testati sunt Cophti. Hic verò notare necesse est, aliud esse orare ut infideles, ac etiam hæretici, fidei lumen, aliaque bona obtineant, quæ iisdem ad animæ salutem prodesse possint : aliud eorum in Missa commemorationem facere. Primum licet, ac Ecclesia etiam Latina in feria sexta in Parasceve exemplo comprobat suo : atque hoc sensu intelligendi sunt Patres, qui cum Tertulliano *ad Scapulam cap.* 2. antiquos Christianos pro Imperatoribus sacrificasse scribunt ; neque enim aliud imperatoribus optasse credimus, nisi verum bonum, ac æternæ salutis consecutionem, quæ Christianæ Religionis est finis. Alterum verò nec nunc, nec primis temporibus licuit. Nam commemoratio, de qua loquimur, communionis tessera est. Quis verò dicat in divinis cum hæreticis, ac infidelibus Ecclesiæ communicare licere ? Itaque horum in Sacris commemorationem facere non licet. Id verò non obstat, quominus in Græcis aliorumque Orientalium Liturgiis commemoratio relinquatur Imperatoris et Regum, cùm orationes mentis proposito dirigantur, cùmque Orientales omnes pluries professi sint, *se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Principibus*, ac Christianis Regibus orent. De Cophtis supra diximus, de Græcis verò Catholicis testatur id Goarius *in not. ad Euchiolog. Græc. pag.* 58.

Præter ea, quæ notata sunt, tria observanda occurrunt, quæ Apostolica Sedes circa Ecclesiasticos Orientalium libros instituit, tum ut Schismaticorum errores præcaveantur, tum etiam ut sarta atque tecta servetur derivata ex antiquis Patribus disciplina. Benedict. XIV. Constit. *Etsi Pastoralis*, quæ est pro Italo-Græcis, §. 6. n. 18. hæc habet : « Quia in « Ecclesiasticis Græcorum libris nonnulli errores irrepserè, « quibus primævam Ecclesiæ Græcæ puritatem fraude potissimum, ac dolo Schismaticorum corruptam esse, Orthodoxi dolent : Ideo pastoralem Latinorum Ordinariorum, « in quorum Diœcesibus iidem Græci, et Albanenses degunt, « vigilantiam per præsentes nostras litteras excitamus, ut « omni studio curent, non aliis Græcos ipsos, seu Albanenses, tam Prælatos ac Presbyteros seculares, qui in regu-

» lares, Ecclesiasticis libris in Sacramentorum administra-
» tione, et Missis, divinisque officiis celebrandis uti, nisi
» iis, qui per Congregationem à sancta Sede Apostolica
» emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti,
» typisque impressi fuerint. » Deinde *Constit.* cujus initium est *Demandatam*, quæ est de ritibus Melchitarum §. 11. ait: « Ut autem à Sacerdotibus Græco-Melchitis in sacris Myste-
» riis peragendis una et eadem cæremoniarum ratio, iidem-
» que ritus serventur, et ne aliqua sensim in iisdem obrepat
» difformitas, mandavimus typis Congregationis de Propa-
» ganda Fide imprimi Missale ad usum illorum Ecclesiæ,
» juxta rubricas remotissimâ antiquitate firmatas, quod,
» absolutâ editione sacrorum librorum Ritûs Cophtici, qui
» sub prælo sunt, incessanter impleri curabimus. » Denique §. 21. ejusdem Constit. de Monachis agens Græco-Melchitis, inquit: « Nullius verò generis libros, aut folia sine prævia
» approbatione, et licentia Episcopi Diœcesani, et Patriar-
» chæ prædictorum edere possint, atque insuper nullum de
» rebus sacris librum, aut folium publici juris faciant incon-
» sultâ Sede Apostolicâ. Quod si novas sacrorum librorum
» ab eadem sancta Sede jam probatorum editiones fieri con-
» tingat, onus erit Patriarchæ, et Episcoporum Catholico-
» rum, inspicere, ne ulla in re discordent ab editionibus
» approbatis. »

Hæc quoad Ecclesiasticos Orientalium libros, quibus addendum censemus, prodiisse jam summa cura ac numeris omnibus absolutum Euchologium Græcorum anno 1754. typis Congregat. de Propaganda Fide, ejusque usum omnibus à Summo Pontifice Benedict. XIV. commendari.

Venio nunc ad disciplinam indicandam, quam in sacris Liturgiis celebrandis à Latinis diversam habent. Jam dixi de iis, quæ ad Eucharistiæ materiam et formam, ministrum atque subjectum spectant, plura me dicturum esse in Appendice ad Tractatum de Eucharistia. Hic itaque nonnulla unicè exponam de loco, in quo sacrum fieri debet; de Missis, quæ eodem die in uno Altari celebrari queant; deque Præsanctificatorum Missa juxta Orientalium ritum statis temporibus celebranda, atque ea explicabo, quæ sunt ab Apostolica Sede definita.

A primis Ecclesiæ temporibus Altaria, in quibus Eucharistia celebrari debet, Episcopi benedictione consecrari solent, atque hujusmodi consecrationem necessariam esse, ut licitè sacrum fiat, Ecclesiæ omnes, tum Orientis, tum Occidentis unanimi consensu asserunt. A multis seculis diversa est Latinæ à Græca Ecclesia disciplina. In Ecclesia Latina incruentum Missæ sacrificium celebrari neutiquam potest, nisi super Altari, quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum lapidem, qui *tabula Altaris* nuncupatur. Græca autem Ecclesia

à pluribus seculis, ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideæ hujusmodi tabulæ, super Altaris mensa aptare solent Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, quodque vocatur *Antimension*, et super ipso sacra mysteria conficiuntur. Nunquam Apostolica Sedes hunc Orientalis Ecclesiæ ritum improbavit; sed eum non solum in partibus Orientis, verùm etiam in ipsa Italia Græcis, et Albanensibus observare permisit, ut videre est tum in Clementis VIII. instructione, tum etiam in Constitutione sæpe a nobis laudata *Etsi Pastoralis*. Latinis verò super Græcorum Antimensiis Missas celebrare vetitum est mox citatâ Constitutione §. 6. ubi num. 17. hæc habentur: « Si » Græci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis » consecrata, bene erit: sin minus, tolerentur eorum Antimensia, sive Throni super altaria lapidea ponendi, cùm » celebrant. » Et n. 59. « Latinis Presbyteris Latino Ritu in » Græcorum Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant » proprio Altari portatili lapideo, super Antimensiis, seu » Thronis Græcorum sacrum facere non licet. » At S. M. Benedictus XIV. anno 1751. Constit. quæ incipit *Impositæ nobis*, justis de causis concessit Missionariis, aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica commorantibus, ut « in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, deficientibus lapi» deis Altarium Tabulis rite consecratis, super sacris eo» rumdem Ruthenorum Antimensiis Missarum sacrificia » celebrare, atque etiam ut in hujusmodi celebratione » eorumdem calicibus stanneis uti liberè et licitè possint et » valeant. » (*) (1)

Tum in Oriente, tum in Occidente antiqua consuetudo erat, ut in una Ecclesia unicum Altare inesset, in quo semel tantùm in die celebraretur. Hæc verò consuetudo jamdiu in Ecclesia Latina mutata est; quippe à pluribus seculis plura in Ecclesia qualibet Altaria habentur, atque in uno eodemque plura eodem die sacrificia celebrantur. At in Oriente, si Maronitas excipias, paucosque alios, qui non a multis annis Latinorum Sacerdotum morem imitantur, omnes ferme antiquam consuetudinem servant. Quam quidem consuetudinem ex universæ Ecclesiæ consensu derivatam, nonnisi Apostolicæ Sedis auctoritas mutare potest. Hæc autem permittit Græcis Presbyteris, qui in Italia, in-

(*) Ritu tamen Latino Sacrum agere illis injunctum est.

(1) Clemens VIII. anno 1602. permisit, ut « Sacerdotes Rutheni, non » schismatici, in Ecclesiis Catholicorum Ritûs Latini, Altaribus, Calicibus, et vestibus sacris eorumdem Catholicorum uti, et Missam celebrare possint in casu necessitatis, ac etiam solùm devotionis causâ, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et è contra Sacerdotes Ritus Latini » in Ecclesia Ruthenorum, non Schismaticorum, Altaribus, et Calicibus, ac vestibus sacris uti, et Missam celebrare valeant, Ritu tamen » Latino: dummodo prædicta serventur secluso omni scandalo, et de licentia Prælatorum, et Rectorum ipsarum Ecclesiarum. »

salisque ei adjacentibus degunt, ut si velint, morem servent ex antiquissimo, et hactenus servato ritu derivatum, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem in Parochialibus Ecclesiis celebrandi ; concedit tamen ut in suis Parochialibus vel aliis Ecclesiis, præter Altare majus, alia etiam minora Altaria habeantur, in quibus sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die Missas celebrare. Const. *Etsi Pastoralis* §. 6. n. 8. et 9. At Græco-Melchitis postulantibus, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, et multiplicibus fidelium oblationibus, prædictum ritum antiquitate commendatum immutari permitteret, et in Ecclesiis Libani, et Ante-Libani plures Missas eodem die super eodem Altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas, Benedict. XIV. Const. *Demandata* , petitioni minimè indulgendum censuit. Permisit tamen juxta decretum latum die 31. martii 1749. « ab aliquibus ex venerabilibus Fratribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus » negotiis Propagandæ Fidei præpositis, ut alia Altaria in » loco Ecclesiæ apto erigi possint. Si autem Altarium numerus celebrantium, et offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi hujusmodi consuetudo viget, super eodem Altari unà cum Episcopo, » vel alio Sacerdote sacrificium peragente, concelebrare, » ita tamen ut sacris vestibus more Celebrantium induti, » unusquisque totam Liturgiam integre recitet, et verba » Consecrationis proferat, perinde ac si sacrosanctum sacrificium singulatim conficerent. »

» Hujusmodi autem sacrificium singuli Sacerdotes juxta » mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licitè » valeant applicare. Quod si secundæ, et ulteriores oblationes vi ejusdem Sacrificii applicatione superaddantur, » Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere » Fideles posteriore loco offerentes, de aliis oblationibus ad » eumdem finem acceptis ; et nisi iidem Offerentes unicâ » Missæ celebratione se voti compotes fore declarent, sciat » se unico sacrificio plurium voluntati minimè satisfacturum. » Eorum verò mentem, qui pro sacrificio obtulerunt, nunquam à Sacerdotibus impletum iri declaramus per solam » adjectionem particularum, et commemorationem, quæ » in Panis præparatione ante Missæ Sacrificium fieri solet : » cùm omnino necessaria sit integra concelebratio ; nisi de » eorumdem offerentium voluntate aliter fiat. »

« Ex Græco et Orientali hoc ritu, » inquit idem sanctissimus Pontifex Epist. Encycl. ad Mission. per Orient. deputatos, « nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium, » an privatis Missis, quæ ab uno Sacerdote celebrantur, in » Orientali et Græca Ecclesia locus esse possit, cùm in » Græcis Templis unicum Altare existat, unicum ad illud » Missæ Sacrificium offeratur, et Sacerdotes cum Episcopo » celebrent, aut cum Sacerdote, qui primi Presbyteri mu-

« nere fungitur. » At privatæ etiam Missæ usus juxta Orientalis Ecclesiæ disciplinam, ex can. 31. Conc. Trullani, et ex notis quibus illum Balsamon explicavit, satis validè vindicatur, atque adeò frequentis Sacerdotum cum Episcopo celebrationis ritus, et intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit. In commodum verò Sacerdotum, qui privatum Missæ Sacrificium offerre cupiunt, salvâ semper consuetudine, ut ad unam Altare unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur, Græci constituerunt *Paraecclesias*, de quibus Allatius in Epist. ad Joannem Morinum loquitur. Sunt autem *Paraecclesiæ* Oratoria, quædam Ecclesiæ contigua, in quibus altare inest, in quo Sacerdos celebret, qui in alio, ubi alter celebraverit, Sacrum facere nequit. Refert quoque Goarius unam Templi Græcorum formam, in qua secundum Altare reperitur, in usum Latinorum Sacerdotum positum. Ex quo constat non solùm Græcos privatas Missas probare, sed et Latinos in Græcorum Ecclesiis, ac Orientales in Latinorum Altaribus, ubi proprium desit, celebrare posse, quin ea rituum permixtio sequatur, quæ vetita est, sed « urbani-» tatis officia ita exercentur, vel potius præcepta implentur » æquitativi cujusdam juris, exposcentis, ut non habenti » opportunum locum ad ea peragenda, quæ jure aliquo » præstare jubetur, locus ipse libenti animo concedatur; » ut concludit idem Pontifex in eadem Encyclica n. 42.

Est etiam in more positum apud Orientales, præsertim Græcos, ut in feriis quadragesimæ, exceptis diebus Sabbati et Dominicæ, nonnisi Præsanctificatorum Missa celebretur, quæ ei similis est, quam Latina Ecclesia semel in anno feriâ sexta in Parasceve celebrat. Scilicet in qua non consecratur hostia, sed antecedentibus diebus præsanctificata sive consecrata adhibetur. A Græcis sacra dona die Dominico consecrata singulis Quadragesimæ feriis, exceptis tamen Sabbatis, feriâ quinta in Cœna Domini, festo Annuntiationis B. M. Virginis, et aliis, si quæ sint solemnitates, in quibus celebrari debeat, solent adhiberi. Patriarcha Antiochenus Græco-Melchita petiit ab Apostolica Sede, ut in prædictis quadragesimæ feriis Sacerdotibus sui ritûs integrum Sacrificium peragendi facultatem concederet. Sed SS. D. N. Benedictus XIV. petitionem rejecit, mandavitque his de rebus « veteres Ecclesiæ Græcæ Rubricas omnino servari, eorum-» que exsecutionem Sacerdotibus inculcari; eliminatâ tamen ab opinione vulgi ineptâ credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur Sacerdotem utentem indumentis, et supellectilibus, quibus alius Sacerdos eadem die usus est, jejunii » observantiam infringere. »

Græcis vero et Albanensibus, quos sæpe diximus in cit. Const. *Etsi, etc.* indulsit, « ut tempore jejunii quadragesi-» malis, quo, exceptis Dominicis, Sabbatis, et nonnullis

» solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more nonnisi » Missa Præsanctificatorum celebratur, servato tamen, nec » prætermisso in Parochialibus Ecclesiis Præsanctificatorum » Ritu, in aliis Altaribus, seu Ecclesiis, sive Cappellis, » pro sua ac fidelium populorum devotione, Missas integras » quibuslibet hebdomadæ diebus, ac præsertim cùm dies » festi de præcepto Latinæ Ecclesiæ occurrunt, quos obser- » vare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadæ » triduo, celebrare possint, et valeant. » (1)

Diversa quoque est Latina ab Orientalis Ecclesiæ disciplina, tum circa horas Canonicas, quas Ecclesiastici recitare debent, tum circa dies festos, quos celebrant. Ad Canonicas horas quod spectat, modò errores præcaveantur, qui in eorumdem libros ex Schismaticorum dolo irrepserint, nec quidquam occurrat, quod in Hæreticorum vel Schismaticorum hominum honorem cedat, proprium quisque ritum tutò sequitur. Illorum verò Orientalium opinio, qui Diaconos, Presbyteros, Monachosque ad recitandum extra chorum Canonicas horas non obligant, probari neutiquam potest. Tum quia ex antiqua cùm Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ consuetudine constat, Ecclesiam eos quoque ad recitandum officium obligare voluisse, qui choro non intersint. Tum etiam quia Orientales Ecclesiæ, penes quas vigent adhuc instituta majorum, hanc obligationem fatentur; ut Græci, Syri, Armeni, aliique; quod argumentum est, apud nonnullos ex solo abusu contrariam consuetudinem ortam esse, Ecclesiâ non consentiente. Tum denique, quia refert Thomas à Jesu, Gregorium XIII. Romanum Pontificem ad dubia à Maronitarum Patriarcha proposita respondisse: » Tenentur etiam omnes ordinati ad horas Canonicas, » saltem illi nationi consuetas, non solum Beneficiati, sed » etiam qui sunt in Sacris sine beneficio. » Si ex iis nonnulli

(1) Ægyptii seu Cophti Ecclesiam non nisi sine calceis ingredi fas esse credunt. Contrà verò Nestoriani non solùm nefas esse putant sine calceis Ecclesiam ingredi; sed eam pollui arbitrantur, si quis cum calceis ingrediatur. Immo pollui aiunt Altaria, si Presbyteri et Clerici non jejuni, aut mulieres, laicique homines ad eadem accedant. Hæc autem, atque iis similia ineptæ credulitates videntur.

Nestorianorum nonnulli quotidianas Missas damnarunt. Sed si attendamus ad antiquam Ecclesiæ disciplinam et ad ea quæ diximus, facilè erroris convincuntur. In variis enim Ecclesiis primis seculis diversa fuit, atque Augustinus, et Chrysostomus Missæ quotidianæ usum probarunt. Augustinus epist. 54. novæ editionis ad Januarium; *alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur; alibi Sabbato tantùm, et Dominico; alibi tantùm Dominico.* Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Ephes. *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad Altare, nemo est qui semel participet.*

Varia fuit etiam olim circa horam celebrandæ Liturgiæ disciplina; nimirum nocturnum tempus, matutinum, hora tertia, sexta, nona, et post vesperas, ut refert Martenne lib. 1. *de antiquis Ecclesiæ Ritibus.* Id verò observatione dignum est, ne Orientales ob hanc rationem reprehendantur. Hinc Sacr. Cong. Supr. Inquis. 22. aprilis 1682. Missionariis Cappucinis inter Maronitas degentibus permisit, ut in quadragesima juxta ipsorum ritum tertiâ horâ post meridiem celebrare possent.

juxta proprium ritum aliud officium habeant recitandum in choro, aliud verò extra chorum, ut de Syris testatur Joseph. Simon Asseman. dist. *de Monophysitis*, non dubito quin muneri satisfaciant suo, dum justis de causis à choro absentes, aliud officium recitent.

Quoad Sanctorum festos ex Orientalibus soli Maronitæ Gregorianum Calendarium recepere. Sed quæ huc spectant, vide in Appendice ad Tract. de Legibus. (*op. jàm citato.*) Circa solemnes festivitates servanda est Eugenii IV. Const. quæ tom. 2. Bull. est ordine 19. In ea verò habetur: « Cum inter alias sit » etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festi- » vitates Annuntiationis B. M. Virginis, Nativitatis B. Joannis » Baptistæ, et consequenter Nativitatis, et Circumcisionis » D. N. J. C. ac Præsentationis ejusdem in templo, seu » Purificationis B. V. M. celebrari debeant, satisque dilucidè » veritas patefacta fuerit, tam SS. PP. testimoniis, quam » consuetudine Ecclesiæ Romanæ, et omnium aliarum uni- » versaliter apud Latinos et Græcos; ne igitur in tantis » celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, unde per- » turbandæ charitatis occasio possit oriri, decernimus tan- » quam veritati, et rationi consentaneum, et juxta totius » reliqui orbis observantiam, ut ipsi etiam Armeni festum » Annuntiationis B. M. V. die 25. martii, Nativitatis B. Joan- » nis Baptistæ 24. junii, Nativitatis verò secundùm carnem » Salvatoris 25. decembris, Circumcisionis ejusdem 1. janua- » rii, Epiphaniæ 6. ejusdem januarii, Præsentationis D. in » Templo seu Purificationis Dei Genitricis 2. februarii debeant » solemniter celebrare. »

De Orientalium circa jejunium disciplina plura disputavimus in Appendice ad Tractatum de Jejunio, atque satis explicavimus Græcorum ritum, et obligationem, qua quisque tenetur juxta propriæ Ecclesiæ consuetudinem jejunare. Hic autem ubi veluti in propria sede, de diversa, quæ in variis Orientis Ecclesiis viget jejunandi disciplina tractamus, ea exponimus quæ sunt ibi prætermissa. A Mingrelensibus exordium sumimus, qui licèt propriâ linguâ in Sacris peragendis utantur, Græcum tamen ritum servant. Ii quatuor quadragesimas habent, ut scribit Verricellus q. 3. sect. 1. Prima ante Pascha, quæ incipit à quinquagesima: Altera post Pentecosten: Tertia ante Virginis Assumptionem, eaque initium sumit à die prima augusti. Quarta adventûs Domini per quadraginta dies. Nonnisi post solis occasum, Græco more, cœnant, quamvis interdiu, sicut et Græci, nulli scrupulo ducant fructus aliquos comedere. A carnibus abstinent, immo per tres hebdomadæ dies etiam a piscibus. In majori hebdomada vinum non gustant; et nobiles quoque mulieres tota ea hebdomada, quamvis excessiva sint frigora, nudi pedibus incedunt, et tribus ejus ultimis diebus nihil omnino cibi accipiunt. Severissimæ sunt apud eos jejunii

leges, nec in abstinentia à carnibus pro ætate, aut lethali infirmitate conceditur dispensatio; Græcorum Patrum præcepta observantes, ex quibus S. Basilius *in orat. de jejunio* ait: « Ne quis se excludat à numero jejunantium, in quo » omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum » formæ censentur. » Ita citatus auctor, qui longo tempore in regione illa commoratus est.

Syrorum Jacobitarum jejunia ita describit Gregorius Barhebræus ab Asseman. relatus, t. 2. *Bibliothecæ Orient.* pag. 304. Quinque sunt jejunia celeberrima populo Syrorum, præter feriam quartam et sextam. Primum jejunium Quadragesimæ: Alterum Apostolorum: Tertium Migrationis, sive Assumptionis B. M. V.: Quartum Nativitatis: Quintum denique Niniviticum. Et jejunium quidem Quadragesimæ, cùm illud hebdomada Passionis salutaris subsequatur, octo supra quadraginta diebus absolvitur. Apostolorum verò jejunium à feria secunda post Pentecosten usque ad vicesimam nonam diem junii, in qua festivitas Petri et Pauli celebratur, Occidentales observant; Orientales verò usque ad complementum quinquaginta dierum. Jejunium autem Migrationis à Calendis augusti ad decimamquintam usque diem protrahitur. At jejunium Nativitatis sunt qui à quintadecima novembris auspicantur; alii a Calendis decembris inchoant; nonnulli verò à decima decembris per duas hebdomadas observant. Denique jejunium Ninivitarum à feria secunda, quæ tribus hebdomadis Quadragesimale jejunium præcedit, usque ad feriæ quintæ matutinum observant Orientales: Occidentales verò usque ad matutinum sabbati. » Notat hic Cl. Asseman. nomine Orientalium venire hic Jacobitas in Assyria et Mesopotamia sub Mafriani potestate constitutos: Occidentalium verò alios Jacobitas, qui in eadem Mesopotamia, et in Syria proprie dicta, et in Phœnicia, atque Cilicia et Palæstina et Armenia sub jurisdictione Patriarchæ ejusdem gentis vivunt. Iis citatus auctor Canonem addit Cyriaci Patriarchæ de jejunio feriæ quartæ et sextæ, in hæc verba: « Presbytero, aut Diacono, aut sexûs utriusque » fideli, qui vicesimum ætatis annum excedit, fas non esto » solvendi jejunium feriæ quartæ et sextæ, exceptis quin» quaginta diebus Pentecostes, præterquam si morbo, aut » pressurâ, aut vi aliquâ detentus sit, aut mulier gravida, » vel lactans. »

Syri Nestoriani ab iis, quos diximus, haud multum dissident in jejunii disciplina. Præter ferias quartas, et sextas quibus per anni circulum jejunant, septem jejunia Orientales Nestoriani colunt, ut ex antiquo eorumdem auctore refert cit. Asseman. Primum jejunium Quadragesimæ per septem integras hebdomadas, à Dominica, quàm illi ingressum jejunii, nos verò Quinquagesimæ dicimus. In hujusmodi jejunio ab aliis Orientalibus dissident, quòd Sabbatis quoque

et Dominicis jejunent. Alterum jejunium Apostolorum vocatur, per totidem hebdomadas a feria secunda post Pentecosten, usque ad primam æstatis, quæ septima est à Pentecoste, et in qua festum duodecim Apostolorum celebrant. Tertium jejunium Migrationis B. M. V. ut supra. Quartum jejunium Eliæ, seu Crucis per hebdomadas septem à Dominica prima Eliæ, quæ quartam æstatis sequitur, usque ad feriam sextam quartæ hebdomadæ Crucis, seu septimæ Eliæ. Quintum jejunium Nativitatis, seu Annuntiationis, per quatuor hebdomadas, à Dominica prima Annuntiationis, quæ proximior est Calendis decembris, usque ad diem vicesimamquintam ejusdem mensis, in qua Nativitas Christi celebratur. Sextum jejunium Niniviticum, seu Rogationis per tres dies a feria secunda tertiæ ante jejunium Quadragesimale hebdomadæ usque ad matutinum feriæ quintæ ejusdem hebdomadæ. Septimum denique jejunium Virginum, tribus post festum Epiphaniæ diebus. Quæ quidem jejunia, exceptis Quadragesimali, Assumptionis, et Niniviticо, aliter hodie a Nestorianis fiunt: Nam jejunium Crucis seu Eliæ, et jejunium Virginum omnino sublata sunt. Jejunium vero Apostolorum a feria secunda post Pentecosten usque ad vigesimam nonam junii, hoc est, usque ad festum Apostolorum producitur; jejunium Nativitatis, seu Annuntiationis, à Calendis decembris usque ad diem 25. ejusdem exclusive. Immo Ebediesus Sobensis ex Gabrielis Metropolitæ Bassorensis auctoritate ostendit, seculares seu laicos ad jejunia Apostolorum, Eliæ, et Annuntiationis nequaquam adigi; secus verò Monachos, quos ait, ex consuetudine jejunare totum quidem jejunium Annuntiationis, duas tantum hebdomadas jejunii Eliæ, et Apostolorum. (1)

(1) Tam Nestoriani, quàm Orientales Jacobitæ juxta morem à majoribus acceptum, jejunium feriæ quartæ et sextæ (idem de aliis) à vespere exeuntis feriæ tertiæ et quintæ inchoant, idemque exeuntis feriæ quartæ et sextæ vespere solvunt: idest, ab occasu ad occasum solis perducunt. Non vero ut Latini, Græci, et alii Orientales à media nocte ad mediam noctem protrahunt. Id verò notari debet, ne ob consuetudinem rite ex majoribus derivatam reprehendantur (non enim plus Nestorianis jejunant qui à cibis abstinent à media nocte ad mediam noctem, sive à matutino ad matutinum, vel à meridie ad meridiem); et ut tollantur abusus, si qui sint in iis partibus, circa hujusmodi jejunii disciplinam.

Nestoriani non modo inchoant jejunium in die Dominico, sed etiam omnibus Dominicis et Sabbatis quadragesimæ jejunant. Hinc Abrahamus Abraza Patriarcha, Barhebræo teste, præcepit, ut in Sabbatis, et Dominicis jejunii quadragesimalis sub vesperam Liturgia celebraretur, quod à Georgio Patriarcha antè institutum fuisse affirmat Georgius Arbelensis. In hoc autem Nestoriani tum ab universæ Ecclesiæ disciplina, quæ vetat die Dominico jejunare, tum ab Orientalis Ecclesiæ more recedunt, quæ solo majoris hebdomadæ Sabbato jejunare solet. Hujus autem mutationis causam, hanc fuisse refert Barhebræus, quòd cùm Catholico significatum fuisset, quosdam, die Dominicâ, acceptâ oblatione, indè egressos, in quodam horto lautum convivium instruxisse, legem ipse constituerit, qua prohibebatur Dominicis, et Sabbatis per diem fieri oblationem, ac vespertinis horis eam celebrari præcipiebatur.

Jejunia Ninivitarum, et Virginum, ortum ducunt à supplicationibus,

Cophti, et Æthiopes, qui eorum disciplinam sequuntur, præter jejunium feriæ quartæ, et feriæ sextæ, tribus diebus post Dominicam Septuagesimæ jejunare solent; ac præter Quadragesimam, quàm à feria secunda post Quinquagesimam auspicantur, jejunia colunt, Adventûs scilicet, quod Festum Nativitatis D. N. J. C. præcedit, Assumptionis B. M. V. à prima augusti ad quartam decimam *inclusive*, et Sanctorum Apostolorum, quod exordium sumit à die, qui Festum Pentecostes subsequitur, et protrahitur usque ad Festum Apostolorum, quod 29. junii celebratur. Ita rem narrant Monachi ritus Cophti, qui Romæ in Cœnobio Sancti Stephani, vulgo *de'Mori*, commorantur, in supplici libello, quem S. M. Benedicto XIV. exhibuerunt, quique dispensationem obtinuere, qua permittitur, tum iisdem Monachis, tum aliis in eodem S. Stephani Monasterio commorantibus, « ut non ad alia jejunia teneantur quàm ad jejunia quadra» gesimæ à feriâ 4. Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis, » et à die Lunæ post Dominicam primam Adventûs, usque » ad Natale Domini, et ad reliquas vigilias, et quatuor anni » tempora juxta morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: » eâ tamen lege, ut indultum nonnisi ipsis in Urbe, aut in aliis Italiæ partibus degentibus, suffragetur, nec ullo modo ad Orientales partes extendatur,

Armeni, non ubique eadem jejunia servant. Quamobrem præter ea, quæ in citata Appendice notavi, nonnulla hic observare operæ pretium duxi, quæ ex epistola deprompsi ad Illustrissimum Lercarium Sacr. Congreg. de Propaganda Fide à Secretis missa, in qua Armenorum jejunia describuntur, qui Constantinopoleos commorantur. Sunt autem quæ sequuntur: Primo, omnes Armeni tum catholici, tum hæretici à feria secunda Quinquagesimæ, Quadragesimalis jejunii exordium sumunt; hæretici verò à piscibus abstinent, catholici utuntur. Secundo, feria quarta, et sexta non servant unicam comestionem, sed tum orthodoxi, tum hæretici à carnibus, et lacticiniis abstinent; hæretici verò etiam à piscibus. Si in hujusmodi dies incidat Festum Nativitatis D. N. J. C. omnes carnibus vescuntur: sicut etiam à Paschate

quas Episcopi, dum Populi calamitatibus premerentur, indixerunt. Primum itaque Ninivitarum jejunium dictum est, quòd Episcopus, cùm Populus peste afflligeretur, indictis supplicationibus Ninivitarum usus sit exemplo: tum ut Populum moveret Ninivitarum instar ad pœnitentiam agendam in cinere et cilicio, tum etiam ut in eo excitaret, atque foveret spem divinæ illius miserationis, quam experti sunt Ninivitæ. Alterum verò jejunium Virginum appellatur, quod ex supplicationibus originem habeat, ea occasione indictis, in qua Rex Arabum, sive, ut alii malunt, Persarum, ex Urbe Hirtà quadraginta Virgines ut sibi adducerentur impetraverat. Ob beneficia, sive gratias, quas per illas supplicationes obtinuerunt, statuere, ut quolibet anno jejunia hujusmodi celebrarentur. Vide Asseman. tom. 2. Bibl. Orient. pag. 425. et seq. ubi advertit merito ex hac ratione confutandos esse recentiores nonnullos, qui in Artziburio Armeniorum (quod idem cum jejunio Ninivitice Syrorum est) errores, hæresesque comminiscuntur.

ad Ascensionem ; licet hoc tempore catholicorum nonnulli, ne scandalo sint, à carnibus aliquando abstineant, Tertio, hæretici ante Nativitatis Festum, quod die octavâ januarii celebrant, septem diebus jejunant, atque in vigilia jejunium ad vesperam usque protrahunt, tum sacrum faciunt, ac deinde cœnant, utunturque in ea lacticiniis, et ovis. At catholici in vigilia duntaxat Nativitatis, cujus festum diverso ab hæreticis die celebrant, jejunare solent, ac etiam à piscibus abstinent. Missam verò, quam juxta proprium ritum celebrare deberent, vitandæ persecutionis causâ, plerumque omittunt. Ante Epiphaniam verò ut hæretici, ita et ipsi septem diebus jejunant. Quarto, festum Assumptionis B. M. V. semper die Dominico celebrant, et die Lunæ ad Sabbatum usque, quo die lacticiniis utuntur, jejunare solent : eadem ratione jejunia servant, quæ præcedunt festum Transfigurationis, et festum Exaltationis Sanctæ Crucis. Quinto, à feria secunda post Pentecosten ad feriam sextam jejunium colunt, quod vocant Sancti Eliæ, ejusdemque rationis sunt alia jejunia, Sancti Gregorii Illuminatoris, Sancti Jacobi Episcopi, S. Sergii Martyris, ac S. Gregorii quem Thaumaturgum appellant, in quibus a feria secunda ad sextam jejunant ; Sabbato verò antevertente festo, quod die Dominico semper celebratur, comedunt etiam carnes. In iis hæretici unicam comestionem servant, quam ad vesperam protrahunt ; meridie verò parum tantùm cibi sumunt, et in comestione pisces non respuunt. Catholici verò solam abstinentiam à carnibus, et lacticiniis servant. (1)

(1) In iis, quæ narrata sunt, quatuor observare necesse est. Primo, Armenos juxta proprium Ritum Missam quandoque ad vesperam usque protrahere nonnullis jejunii diebus. Id verò reprehendi nequit ; immo et Græcis ipsis in Italia commorantibus, Constitutione pluries citatâ *Etsi Pastoralis*, permissum est. Usus autem lacticiniorum, et ovorum in cœna, quam post Missam Vigiliæ Nativitatis, aut etiam Sabbati Sancti habere solent, permitti non potest, si Latinorum, Græcorumque more à media nocte jejunii exordium sumant : hoc enim in casu lacticinia, et ova, ac fortasse etiam pisces Armenorum disciplina prohibet. At si jejunium à solis occasu cum aliis, quos suprà diximus, auspicantur, contra jejunii disciplinam non peccant, si lacticiniis, ovisque, ac etiam carne post solis occasum utantur ; tum enim jejunii dies omninò transiit. Nec dubito, quin ex hac jejunandi ratione usûs hujusmodi initium habuerit : mutato vero jejunii initio, usus ille, abusus evasit, adeoque tollendus est. Secundò, etiam Catholicis abstinendum esse à piscibus feriâ quartâ, et sextâ, ac iis quadragesimæ diebus, in quibus hæretici abstinent. Id enim non est hæreticorum inventum, sed Armenæ, immo Orientalis Ecclesiæ disciplina, quam Catholici majori quam hæretici studio, ac fervore custodire, atque servare debent, ne hæreticis scandalo sint, aut occasionem præbeant Orthodoxos depravatæ disciplinæ accusandi. Tertio, à Paschate ad Ascensionem, secluso scandalo, non teneri ad jejunium feriæ quartæ, et sextæ, cùm ex antiqua disciplina, ut alibi notavimus, plures Orientales Ecclesiæ hoc tempore jejunia non servent. Quarto, Sabbati diebus extra Quadragesimam, in quibus jejunare non solent, sed lacticinia, ac etiam carnes sumere, ad jejunium, vel alias abstinentias adigi non debent ; cum enim Orientalis Ecclesia excepto Sabbato Majoris hebdomadæ in ejusmodi diebus jejunium præcipere non soleat, jure meritoque præsumitur illa in consuetudinem ex hac disciplina originem trahere.

De abstinentia à piscibus, quam Syri Armenique servare debent, plura disserit, ac decernit in sup. cit. Encycl. Bened. XIV. n. 47. « Syri, » inquit, « Armenique Catholici, juxta » ipsorum Ritum, ab esu piscium jejunii tempore abstinent; » verùm, cùm Latinos iis vesci conspiciant, et ceteroquin » impossibile, vel saltem difficillimum asseratur, eos tem- » perare posse à piscibus, diebus quibus Latinos iis vesci » intuentur, ideò tanquam rationi consentaneum proponi- » tur, ut Missionariis facultas tribuatur cum iis dispensandi, » cautè tamen, omnique secluso scandalo, et pio aliquo » opere in locum abstinentiæ à piscibus subrogato. Aptissi- » mus hic fieret locus disserendi de vetustate jejunii apud » Orientales, ejusque lege, licèt severiori, exactissimè tamen » semper servatâ; sed ne longiores simus, quàm par est, » id unum dicimus Apostolicam Sedem toties Patriarchis » obstitisse, quoties veterem rigorem jejunii suis subditis » præscripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Pa- » triarcha, Archiepiscopis, et Episcopis sibi subjectis car- » nibus vesci Laïcorum more indulsit, licèt juxta veterem » disciplinam carnibus abstinerent; universo autem populo » Quadragesimæ tempore pisces edere, vinumque bibere » permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex » Paulus V. datis ad Patriarcham Petri successorem Litteris » Apostolicis in forma Brevis die 9. martii 1610. jussit, ut » abrogatis iis, quæ Petrus Patriarcha concesserat, res in » pristinum statum restituerentur. In Pontificatu nostro ad » examen revocata est nimia facilitas atque indulgentia Eu- » thymii Archiepiscopi Syri, et Sidonis, et Cyrilli Patriarchæ » Antiocheni erga Græcos Melchitas, fuitque improbata; ut » patet ex Constitutione nostra *Demandatam* 87. §. 6. Bullarii » nostri, tom. 1. *Nos hujusmodi innovationem, et abstinen-* » *tiarum relaxationem, et coarctationem, in nimium detri-* » *mentum veteris Græcarum Ecclesiarum disciplinæ vergere ju-* » *dicantes, licèt alioquin, deficiente auctoritate Apostolicæ Sedis,* » *nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostrâ* » *expressè revocamus, et nullum effectum in posterum habere,* » *neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum* » *restitui debere jubemus, atque insuper in toto tractu Patriar-* » *chatûs Antiocheni laudabilem consuetudinem à Majoribus de-* » *rivatam abstinendi etiam qualibet feriâ quartâ, et sextâ per* » *annum ab esu carnium, quæ ab aliis quoque finitimis populis* » *ejusdem Græci Ritûs exactè custoditur, indistinctè servari præ-* » *cipimus.* Incongruum verò est asserere, ideò dispensationem » concedendam esse, vel potius dispensandi generalem fa- » cultatem, quòd nempe Orientales aspicientes Latinos vesci » piscibus tempore jejunii, exindè facilè adducantur, ut » ipsi non quidem ex aliquo contemptu, sed naturæ fragi- » litate victi piscibus jejunii diebus utantur: hoc namque » argumento, si quid illud valeret, in primis omnimoda

» induceretur Rituum confusio ; deinde si illius ratio habe-
» retur, illud etiam consequeretur, ut Latini inspicientes
» Græcos peculiaribus quibusdam vivere institutis, quæ La-
» tinis minime permittuntur, immo inhibentur, dispensa-
» tionem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quæ à
» Græcis fieri intuentur ; profitentes se Latinum quidem
» Ritum suscipere, sed ob naturæ fragilitatem eum diutius
» servare non posse. » (1)

Hæc quantum ad Orientalium jejunia : quæ ad rem hanc pertinent reliqua in Appendice explicantur, quæ in Missionariorum usum post Tract. *de Jejunio Ecclesiastico* (*op. cit.*) addita est. A jejunio ad ciborum delectum ut res ordine exponatur gradum facimus. Nam etiam in hoc Orientalium à Latinæ Ecclesiæ disciplina dissidet. Græci enim à sanguine, et suffocato abstinendum putant, ac distinguentes inter mundos immundosque cibos ad normam Mosaicæ legis putant sine culpa ad Christi Corporis Sanguinisque communionem accedere non posse, qui immundi quidpiam comederit, aut contrectaverit, nisi benedictione præmissâ, quæ in eorum Euchologio præscribitur. Alii quoque Orientales saltem, quoad abstinentiam a sanguine et suffocato, eodem modò opinantur, Armenis Orthodoxis exceptis (nam qui Vartanum sequuntur, a quibusdam cibis abstinent), qui in unione cum Ecclesia Romana acceptanda hanc Græcorum consuetudinem se relinquere professi sunt. In collationibus enim pro hac ineunda unione habitis, hæc Galanus refert tom. 2. de Conc. Eccl. Armen. cum Rom. « Patres Armeni tum Sisensis, tum Ada-
» nensis Concilii, cum Romana Ecclesia suam conciliantes,
» approbaverunt Epistolam dogmaticam Gregorii Armeniæ
» Patriarchæ ad Regem Haytonem, ubi hebraica illa ciborum
» discretio his verbis refellebatur. Cibos autem immundos,

(1) Jejunium Sabbati vetitum fuit ab Ecclesia, quòd Manichæi, aliique Hæretici qui Deum malum hujus mundi conditorem atque colendi Sabbati auctorem fuisse fabulabantur, Sabbato jejunandum statuerint, ut publica mœstitia odium ostenderetur erga Deum colendi Sabbati auctorem, qui malus rem pessimam fecisset, rerum hanc Machinam tot malis obnoxiam, tot sceleribus obligatam. Vid. Epiphanium hæresi 14. ex canonibus hac occasione editis, quibus præcipitur, nonnisi Sabbato majoris hebdomadæ jejunandum, Græcorum, aliorumque Orientalium disciplina pendet. At lex illa nunquam in Romana Ecclesia recepta fuit, quæ ex Apostolica traditione semper in memoriam Christi sepulturæ Sabbati jejunium coluit : cujus rei testes sunt locupletissimi Hieronym. epist. 28. August. epist. 86. Conc. Eliberitanum can. 4. et Joannes Cassianus Chrysostomi discipulus collat. 3., quibus addimus Innoc. I. in Epist. ad Decentium Eugub. Episc. c. 4. Nicol. I. ad Consul. Bulg. qui sub Sylvestro ortum hac de re controversiam scribit, definiturque, ut nullus deinceps contra hujusmodi statutum *venire, aut mutare præsumeret.* Quare, ut Romana Ecclesia non improbat, sed laudat Orientalis Ecclesiæ consuetudinem ex iis canonibus ortam, qui dum hæretici, in Oriente præsertim, Sabbati jejunio abuterentur, conditi fuerunt ; ita Græci, aliique Orientales Romanæ Ecclesiæ morem probare, ac commendare tenentur, quòd cùm ei nulla devitandi ejusmodi jejunii occasio fuerit, traditionem quàm nonnulli aiunt ex Apostolo Petro derivatam, servaverit.

» præcipuè, quì ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, » ut inquit Paulus, in nomine Domini purificatos habere » jubemus, quos, et orationibus benedicti docuit Dominus » Nierses, nimirum Chelajensis, qui similiter Armeniæ » Doctor, et Patriarcha fuerat. » Hic verò antequam ad Græcorum morem expendendum descendam, necessarium puto Apostolicæ Sedis sententiam exponere. Pluries verò ab ea decreta hac de re prodiere. Gregorius II. in Capitulari suo ad Bavaros misso, c. 7. ait : « Nihil in perceptione ciborum » judicatur immundum, nisi quòd fuerit idolis immolatum, » quia juxta quòd Magisterio Apostolico docetur, omnis crea- » tura Dei bona est : et nihil rejiciendum, quòd cum gra- » tiarum actione percipitur. » Nicol. I. ad Consul. Bulg. num. » 43. « Omne animal, » inquit, « cujus cibus minime cor- » pori noxius esse probatur, comedi non prohibetur. » Exstat præterea decretum in Florentina Synodo pro Jacobitis edito, quod : « Romana, » inquit, « Ecclesia firmiter credit, pro- » fitetur, et prædicat, omnem Creaturam Dei bonam, » nihilque rejiciendum, quòd cum gratiarum actione per- » cipitur, quia, juxta verbum Domini, non quòd intrat in » os coinquinat hominem ; illamque Mosaicæ Legis ciborum » mundorum, et immundorum differentiam, ad cæremo- » nialia asserit pertinere, quæ, surgente Evangelio, trans- » ierunt. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse » denuntiat, quam societas admittit humana, nec inter ani- » malia discernendum per quemcunque sive virum, sive » mulierem, et quocunque genere mortis intereant, quamvis » pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari » et Ecclesiastica disciplina possint et debeant non negata » dimitti, quia, juxta Apostolum, omnia licent, sed non » omnia expediunt. » Accedit etiam professio fidei, quam ex præscripto Urbani Papæ VIII. Orientales emittere tenentur, in qua hæc leguntur : « Item legalia Veteris Testamenti, » seu Mosaicæ Legis cæremonias, Sacra, Sacrificia, et Sa- » cramenta D. N. Jesu Christo adveniente cessasse, et post » promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse, » ejusdem etiam Legis veteris ciborum mundorum, et im- » mundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ, » surgente Evangelio, transierunt, illam etiam Apostolorum » prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, » et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Judæos, et » Gentiles dissensionis materia tolleretur, cujus Apostolicæ » prohibitionis causâ cessante, etiam cessavit effectus. »

Quæ cùm ita se habeant, apertè Apostolicæ Sedis sententiæ contradicunt, qui etiam nunc vigere aiunt latam per Mosem legem de mundorum immundorumque differentia, et Apostolicum decretum de abstinendo à sanguine et suffocato : cùm fuerit illa per Christum sublata, istud verò œconomiæ causâ ad tempus stabilitum. Vide Paulum », ad Cor. VIII. ubi

docet secluso scandalo, etiam tum Fideles immolatitiis uti potuisse, et quidquid *in macello venit, quia Domini est terra, et plenitudo ejus.* Ostendit ergo ad tempus, atque œconomiæ causâ Apostolos decretum de hujusmodi abstinentia edidisse. Errant itaque Græci si credant, aut vigere adhuc discrimen inter munda, et immunda veteri lege constitutum, aut ex Apostolico, et Scripturæ præcepto, ut habetur in Trullano can. 67. *à sanguine et suffocato esse abstinèndum.* Consuetudo autem hæc, de medio sublato errore, permitti potest, dum scilicet non ob Apostolicum, quòd ampliùs non viget, præceptum, sed ut obsequium novæ ex Ecclesiæ consuetudine derivatæ legi præstent, a sanguine et suffocato abstinent. Nam Ecclesia potest etiam cæremonias veteris legis, fine ac objecto variato, in proprium usum convertere, ut supra nos demonstravimus, ideoque in obsequium, memoriamque primi ab Apostolis editi decreti, potuit etiam tacito consensu suo consuetudinem probando legem de hujusmodi abstinentia ferre. Qua quidem ratione etiam undecimo Ecclesiæ seculo plures latinæ Ecclesiæ hujusmodi abstinentiam servabant, ut scribit Humbertus Cardinalis ac Sylvæ candidæ Episcopus in Dialogo contra Græcorum calumnias edito. Neque benedictiones illæ sunt reprehendendæ, quas Græci Sacerdotes adhibent juxta eorum Euchologii præscriptum erga eos, qui tetigerint, vel immundi quidpiam comederint, etiamsi res illas respiciant, quæ in lege veteri subjectum erant præceptorum cæremonialium; « dummodo quidquid ab eis fit, non » eo animo fiat, ut veteris jam abolitæ legis præceptis pa» reatur, sed ut obsequium præstetur, aut novæ Ecclesias» ticæ Legi, vel canonicæ consuetudini, diuturni et continui » temporis observantiâ roboratæ; » inquit Bened. XIV. in citat. Constitut. Eucholog. præmittenda.

Venio nunc ad postremum disciplinæ caput, in quo Latina ab Orientali dissidet Ecclesia, quod in Cælibatu Clericorum situm esse diximus. Orientalis Ecclesia non secus ac Latina a primis seculis suos semper habuit Monachos, qui castitatem voverent, atque Episcopos etiam nunc nonnisi cælibes habet. Immo cùm Nestorianorum, Jacobitarumque nonnulli, Monachis, Episcopisque uxores permiserint, non solùm a reliquis Orientalibus, sed etiam ab aliis earumdem sectarum Episcopis, tanquàm disciplinæ, et Ecclesiæ contemptores habiti sunt. Quamvis antiquissimo tempore ad augendam Clericalis militiæ sanctitatem utraque Ecclesia Occidentalis, et Orientalis æquè præscripserit, nedum Presbyteros, sed alios etiam in Sacris Ordinibus constitutos in perpetuo cælibatu versari debere, et hanc custodiendæ castitatis obligationem nunquam remiserit aliarum mater, et magistra Romana Ecclesia; secus tamen contigit tractu temporis in Orientali Ecclesia, quæ Diaconis ac Presbyteris secularibus uxorem permittit; *unicam* tamen, eamque vir-

ginem. Nam eorum disciplina præcipit cum Apostolo Paulo 1. ad Timoth. cap. 3. *ut Diaconi sint unius uxoris viri;* ac vetat *bigamiam*, *tùm propriam* quæ ex secundo matrimonio profluit, tùm etiam *similitudinariam* ex primo matrimonio ortam cum vidua, vel corrupta contracto : Canones Apostolici 17. et 18. et canon 3. Conc. Trullani, cujus auctoritas licèt in Ecclesia Occidentali recepta non sit, illam tamen Orientalis Ecclesia suscipit, et veneratur. Quamquàm Orientalis Ecclesiæ canones ita constituant; et licèt iisdem canonibus ætas præscripta sit, antè quàm nefas sit, quemque sacris ordinibus initiari : tamen partim ignorantiâ, partim hæreticorum malitiâ factum est, ut, neglectâ omninò Ecclesiæ disciplinâ, apud Jacobitas præsertim Cophtos, ac Nestorianos quamplurimos, Pueri paucorum annorum sacro Diaconatûs ordine initientur, qui post susceptum ordinem non solùm nubunt, sed ad secundas quoque, atque tertias nuptias transeunt. De iis verò plura dicemus (*op. cit.*) dùm de Orientalium disciplina circa Ordinem, et Matrimonium tractabimus, ubi ea distinctè exponemus, quæ hac super re constituta, et explicata sunt à SS. D. N. Benedicto XIV. in duabus Pastoralibus Instructionibus super nonnullis dubiis circa Cophtorum Ritum editis.

Hæc satis visa sunt ad discrimen ostendendum, quod Latinam inter ac Orientalem Ecclesiam intercedit, et quo nonnullæ invicem dissident Orientis Ecclesiæ : inter has autem unam prætermisi, quæ extensione parva, sed gloriâ maxima est. Hæc in Naxivaniensi majoris Armeniæ Provincia sita est, et à quartidecimi seculi initio, in quo à Bartholomæo Parvo Ordinis Prædicatorum stabilita fuit, Fidem Orthodoxam, cum Latino Ritu Dominicanorum more, quem Armena lingua servat, intactam custodivit. Archiepiscopus, qui è Dominicanorum familia semper delectus est, sedem habet in Oppido Abraner, habetque sub se decem circiter oppida, in quibus Dominicanorum ejusdem Ritus Cœnobia nonnulla exstant.

CAPUT VII.

De Apostolicæ Sedis œconomia in disciplinæ unitate tuenda ac procuranda, et in tolerandis diversis aliarum Ecclesiarum, præsertim Orientalium, Ritibus.

Inter cætera argumenta, quæ Apostolicam Sedem Ecclesiarum omnium Principem, Magistram, ac Matrem esse demonstrant, præcipuum sibi vindicat locum prudens illa œconomia, qua disciplinæ unitatem quoad fieri potuit conservare, Apostolica instituta sarta tecta custodire, ac novitatibus, ut rerum temporumque circumstantiæ ferebant, obsistere studuit, et qua ritus varios, qui fidei morumque

integritati noxii non essent, non solùm patienter sustinuit, sed ubi ex Majorum institutis ortos agnoverit, vetuit etiam ne aliorum auctoritate immutarentur, ac ab omnibus servari mandavit. Qua quidem agendi ratione, cùm acceptam à Christo Domino in Ecclesiam universam potestatem, tùm debitum Apostolicis ordinationibus obsequium, tum denique illum erga Christianos omnes amorem significavit, quo veluti pia eorumdem Mater, ita disciplinæ inter eos unitatem procuravit, ut in iis, quæ cum fidei honestatisque regula cohærerant, illorum ingenio, ac voluntati indulserit, qui in ritibus variis à Majoribus acceptis enutriti, haud facilè potuissent ad omnimodam disciplinæ unitatem revocari. Hujusmodi agendi rationem Petrus Romanis Pontificibus ipsius successoribus præmonstravit. Is enim patienter in Hebræis recenter ad Christi fidem conversis tulit nonnullarum cæremoniarum usum, quas a Deo eorum Majores acceperant, quod haud facile esset homines tanta cùm veneratione in illis enutritos ab earum usu divellere; ac in Hierosolymitano Concilio, ut dissidiis occasionem præcluderet, mutuamque inter novos Christianos pacem foveret, legem constituit, qua ad tempus etiam ii, qui è gentibus ad Christum venerant, à sanguine, et suffocato immolatisque abstinere jubebantur. Atque ut facilè posset, quem ipse aut solus, aut ex aliorum etiam Apostolorum consilio disposuerat sacrorum ordinem, Ecclesiis omnibus præscribere, et exhibere, primùm Antiochiæ sedem posuit suam, ubique septem mansit annis; quod inde facile esset disciplinam illam ad omnes Asiæ Ecclesias transmittere: deindè Marcum in eadem à se institutum disciplina, Alexandriam misit; ex qua Urbe facilè Ecclesiis Ægypti, ac Africæ reliquis, eadem tradere poterat instituta: ac demum ex Antiochia Romam ipse venit, ibique perpetuo Sedem suam esse voluit, tùm ut facilè posset in tota quoque Occidentali Ecclesia eamdem disciplinam stabilire, tum etiam quia præstò inde esse poterat ad novas, dùm opus esset, instructiones suppeditandas, constitutis a se Antiochiæ, et Alexandriæ Metropolitis. Hinc autem ortam reor mirabilem illam in Ecclesiis omnibus consensionem in præcipuis Ritibus, quos semper et ubique servatos legimus in perficienda Eucharistia, in aliorum Sacramentorum administratione, ac in aliis quamplurimis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus.

Romanorum Pontificum Petri successorum prima ac maxima semper cura fuit, ut stabilitam ab Apostolis disciplinam in Ecclesiis omnibus custodirent. Quam ob rem a primis temporibus ad hæc usque tempora nunquam passi sunt, ut quæ in illa contenta essent, abolerentur: et non nisi ex gravissimis causis trinæ immersionis in Baptismo usum, calicisque a Laicis in recipienda Eucharistia sumptionem, ac iis similia immutari permiserunt. Hujusmodi

autem sollicitudinis luculentissima exempla suppetunt, tum in antiqua, tum in recentiori Ecclesiastica historia. Cùm esset ab Apostolis constitutum Ecclesiisque à Petro traditum, ut Pascha nonnisi Dominico die celebraretur, sicut Euseb. lib. 5. c. 23. Socrates lib. 5. c. 21. aliique antiqui Scriptores memoriæ prodiderunt statim ac Romanis Pontificibus innotuit fuisse nonnullas in Asia Ecclesias, quæ luna quartadecima martii in quemcunque hebdomadæ diem caderet, illud celebrarent, Apostolicam disciplinam etiam in Ecclesiis illis restituere curarunt. Anicetus rem cùm Polycarpo amicè tractavit. Victor verò illius successor Concilio Romæ habito circa 198. jussit, « ne alio, quàm Domi» nico die Mysterium resurrectionis celebraretur, » et Polycratem aliosque Asianos obtemperare detrectantes excommunicavit; etsi hortatu ac precibus Irenæi Lugdunensis Episcopi excommunicationis deindè effectum suspendit. Zephyrinus quoque, qui Victori successit, tùm ob falsa nonnulla dogmata, tum ob violatam Apostolicam disciplinam Montanistas damnavit, qui « ad omne penè delictum » Ecclesiæ fores obserabant, ac scelerata putabant iterata » connubia, et Christianis, secùs ac Apostolica disciplina » præscribebat, tres in anno Quadragesimas » proponebant, « quasi tres passi sint Salvatores, » inquit Hieronymus Ep. 54. Stephanus quoque Romanus Pontifex circa medium tertii seculi, cùm Firmilianus in Asia, et Cyprianus in Africa baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos esse contenderent, « nihil adversùs traditionem, quæ jam indè ab ultimis » temporibus obtinuerat, innovandum ratus gravissimè id » tulit, » ait Eusebius lib. 7. c. 3. Immò « abstinendos illos » putavit, quod priscam consuetudinem convellere conaren tur, » ut Augustinus scribit lib. 1. de Baptismo c. 25. Habes itaque ex satis notis antiquæ Ecclesiæ monumentis, Apostolicam Sedem etiam tribus prioribus seculis in universam Ecclesiam acceptam à Christo potestatem exercuisse, ac traditionem, et disciplinam, quæ ex Apostolis esset, adhibitis etiam Ecclesiasticis pœnis, in Asia quoque, in Africa, ac ubique gentium sartam tectam custodire studuisse. Cujus quidem sollicitudinis sequentium quoque seculorum historia toties exempla suggerit, quoties Apostolicæ Sedi significatum fuisse asserit, fuisse inter Christianos homines, qui vel Apostolicam traditionem contemnerent, aut Ritus usurpare neglexissent, quos Apostolica disciplina stabilivit; ut ex iis perspicuum fiet, quæ de Ritibus ab Apostolica Sede proscriptis Cap. IX. disputabimus. Ita sutam de disciplinæ unitate servanda desiderium ac studium semper demonstravit.

Sed impedire non potuit, quominus novi, ac varii in diversis Ecclesiis Ritus instituerentur. Nam cùm difficillimis primis Ecclesiæ temporibus, nec Episcopis omnibus facilè

esset Apostolicæ Sedi exponere, quæ pro locorum, et temporum circumstantiis novæ instituendæ viderentur cæremoniæ, aut disciplinæ Ecclesiasticæ ordinationes; nec facile itidem esset Apostolicæ Sedi nova disciplinæ capita, quæ stabilire expediret, Ecclesiis omnibus proponere, neque expediens videretur Episcoporum hac de re jurisdictionem limitare : eorum arbitrio relictum est, novas cæremonias addere ac sacrorum disciplinam moderari. Ne verò ex nimia rituum, ac disciplinæ varietate confusio oriretur, plurimorum Episcoporum Concilia passim celebrabantur, in quibus *altiora quæque in commune tractabantur*, ut Tertullianus scribit lib. de jejunio c. 13. Ex hujusmodi Conciliis tribus prioribus Ecclesiæ seculis celebratis, pleraque eorum deprompta sunt, quæ in Canonibus, et constitutionibus Apostolicis habentur, ut est à quampluribus eruditis Viris observatum. Ad antiquam hujusmodi consuetudinem attendisse videtur Magna Nicæna Synodus, dum Can. 5. bis in anno hujusmodi Concilia celebrari decrevit. Quod quidem Decretum innovatum deinceps fuit in Antiochena Synodo sub Julio I. can. 20; in Arausicana I. sub Leone Magno can. 29., etc. In iis verò de Sacrorum ordine, ac disciplinæ unitate procuranda actum fuisse, constat ex sancto Leone in Epistola ad Episcopos Siciliæ, ex Conciliis Epaunense, et Gerundiense, circa sexti seculi initium celebratis, et ex Bracarensi Synodo anni 563. Atque hinc patet undenam diversi in Ecclesia orti sint Ritus, quorum magna erat etiam in Latina Ecclesia varietas, quinto, ac sequentibus seculis, ut ex Epistola Innocent. I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, ex Epistola Gregorii Magni ad Augustinum, quem in Angliam miserat, aliisque Scriptoribus sexti, atque septimi seculi, intelligimus. Quarto quoque et tertio seculo fuisse in Ecclesiis Rituum varietatem, qui, salvâ pace, veluti majorum instituta susciperentur ac pro lege haberentur, jam scripserant Augustinus Ep. ad Casulanum, Hieron. Ep. 29. ubi ait; « unaquæque Provincia abundet in sensu » suo, et præcepta majorum leges Apostolicas esse arbitre» tur; » et Firmilianus, qui circa medium tertii seculi hæc ad Cyprianum scripsit : « Circa multa divinæ rei Sacramenta » sunt apud illos » (hoc est Romanos) « aliquæ diversitates, » nec observantur illic, quæ Hierosolymis observantur. » Et infrà : « Multa pro auctorum diversitate variantur, neque » tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, et unitate » discessum est. »

In hac rituum varietate sustinenda maximè cuituit Apostolicæ Sedis œconomia. Nam etsi unitatem optaverit, tamen nunquam passa est, ut ritus illi tollerentur, qui à Viris aut instituti, aut commendati essent, maximæ apud populos venerationis. Hinc in Latina Ecclesia, ubi cum Romanorum Pontificum diligentiâ, tum aliarum Ecclesiarum in Aposto-

fica Sede imitanda studio, Ritus pene ad unitatem redactus est, viget adhuc Ambrosianus Ritus in Mediolanensi Ecclesia, et *Mozarabus* in nonnullis Hispaniarum Parœciis, quod hujusmodi Ritus antiquitate, et auctorum sanctitate commendati in maxima veneratione apud gentes illas habeantur. Sed circa Orientales, ac præsertim Græcos œconomia hæc Apostolicæ Sedis mirabilis semper fuit. Cùm enim novisset Græcos majorum institutis summopere addictos haud facilè induci ad proprium Ritum deserendum, non solum in eodem illos permanere voluit, sed plurima etiam maximè in Ritum illum veneralionis argumenta præbuit. Qua quidem agendi ratione discretionem, moderationem, ac clementiam significavit suam in eos, qui dissidii spiritu incitati Latinorum Ritus improbabant.

Hujus autem rei historiam a Nicolao I. in cujus Pontificatu Photianum schisma cœpit, exordiemur. Is itaque ep. 2 ad Photium hæc scribit : « De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro quâ obviare debeamus, nihil judicamus, vel resistimus. » Schisma sub Photio inchoatum Michaele Cerulario auctore circa medium undecimi secuti eâ animi contentione tantoque fuit odio ab impio schismatico absolutum, ut Latinorum Ecclesias, quæ Constantinopoli, Alexandriæ, et in Patriarchatu Hierosolymitano erant, in quibus Sacra Latino Ritu fierent, observari jusserit. Leo verè IX. Roman. Pont. missis ad illum pro exstirpando schismate Legatis inter alia hæc scripsit : « Ecce in hac parte Romana Ecclesia, quanto discretior, moderatior, et clementior vobis est, siquidem cùm intra, et extra Romam plurima Græcorum Monasteria reperiantur, sive Ecclesiæ, nullius eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potius suadetur, atque admonetur eam observare. Scit Sancta Romana Ecclesia quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, et tempore consuetudines, quando una Fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes. »

Initio secuti decimi tertii, cùm Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, et summus Pontifex Innocentius III. decrevisset Patriarchum Latinum in eâ Civitate constituere, cui non solùm Latini, sed etiam Græci obtemperarent; nihilominùs palàm declarare non prætermisit, nullum se velle Græcis ritibus inferre detrimentum; nisi quæ fortè consuetudines, inter eos receptæ, periculum animarum parerent, aut Ecclesiasticæ honestati adversarentur. En Decretalis verba, quæ habentur, tum t. 7. Coll. Concil. Harduini pag. 22. tum etiam *in Cap.* licet, *de Bapt.* « Licet Græcos diebus nostris ad obedientiam Sedis Apos-

» tolicæ reverentes, fovere, et honorare velimus, mores ac » ritus eorum, quantum cum Domino possumus, susti- » nendo; in his tamen illis deferre nec volumus, nec debe- » mus, quæ periculum generant animarum, et Ecclesias- » ticæ derogant honestati. » Iisdem usus est verbis Honorius III. in Ep. ad Regem Cypri, dùm indulsit, ut in nonnullis illius Regni Civitatibus duo essent Episcopi, Latinus unus, alter Græcus. Eadem ferè verba usurpavit Innocentius IV. tum in Epist. ad Danielem Russiæ Regem, quam Raynaldus refert ad annum 1237. quâ Ritum Ruthenum probavit; tum etiam in eâ, quam ad Othonem misit Cardinalem Tusculanum Sedis Apostolicæ Legatum in insula Cypri. Idemque Pontifex mittens Laurentium Minoritam Apostolicum Legatum ad Græcos, qui in Regno Cypri erant, et ad Orientales omnes, qui in Patriarchatibus Antiocheno, et Hierosolymitano morabantur, mandavit ipsi, « quatenus Græcos illarum » partium, quocumque nomine censerentur, auctoritate » Apostolicâ protegens, turbari eos violentiis, vel quibus- » cunque molestiis non permitteret, et injurias quaslibet et » offensas, à Latinis eisdem illatas, plenariè faceret emen- » dari, ac Latinis ipsis districtè præciperet, ut à similibus » de cætero penitus conquiescerent. » Alexander IV. de Sy- nodo verba faciens à Latino Episcopo in Regno Cypri cele- brandâ, in quam Ecclesiastici quoque Græc. Ritus Episcopo illi subjecti convenire debuerant, Episcopo indicit, ut Græ- cos cogeret « recipere et observare Synodalia statuta, quæ » tamen Græcorum Ritibus fidei Catholicæ non adversis, et » à Romana Ecclesia toleratis non obviarent. » Nec minor fuit sequentibus seculis Apostolicæ Sedis cura in Orienta- lium Ritibus tolerandis, ac conservandis. Dum in Lugdu- nensi, et Florentino, aliisque Conciliis de Græcorum unione cum Romana Ecclesia actum est, ea semper conditio appo- sita fuit, ut illis liberum rituum exercitium permitteretur. Hinc Leo X. et Clemens VIII. constitutiones edidere, quæ in Græcorum Enchiridio Beneventi edito reperiuntur, in quibus vehementer Latini nonnulli increpantur, qui in Græcis reprehendebant, quæ in concilio Florentino eisdem permissa fuerant: scilicet qu'd Sacrificium offerrent in fer- mentato, uxorem ducerent, antequàm sacris ordinibus initiarentur, eamque post susceptos ordines sacros retine- rent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam pue- ris exhiberent. Pari studio Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. aliique Romani Pontifices Ritus illos custo- dire curarunt, ut ex eorum Const. liquet, præsertim ex sæpè laudatis Const. Bened. XIV. Fuisse verò de Græco, et Orientali Ritu servando vehementer sollicitos, satis superque probant « Ecclesiæ, quas diversis temporibus » Romani Pontifices Græcis, Maronitis, Armenis, Coph- » tis, Melchitis in Urbe addixerunt, quæque etiamnum

» exstant, et patent, ut sacras functiones, in ipsis juxta » Ritum suum singuli expleant » ut inquit Bened. XIV. in » Encyclica ad Mission. per Orient. deputatos; ubi additetiam: » Opportunè hìc quoque referri posset, quemadmodum » Clemens VIII. in sua constitutione 24. §. 7. veteris Bulla- » rii, Græcum Episcopum Romæ constituit, ut Italo-Græcis » Latinas Diœceses incolentibus Ordinem juxta Græcorum » Ritum conferret: deindè verò alium à Clemente XII. pro- » ximo prædecessore nostro, in sua Const. incipien. *Etsi* » *Pastoralis*, fuisse superadditum Græcum Episcopum, qui » fixam in Bisinianensi Diœcesi Sedem habet, ut Italo-Gra- » cis Ordines conferat; ne qui longius ab Urbe distant, lon- » gum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo Græco » Romæ degente juxta allatam Clementis VIII. Constit. sus- » cipiant; ac ne ipsis quidem Episcopis Catholicis Maron- » tarum, Cophtorum, et Melchitarum, qui aliquando Romæ » versantur, denegari facultatem conferendi Ordines juxta » Ritum suum, nationis suæ hominibus, dummodò idonei » reperiantur. » Accedit etiam vetitum à Romanis Pontifici- bus esse quibuscunque etiam Episcopali, et Patriarchali dignitate præfulgentibus, aut quidpiam Ritibus Orientalium detrahere, aut innovare, vel aliquid introducere, quòd integram exactamque eorumdem observantiam immutet, ut videre est in Const. sæpè a nobis citata: *Demandatam, etc.* Ac maximis etiam expensis procuratum est ab iisdem Pontificibus, ut ab omni expurgati errore Orientalium libri Romæ Typis Congreg. de Propag. Fide ederentur. Et præter Missalia Cophticum, Maroniticum, Illyricum, etc. novissimè Græcorum Euchologium accuratissimâ editione vulgatum vidimus.

Ne verò quidpiam intentatum relinqueret quo suum in Orientales amorem significaret, et quo mutuam eos inter atque Latinos unionem foveret, Orientalibus nonnullis aliquos Latinorum Ritus servare permisit, ac nonnullos ex Orientalibus in proprium usum transtulit. Armeni, et Maronitæ, qui Orientalium Ritum servant, veterem consuetudinem secuti propriis Episcopis perspectam, et approbatam, Eucharistiam non in fermentato pane, ut Orientalium reliqui, sed in azymo conficiunt. Quàm quidem consuetudinem, quòd ex veteribus ortam noverit, Apostolica Sedes nunquam improbavit. Immo Bessarionis Cardinalis petitioni ob hujusmodi exemplum indulsit, ut etiam in Abbatia Cryptæ Ferratæ, quæ primùm eidem Cardinali commendata fuerat, Græci Monachi in illa degente in azymo consecrarent. Idem quoque servatur in Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ de *Grotteo* nuncupata, sita in Messanensi Diœcesi, licèt ipsius Clerus Ritum Græcum retineat. Similiter nonnullis ab hinc seculis Maronitæ, Pontificales, ac Sacerdotales vestes adhibent ejusdem planè formæ quam Latinus

Ritus præscribit, et in Concilio Libanensi habito anno 1736. unanimi consensu, subsecutâ quoque Apostolicâ approbatione, iidem Maronitæ, quoad Præsanctificatorum Missam Latinum ritum amplexi sunt, illam tantummodo feriâ sextâ in Parasceve celebrantes; ut habet Bened. XIV. in laudata Encyclica n. 51. Ex Græca autem disciplina in Latinæ Ecclesiæ usum transtulit Ritum recitandi Constantinopolitanum Symbolum in Sacra Missa, ut ex Toletano Concilio anni 589. colligitur: Canone enim secundo decretum fuit, *ut secundùm formam Orientalium Ecclesiarum* per omnes Ecclesias Hispaniæ, et Galliæ Symbolum illud recitaretur. Item consuetudo adorandi Sanctam Crucem feriâ sextâ in Parasceve; usus etiam Trisagii *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis*, in eadem sexta feria, et Aquæ benedictio in pervigilio Epiphaniæ ex Orientali in Ecclesiam Latinam translata sunt; ut in eadem Encyclica ostendit sapientissimus Pontifex. Hæc verò satis, meo judicio, demonstrant Apostolicæ Sedis studium in fidei, derivataque ab Apostolicis disciplinæ unitate servanda, ac mirabilem quoque œconomiam, quo aliarum Ecclesiarum ritus substituit, honoravit, atque ab omni errore immunes custodire curavit. Superest nunc, ut ipsius leges exponamus, quibus cuique proprios servare mandavit, ac semel susceptos deserere vetuit.

CAPUT VIII.

De obligatione, quam quisque habet in suscepto Ritu permanendi.

Ritûs nomine intelligimus disciplinam Ecclesiæ auctoritate stabilitam, vel usu, et consuetudine eadem auctoritate comprobatam. Hæc autem, ut ex auctoritatibus liquet, quas circa finem superioris Capitis citavimus ex Hieronymo, Augustino, et ex pluribus Romanis Pontificibus, semper tanquam Ecclesiæ lex habita est. Præterea Cap. 4. demonstratum est, Christi Ecclesiam potestatem habere instituendi ac præcipiendi ritus: ex quo clarè consequitur, institutos Ecclesiæ auctoritate ritus, et consuetudines eadem auctoritate comprobatas, vim legis habere, ut ex iis, quæ in Tractatu de Legibus disputata sunt, est omninò exploratum. Ritus verò, qui in Orientali Ecclesia vigent, aut publicâ auctoritate Ecclesiarum instituti sunt, aut sunt consuetudines eadem auctoritate comprobatæ, et etiam Apostolicæ Sedis decretis roboratæ, quippe quæ probat ritus, mores, et consuetudines omnes Orientalis Ecclesiæ quæ Orthodoxæ Fidei non adversentur, et periculum secum non ferant animarum. Ergo ritus illi, quibus Orientalium Ecclesiarum disciplina continetur, *leges* sunt publicâ Ecclesiæ auctori-

tate stabilitæ. Hujusmodi autem legibus Fideles omnes obligantur, omnes Episcopi, et Patriarchæ omnes, ac is tantùm ab eis dispensare potest, qui universæ Ecclesiæ præest, Romanus Pontifex. Vide Appendicem ad Tractatum de Legibus qu. 4. (*op. citat.*)

Atque hinc patet : Primò, liberum non esse cuique susceptum ritum deserere, atque ad alium transire; cùm nemo possit legem illam deserere, cui subjectus est. Secundò, unius Ecclesiæ Ritum sequentes, non posse sinè gravi culpa alterius Ecclesiæ ritum contemnere ; verùm etiam Ecclesiæ legem contemnerent, et disciplinam illam, quæ licet à propriæ Ecclesiæ disciplina diversa sit, tamen in eumdem finem, hoc est, in æternam beatitudinem diversa via Fideles dirigit. Tertiò, non posse Episcopos, ac multò minus Missionarios, Orientalibus proprii ritûs mutationem consulere, nec eam ullo modo probare, sive admittere, inconsultâ Apostolicâ Sede. Quamobrem SS. D. N. Const. sæpe cit. *Demandatum*, in virtute sanctæ obedientiæ Maronitarum Episcopis vetat, « ne quocunque prætextu, aut obtentu, » rebus spiritualibus Nationi Græco-Melchitarum, in iis, » quæ spectant ad jurisdictionem, et auctoritatem illius » Patriarchæ Episcoporum, et Parochorum, se ingerere » audeant, neve eorum subditis transitum à Græco ad Ma» roniticum Ritum suadere, vel eos, qui sponte transire » vellent, nisi fortè peculiaris a Romano Pontifice licentia » intervenerit, acceptare præsumant. » Et Missionariis præcipit, « Ne aliquid iisdem suggerere, aut suadere audeant, » quod liberum contemptum, atque imminutionem induere possit ; multoque minùs auctoritate propriâ aliquid » circa illa innovare, aut etiam super iisdem aliquam dis» pensationem concedere, vel admittere præsumant. Alio» quin (inquit), præter districtam, quam Deo, Nobis, suis» que superioribus (quos de urgenda hujus Decreti observantia peculiariter oneramus) rationem reddent, sciant » se harum Litterarum vigore privationem vocis activæ, et » passivæ, et inhabilitationem ad quemcunque gradum, » et officium in suis respectivè Ordinibus, Institutis, et » Congregationibus, ipso facto incursuros. » In Encyclica sæpè à nobis citata n. 21. idem Summus Pontifex declarat eadem ratione ab Apostolica Sede prohiberi Ruthenorum transitum ad Latinorum ritum, sive Ecclesiastici sint, sive Laici ; Græcis verò in Italia degentibus sub Episcopis Latinis, si Laici sint, cum Episcopi permissione transitus ad Latinum ritum permittitur, non verò si sint Ecclesiastici, quibus Apostolicæ Sedis dispensatio necessaria est, ut ritum mutare valeant.

Hactenus explicata generatim ostendunt obligationem in semel suscepto ritu permanendi. Nunc ad particularia veniendum est, ac primùm de iis agemus, qui proprii ritus

Episcopo subsint, atque in ipsius Ecclesia degunt : Deindè de iis Orientalibus, qui in Ecclesiis vivunt, quibus Latini Episcopi præsunt. Denique de Latinis qui in Orientalium Episcoporum Diœcesibus commorantur.

§. 1. De obligatione, quam habent manendi in suscepto Ritu Orientales, qui ejusdem Ritûs Episcopis subsint.

Quanquam ex iis, quæ suprà dicta sunt, manifestum est, eos, qui in proprii ritûs Ecclesia versentur, obligatos esse ad permanendum in eodem ritu, nec eum mutare posse sine suprema Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ ad alium transire permittat : tamen ea hîc indicare operæ pretium erit, quæ sunt ab Apostolica Sede definita, ex quibus particulares, quæ hac super re occurrere possunt difficultates, facilè solvuntur. Et unicè afferemus, quæ in suprac. Constit. *Demandatum, etc.* pro Græco-Melchitis Bened. XIV. decrevit ; ex quibus facile colligere est, quid de aliis quoque Orientalibus sit sentiendum.

Primo itaque, prohibentur Græci ad Maroniticum ritum transire sine peculiari Romani Pontificis licentia, atque eodem modo prohibetur transitus ad Latinum ritum, ut supra dictum est.

Secundo de iis, quos *Latinizantes* appellant, nimirum, qui à Græcis parentibus progeniti, deficientibus Græcis Sacerdotibus, Latino ritu a Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque ritum hactenus tenuerunt, quorum magnus numerus Damasci inveniri perhibetur, neque satis hucusque definitum fuit, cui potissimum ritui addicti esse deberent, *statuitur, et declaratur,* ut coram persona ab ipso summo Pontifice deputanda, semel profiteri debeant, in quo ritu vivere malint ; in eoque in posterum omni variandi facultate ademptâ, perseverare teneantur.

Tertio statuitur, ut filii, qui ab hujusmodi parentibus post emissam ab illis prædictam declarationem nascentur, necnon ii, qui jam nati sunt, sed nondum ad usum rationis pervenerunt, sequantur conditionem parentum, si conjuges unum eumdemque ritum elegerint ; sin minus, patris ritum sequantur.

Quarto, si quos in posterum Græcos, necessitate cogente, ob defectum Parochi Catholici ritûs Græci, Baptismum, aut alia Sacramenta a Latino Presbytero recipere eveniat : illi non ideo censendi erunt Latinum ritum suscepisse ; sed omni dubitatione sublatâ, ritum Græcum, in quo orti sunt, observare teneantur. Et eum quidem, durante prædictâ necessitate, in omnibus rebus, quibus possunt, et præcipuè in jejuniorum observatione, retineant ; in reliquis verò integrè resumant et prosequantur, statim ac Episcopus, aut Parochus Græcus supervenerit.

Quinto decernitur, ne Missionarii Latini, quos in Episco-

coporum adjutorium et levamen Apostolica Sedes in eas regiones mittit, utendo facultatibus sibi concessis, eorumdem Episcoporum jurisdictioni præjudicium inferant, et numerum subditorum imminuant : atque statuitur, et declaratur, « licere » tantummodo Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci cus- » todiæ Terræ Sanctæ Parochialia munia obire circa Græco- » Melchitas, eisque Sacramenta administrare, in iis loco- » rum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat » modus habendi Parochum, aut alium Antistitem Græci » Ritûs, quo casu prædicti Fratres emolumenta legitimo » jure debita percipere licitè valeant, et à jurisdictione An- » tiocheni Patriarchæ nullatenùs ipsi dependeant, sed huic » duntaxat petenti teneantur singulis annis notulam tradere » animarum Græci Ritûs, in ea Civitate, seu Loco existen- » tium, utpote quæ in reliquis eidem Patriarchæ omnino » subesse intelligantur ; cujus curæ committitur, ut pro sui » muneris implemento, ubicumque opus fuerit, Catholici » Parochi copia suppetat, quo præfati Græco-Melchitæ Sa- » cramenta Græco Ritu recipere queant. (1) »

§. 2. De obligatione, quam habent manendi in suscepto Ritu Orientales, qui in Latinorum Ecclesiis degunt.

Etsi ii, qui in societatem aliquam cooptantur, statim illius legibus subjiciuntur, qua fortasse de causa dicere solitus erat Augustinus, *ad quam Ecclesiam veneris, ejus morem conserva ;* tamen, ut quandoque homines ex Principum liberalitate in alieno quoque dominio proprias servare leges sinuntur, ita Ecclesia non solùm passa est, sed etiam voluit, ut Latini in Orientalium, et Orientales in Latinorum Ecclesiis proprium ritum conservarent, tum ut suam ergo ritus omnes venerationem ostenderet, tum quod exploratum haberet, homines ita in susceptam à majoribus disciplinam ferri, ut grave nimis sit eamdem deserere ; tum demum quia, hac seclusâ lege maxima oriri posset confusio. Leges

(1) Ex hactenus dictis colligitur, primò, ubi sunt plures Episcopi, qui in eisdem locis subditos proprii ritûs habeant, ut sunt in Patriarchatu Antiocheno, Maronitæ, et Græco-Melchitæ, quemlibet eorum in eos tantùm jurisdictionem habere, qui proprium ritum sequuntur, nec alterum posse alieni ritûs Fideles ad proprium ritum suscipiendum attrahere, ac multò minus admittere. Secundò, Missionarios in eos, qui sunt Latini ritûs, jurisdictionem exercere, tanquàm in subditos, qui nullo modo dependent à jurisdictione Episcoporum, qui sunt ritûs Orientalis.

Tertiò, Missionarios, Christianos Orientis, qui velint Schisma vel hæresim ejurare, non posse hortari ad mutandum ritum, nec ad Latinum ritum admittere, sed eosdem in proprio ritu relinquere debere, ac Catholico ejusdem ritûs Episcopo, si adsit, subjectos. Quartò, quòd spectat ad Christianos Orientalis ritûs, Missionarios in adjutorium et levamen Episcoporum destinatos esse : nec quidpiam facere posse, quod in illorum jurisdictionis præjudicium cedat : Quamobrem tenentur iisdem Episcopis ostendere, se ab Apostolicâ Sede illuc missos esse ; sed jurisdictionem non ab Episcopis illis, sed ab Apostolicâ Sede habent, cujus exercitium nequeunt dicti Episcopi sine causa, et inconsultâ Apostolicâ Sede impedire. Ex decreto Sac. Cong. de Propaganda Fide 5. Decembris 1645.

autem hac de re ab Apostolica Sede latæ, sunt Constitutiones Innoc. IV. pro Græcis, qui in Regno Cypri Latinis Episcopis subjecti erant, et Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Julii III. Pii IV. et V. Greg. XIII. Clem. VIII. et Benedicti XIV. pro Italo-Græcis. Nemo autem rem distinctius exposuit Benedictus XIV. qui Const. *Etsi Pastoralis*, aliorum Pontificum hac de re decreta confirmavit, et explicavit, ac alia etiam, quæ opportuna visa sunt, definivit.

Primo itaque permittit, Græcos, et Albanenses in Italia vel alibi sub Episcopis Latinis degentes in proprio ritu manere; ac eos, qui sunt « Ecclesiastici, in quocunque Ordine minori, vel etiam majori constituti, Seculares, vel Regulares, a ritu Græco ad Latinum sine expressa Sedis Apostolicæ licentia transire non posse; Laicos verò, ut ad Ritum Latinum transire possint, Episcopum Diœcesanum posse pro sua prudentia permittere, non tamen communitati Græcorum, sive Albanensium hujusmodi sine Apostolicæ Sedis licentia, sed solum privatis personis, attentâ uniuscujusque necessitate. »

Secundo statuit: « Infantes natos ex patre et matre Græcis, Ritu Græco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii » consensu, voluerint, baptizari debere. »

Tertio. « Natos verò ex Patre Latino, et Matre Græca, Latinis esse cæremoniis baptizandos: proles enim sequi » omnino debet Patris Ritum, si sit Latinus. »

Quarto. « Si vero Pater sit Græcus, et Mater Latina, liberum esse eidem Patri, ut proles, vel Ritu Græco baptizetur, vel etiam Ritu Latino, si uxor Latina prævaluerit, idest, si in gratiam uxoris Latinæ consenserit Græcus Pater, ut Latino Ritu baptizetur. »

Quinto. « Infantes ad ejus Parochiæ jurisdictionem pertinere, cujus Ritûs sunt baptizati, cum per baptismum fiat susceptî Ritûs Græci, vel Latini professio; ita ut ad Latinum Ritum spectent, qui Latinis cæremoniis baptizati fuerint; qui vero Ritu Græco Sacramentum baptismi susceperint, in Græcorum numero sunt habendi, adeoque si » ante usum rationis decesserint, à proprio, cujus Ritu » baptizati sunt, Parocho, et in propria Parochia, sunt jure communi sepeliendi, nisi iis Baptismus collatus fuerit, vel ob gravem necessitatem, cùm nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii Parochi, vel Ritus copia, vel ex dispensatione Apostolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, sed in suo Ritu Græco permaneant: In iis enim casibus non censetur a proprio ad alium Ritum transisse. Post usum verò rationis idem dicendum, nisi quis in alieni Ritus Ecclesia sepeliri cupiat; si quis enim Græco Ritu baptizatus, in Latina Ecclesia, vel Latine Baptismate initiatus, in Ecclesia Græca sepulturam eligat, juris regulæ sunt

» servandæ : nimirum cadaver extra propriam Parochiam à » proprio Parocho esse associandum, quartâ funerali ei » minime imminutâ, et ubi tumulandum est cadaver, ibi à » Parocho illius Ecclesiæ, sive Latinæ, sive Græcæ, sunt » exequiæ celebrandæ. »

Sexto. « Quando verò infantibus prædictis, seu etiam adul- » tis, exequiæ Ritu Græco, et in Ecclesia Græca, ut præ- » fertur, jure communi sunt celebrandæ, tunc nullum jus » habet Latinus Parochus interessendi cum Græco Parocho, » nec partem aliquam stolæ percipiendi; similiter nullum » jus competit Parocho Græco, quando exequiæ in Ecclesia » Latina, et per Latinum Parochum sunt peragendæ, sed » servanda sunt utrobique statuta de juribus Parochorum, » circa sepulturam eorum, qui ad propriam Parochiam » spectant. »

Septimo. « Quem Ritum semel in Baptismo sunt professi, » sive Latinum, sive Græcum, in eo institui, et educari » debent, nec ad alium possunt transire, si Latinum semel » susceperint. Ritus enim Latinus propter suam præstan- » tiam, eo quòd sit Ritus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium » Ecclesiarum matris, et magistræ, sic supra Græcum » Ritum prævalet, maximè in Italicis regionibus, ubi Latinis » Episcopis Græci subjecti sunt, ut non modo ab ipso ad » Græcum transitus nullatenùs permittatur; verum etiam à » Græcis semel assumptus absque Apostolica dispensatione » deseri nequeat. » Hinc Maritus Latinus Uxoris Græcæ ritum sequi non potest, nec Latina Uxor Mariti Græci. Græcus verò maritus potest, si velit, ritum Uxoris Latinæ sequi, et Græca itidem Uxor Mariti Latini, post cujus obitum ad Ritum Græcum redire nequit.

Præter hæc, quæ §. 2. et 8. citat. Const. sunt explicata, §. 9. præscribitur, qua ratione Græcus Ritus in Italia, et Insulis adjacentibus sit observandus. Ac primo quidem, Græcis ipsis, et Albanensibus Ritus Græci inter Latinos degentibus, tam Prælatis, Parochis, et Presbyteris Secularibus, quàm Regularibus, et Laïcis, ut suis Ritibus, atque observantiis, et consuetudinibus uti, ac illos, et illas observare, Missasque et Divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare liberè, ac licitè possint, concedit, et indulget. Sic verò id ipsis permissum esse declarat, « ut quæ à Fidelibus in Diœcesi, ubi ipsi habitant, » universim et sine ullo Personarum, et Rituum discri- » mine, juxta sacros Canones servanda sunt, ad eadem » etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati cen- » seantur. » Cujusmodi sunt, Calendarii Gregoriani observatio de quo diximus in Appendice ad Tract. de Legibus (*op. cit.*), Summi Pontificis, et Ordinarii Loci in Missis, ac divinis officiis commemoratio; non verò Patriarcharum, et Antistitum Orientalium; quibus addere licèt commemoratio Græci Ca-

tholici Antistis, ubi ex licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii Loci, Pontificalia exercere permittitur: subjectis etiam Constitutionibus Apostolicis contra sollicitantes, ut loco suprà citato diximus: denique dies festos de præcepto Latinæ, ubi degunt, Ecclesiæ servare tenentur.

Secundo. « Ad observationem verò jejuniorum, et vigiliarum ejusdem Latinæ Ecclesiæ, si tota Loci Græcorum communitas, vel potior Laïcorum pars cum Parochis, et Presbyteris conjuncta induci posset, optimum esset: idque absque alia Sedis Apostolicæ dispensatione, arbitrio Ordinariorum relinquitur Latinorum. Non tamen ad id cogi debent, si velint Ritum suum in jejuniis sequi; cùm ipsi qualibet hebdomadâ, feriâ quartâ, et feriâ sextâ ut asseritur, soleant jejunare; neque privatis personis fas sit, ubi Parochiam Græcam habent, ibi contra proprium Ritum Latinorum more jejunia, et vigilias servare; sed omnes vel Græcè cum Græcis, vel Latinè cum Latinis jejunent. Ubi verò propriam Parochiam non habent, ibi libere, et licitè possunt in omnibus Latino ritui sese conformare, sive Laïci sint, sive Presbyteri, excepto Græco Ritu, qui in Missis, ac divinis officiis a Presbyteris est servandus. »

Tertio. « Ubi Parochiam Græcam habeat, tolerandus est apud Græcos esus carnium die Sabbati, si sine scandalo fieri potest, in locis autem ipsorum, et inter eos tantùm. »

Quarto. « Prohibentur tamen Græci suis famulis Latinis cibos vetitos apponere die Sabbati, sive alio quocunque tempore, quando prædictis Græcis carnes comedere licet, sive alio quocunque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere: Latini enim famuli Græcorum, Latinum Ritum servare tenentur. »

Quinto. « Tolerandum est, ut ad jejunium eodem die Sabbati in quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione, non teneantur, sed duntaxat ad abstinentiam. In Jejuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel alias a Diœcesanis, vel in Jubilæis à Summo Pontifice Romano indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro Græcorum plebe ab ipsa Diœcesanis Apostolicâ auctoritate permittitur commutari. » Vide Append. ad Tract. de Jejunio. (*op. cit.*)

Sexto. « Mandat, ne plebibus Italo-Græcis præficiantur Sacerdotes à Latino Diœcesano Episcopo ordinati, qui Latino ritu ministrent; sed Græci, vel Albanenses, Catholici tamen sive Advenæ, sive Indigenæ, Græco ritu viventes; et ne Presbyteri Latini, ni specialiter per ipsos Græcos vocati, se immisceant Græcorum functionibus. Prohibentur quoque Clerici, Presbyterique Græci in Latinorum Ecclesiis Missas, et alia divina officia, cum solemnitatibus, et cantu celebrare, nisi Episcopus, cujus jurisdictionis sub-

jiciuntur, vel ejus in spiritualibus Vicarius Generalis licentiam concedat : quam tamen ritè concedere valeant, etiamsi nulla præcisa necessitas adsit, sed aliqua tantum spiritualis utilitas indè speretur.

Septimo. Præcipit, ut in præcedentiis Clericorum Latinorum, et Græcorum « nisi consuetudo aliter obtineat, non » attendatur Ritus Græci, et Latini diversitas, sed tempus » ordinationis prædictorum Clericorum, vel qualitas Ecclesiasticæ dignitatis, si aliqui eorum eâ insigniti reperiantur, vel cæteræ qualitates, quæ jure suo in solemnitatibus Ecclesiasticis principem locum sibi vindicare solent. »

Octavo. Ita Græcos Ritus servare permittit, ut Latinorum Episcoporum, in quorum Diœcesi degunt, jurisdictioni subjecti ita censeantur, « ut non obstantibus quibuscunque » exemptionibus, et privilegiis dictis Græcis, eorumque » Prælatis, Rectoribus, Abbatibus, et aliis tam Sancti Basilii, et alterius Ordinis Regularibus, qui privatam vitam » degunt, nec in congregationem sint redacti, quàm secularibus, ac etiam Laicis Personis quocunque nomine nuncupatis, ita Latinis Ordinariis Locorum, quos habitant, » debent esse subjecti, ut ipsi locorum Ordinarii, quascumque eorumdem Græcorum, et Albanensium Ecclesias, » Monasteria, Prioratus, alia Pia Loca, tam secularia, » quàm cujusvis Ordinis Regularia, eorumque Prælatos, » etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac majori dignitate » præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, Ministros, et » quasvis alias ejusdem Nationis personas in suis Civitatibus, et Diœcesibus consistentes, quoties opus fuerit, » visitare, ac in illis suam ordinariam jurisdictionem, plenamque, et omnimodam auctoritatem, in iis, quæ Dei » cultum, Sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, hæresumque exstirpationem concernunt, exercere, et exsequi liberè, et licitè valeant, etc. »

Nono. « Ubi verò duo essent Episcopi ejusdem Loci à Sancta » Sede Apostolica deputati, unus Latinus, alter Græcus » (quemadmodum in Calabriæ partibus, et in Sicilia olim » fuisse perhibetur, et nunc in quibusdam Græciæ Insulis » existunt) Episcopus Latinus de Personis Ecclesiasticis et Secularibus Græcis, ac de jurisdictione Episcopi Græci, vel aliis quibuscunque ad Episcopum Græcum quomodolibet spectantibus, nullatenùs se intromittere præsumat : » sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus verò Græcus » Græcorum duntaxat curam, et jurisdictionem respectivè » habeant, et exerceant. Id quod de Episcopis Græcis pro Ordinatione Italo-Græcorum Romæ, vel in Calabria per » Sedem Apostolicam constitutis, intelligendum non est, » cùm facultatibus Ordinariorum careant. »

Decimo. « In Diœcesi, ubi Latini, et Græci inhabitant, » et solum Archiepiscopum, sive Episcopum Latinum Or-

» dinarium habent ; dictus Archiepiscopus, sive Episcopus, » circa negotia, et causas dictorum Græcorum Vicarium » Græcum ipsis Græcis gratum, vel per ipsos Græcos eli- » gendum (ex quo Græcus Vir melius Græcos mores novit, » quàm Latinus) ipsorum stipendio, et salario retinendum » deputet ; et in causis appellationis ad Metropolitanum, qui » forsan Græcus non esset, dictus Metropolitanus similiter » in dictis causis Judicem Græcum deputare teneatur. » Reliqua indicabimus, dùm de singulis Sacramentis age- mus. (1)

§. 3. De Obligatione, qua Latini in proprio Ritu permanere tenentur.

Plura sunt, quæ peculiarem in Latinis permanendi in pro- prio Ritu obligationem demonstrant. Primum quòd Latinus ritus sit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium Ecclesia- rum est Mater, atque Magistra ; Deindè quòd Clemens VIII. aliique Romani Pontifices, ac præsertim Bened. XIV. utra- que a nobis supracitatâ Constitutione, semper expressè pro- hibuerint Latinos ad Græcum ritum transire ; denique, in partibus Orientis, ubi hæc Latini ritus mutatio contingere posset, si paucos excipias, omnes ferme Schismatici, vel Hæretici sunt ; adeoque si Latini ad Græcum, vel alium Orientalem ritum transirent, sese periculo exponerent la- bendi in hæresim ; quia ritus hujusmodi suscipiendo, coge- rentur saltem progressu temporis Sacramenta recipere, ac verbum Dei ab Orientalibus Sacerdotibus audire ut pluri- mum Hæreticis, et Schismaticis, à quibus facilè in errorem induci possent, ut argumentatur Verricellus Tit. III. de Leg. q. 81.

Hinc cum Pater Albertinus Societatis Jesu Missionarius in insulis maris Ægæi, in quibus omnes Græcum ritum se- quuntur, dubium proposuisset Sacræ Congregationi quod sequitur : « An possint absolvi fideles Ritus Latini, qui trans- » ierint ad Ritum Græcum, et in illo vivunt, comedendo » carnes die Sabbati, ac per omnia Ritum servant Græco- » rum : » die 7. Julii 1639. responsum fuit : Posse absolvi, nisi intendunt perseverare in Ritu Græco, sine dispensa- tione ; nisi justa necessitas excuset. »

(1) « Ad conservandam pacem inter Armenos unitos Regni Poloniæ, et » ob alias gravissimas causas, Sacra Congreg. de Propaganda Fide an- » nuente Sanctiss. decrevit, ne de cætero Armenis unitis sive laicis, sive » Ecclesiasticis, tam Secularibus, quàm Regularibus ad Latinum Ritum, » quacunque de causâ sine speciali Sedis Apostolicæ licentiâ transire li- » ceat : et proindè omnibus Archiepiscopis, et Officialibus Armenorum uni- » torum districtè præcipiendo mandavit, ne deinceps licentias pro hujus- » modi transitu subditis suis, cujuscunque gradûs, et conditionis exis- » tant concedere præsumant ; et Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Præ- » latis Latinis, et eorum Officialibus, ne deinceps Armenos prædictos » unitos ad Latinum Ritum transire volentes quovis prætextu, aut causâ, » etiam cum licentiâ Armenorum Prælatorum suorum recipere audeant » sub pœna nullitatis actûs. Die 2. Aprilis 1669. »

Atque hinc sequitur, primò, Missionarios à Sacr. Congreg. ad Orientales destinatos, teneri ad omnia Latinorum jejunia servanda, sicut etiam reliqua, quæ Latinæ Ecclesiæ disciplina præcipit; cùm sine Apostolicæ Sedis dispensatione Latinæ Ecclesiæ ritum mutare nequeant. Errat ergo Pasqualigus, ut est etiam à Verricello notatum, dum ait, Missionarios inter Orientales degentes non teneri ad jejunia, quæ extra Quadragesimam Latini servant, quod hæc apud Orientales non vigeant, ac fortasse nunquam viguerint. Nam præterquam quòd Latinum Ritum, qua parte possunt, omninò servare tenentur, ut ex Romanorum Pontificum decretis liquet, tum in citatis à nobis Constitutionibus, tum etiam Sacrarum Congregationum definitionibus, pluries declaratum est, Latinos in Oriente degentes, vigilias, aliaque propria Latinæ Ecclesiæ jejunia servare debere.

Sequitur secundò, non rectè sentire Thomam à Jesu, dùm de Conversione omnium gentium lib. 6. c. 8. v. 2. ait: » Seculares domicilium habentes in Ecclesia Græca, vel » alia Schismaticorum, quales nunc sunt Lusitani multi in » interiori Æthiopia, posse se consuetudini accommodare, » et debere; maximè si sit scandalum, nisi aliàs vellent ipsi » in omnibus Latino more vivere, habeantque ministros » Ecclesiæ Latinæ: nam tunc certum est nullatenùs teneri. » Etenim ex generali consuetudine totius Orbis Christiani, nullus obligatur proprium ritum deserere, quòd nimis durum sit antiquos mores mutare; quamobrem ne Orientales quidem, qui inter Latinos degunt, proprium Ritum mutare coguntur. Nec video in hoc scandalum esse posse ullum, cùm hæc consuetudo notissima sit, ut ex Leonis IX. epistola liquet, quæ est ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, cujusque verba nos suprà retulimus. Præterea à Romanis Pontificibus expresse vetitus est transitus a Latino ad alium Ritum; immo ne Latinæ quidem uxori ad Græcum viri Ritum transire permittitur. Pro iis ergo ea tenenda erit regula, quam Bened. XIV. Const. *Demandatam*, pro Græco-Melchitis præscripsit: scilicet, ubi Latinus necessitate cogente, ob defectum Parochi, et alteriùs Sacerdotis proprii Ritus, Baptismum, aut alia Sacramenta ab Orientali Presbytero recipere eveniat, ille non ideo censendus erit Orientalem Ritum suscepisse, sed omni dubitatione sublatà, Ritum Latinum observare debebit, eumque durante prædità necessitate, in omnibus rebus, quibus potest, et præcipuè in jejuniorum observatione retinere: in omnibus verò integre reassumere tenebitur, statim ac Episcopus, aut Parochus proprii Ritûs advenerit.

Sequitur tertiò, non teneri Latinos, qui in Oriente versantur, etsi ibi perpetuum domicilium stabilierint, jejunia Orientalium more servare: Ecclesia enim neminem ad je-

nia diversarum Ecclesiarum simul cogit. Curare verò debent, ne aliis præsertim pusillis scandalo sint. (1)

CAPUT IX.

De Ritibus Apostolicæ Sedis auctoritate proscriptis, deque iis, qui rejiciendi videantur.

Non omnes hìc recensendos suscipimus ritus, quos Apostolica Sedes etiam ab antiquis temporibus damnaverit; sed eos tantùm, quos in regionibus, in quibus hâc ætate nostra sacræ missiones vigent, adhiberi, aut tolerari posse prohibuit. Primùm verò eos indicabimus, quos in Indiis Orientalibus, præsertim apud Sinenses, et Malabares nec usurpari, nec ferri ullo modo posse definivit. Deindè eos, quos damnavit in Const. quam edidit Benedictus XIV. pro Regno Serviæ, eique finitimis regionibus. Ac demùm illos, qui in aliis missionum partibus tolerari non posse videantur.

(1) Cùm lex quæ obligat ad manendum in proprio Ritu, sit lex Ecclesiastica, quæ cum gravissimo incommodo neminem obligare præsumitur, scilicet in iis circumstantiis, in quibus pia Ecclesia mater filios suos non obligaret, dari potest casus in quo sine peccato aliquis Ritum mutet suum. Ut ex. gr. si uxor Latina in Oriente degens nequeat virum Græcum ad Latinum Ritum trahere, nec cum eo possit pacem servare, si Græco more non vivat, immo gravissima ei molestia sit, poterit etiam sine culpa Græcum ritum sequi; ut etiam à Theologis deputatis in Congregatione Romæ habita coram Eminentissimo Card. de Cremona die 7 Julii 1639. definitum fuisse refert Verricellus tit. 3. qu. 82. Ad permanendum verò in hoc Græco ritu necesse semper esset petere dispensationem à S. Sede Apostolica, quam petere tenetur si potest.

Si maritus ex. gr. Græcus Latinæ uxori molestus sit, in contemptum Latini ritûs, quem servat, eamque ad hunc contemnendum obligare velit, tenetur hæc potius mortem subire, quàm obtemperare viro; quia cùm id cedat in Catholicæ Fidei contemptum grave esset contra Fidei confessionem peccatum. Vide ea, quæ in Tract. de Leg. sunt ab Auctore cit. hac de re explicata. Tunc verò Ecclesia contemneretur cùm vir Græcus Latinæ Ecclesiæ ritum malum esse assereret, in eoque homines æternam salutem consequi non posse; vel cùm Ecclesiæ, aut Apostolicæ Sedis auctoritatem, legemque sperneret, quæ præcipit cum etiam Latinam Græci viri uxorem servare oportere; Ecclesiam verò non contemneret, si uxori molestus esset, eamque derideret, quòd Græcum suum ritum prædiligeret, in eoque ob austeriora quæ servantur jejunia, aut alia, plus Omnipotenti Deo hominem placere posse, affirmaret; id enim non esset Romanam Ecclesiam contemnere, ut patet *ex cap. Novit.* 12. *dist.*

Nulla rituum permixtio, quæ vetita sit, haberetur, si deficiente proprii ritus Ecclesiâ, aut Latinus Minister cum plebe sui ritûs in Ecclesia Orientalium, aut Orientalis in Latinorum Ecclesia, Sacrificium Missæ, aliasque Ecclesiasticas functiones celebraret, « sed urbanitatis officia » exercerentur, vel potiùs præcepta implerentur æquitativi cujusdam » juris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, » quæ jure aliquo præstare jubetur, locus ipsi libenti animo concedatur. » Vide cit. Encycl.

§. 1. De proscriptis Ritibus Sinensibus, et Malabaricis.

Ad Sinenses quod attinet, ritus indicamus Apostolicæ Sedis decretis pluries damnatos, quorumque proscriptionem Clemens XI. Const. quæ incipit, *Ex illa die*, et Benedictus XIV. Const. cujus initium est, *Ex quo singulari*, comprobaverunt. Primò itaque statuitur : « Cùm Deus Optimus Maximus congruè apud Sinas vocabulis Europæis exprimi nequeat, ad eumdem verò verum Deum significandum, vocabulum *Tien Chù*, hoc est Cœli Dominus quòd à Sinensibus Missionariis, et Fidelibus longo, ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse : nomina verò *Tien* Cœlum, et *Xang Ti* Supremus Imperator penitùs rejicienda. »

Secundo. « Idcircò Tabellas cum inscriptione Sinica *King Tien*, Cœlum colito, in Ecclesiis Christianorum appendi, seu jam appensas inibi retineri, permittendum non esse.

Tertiò. « Nulla de causa permittendum esse Christi fidelibus, quòd præsint, ministrent, aut intersint solemnibus sacrificiis, seu oblationibus, quæ à Sinensibus in utroque æquinoctio cujuscunque anni Confucio, et Progenitoribus defunctis fieri solent, tanquam superstitione imbutis. Similiter nec esse permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ Sinico nomine *Miao* appellantur, iidem Christifideles exerceant, ac peragant cæremonias, Ritus, et oblationes quæ in honorem ejusdem Confucii fiunt, tùm singulis mensibus in Novilunio, et Plenilunio à Mandarinis, seu primariis Magistratibus, antequàm dignitatem adeant, seu saltem post ejus possessionem adeptam, qui postquàm ac gradus sunt admissi, evestigio ad Templum, seu ædem Confucii se conferunt. »

Quartò. « Non esse permittendum Christianis in Templis, seu ædibus Progenitoribus dicatis, oblationes minus solemnes eisdem facere, neç in illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios Ritus, et cæremonias peragere : nec oblationes hujusmodi, Ritus et cæremonias coram Progenitorum Tabellis, in privatis domibus, sive eorumdem Progenitorum sepulcris, sive antequàm defuncti sepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri consuetos, unà cum Gentilibus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare, aut interesse. « Immò cùm omnibus hinc indè perpensis, « prædicta omnia ita peragi comperta sint, ut à superstitione separari nequeant, Christianæ Religionis cultoribus nequidem permitti possunt, præmissà publicà aut secretà protestatione, se non religioso, sed civili, ac politico tantùm cultu erga defunctos, illa præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare. »

Quintò. « Permittendum non esse Christifidelibus, Tabellas defunctorum Progenitorum in suis privatis domibus

» retinere, juxta illarum partium morem, hoc est cum in-
» scriptione Sinica, qua Thronus seu Sedes Spiritûs, vel
» animæ N. significetur, immò nec cum alia, qua Sedes,
» seu Thronus, adeoque idem ac priori, licèt magis con-
» tractà, inscriptione designari videatur. Quo vero ad Ta-
» bellas solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse
» illarum usum, dummodò in eis conficiendis omittantur
» omnia, quæ superstitionem redolent, et secluso scandalo,
» hoc est, dummodò, qui Christiani non sunt, arbitrari
» non possint, Tabellas hujusmodi à Christianis retineri eâ
» mente, qua ipsi illas retinent, nec non adjectâ insuper
» declaratione ad latus ipsarum Tabellarum apponendâ,
» qua, et quæ sit Christianorum de defunctis fides, et qua-
» lis filiorum, ac nepotum erga progenitores pietas esse
» debeat, enuntietur. »

Venio ad Malabaricos. Primo prohibentur in baptizandis tam pueris, quam adultis omittere Sacramentalia, jubenturque omnia palàm adhibere; « et signanter salivam, sal,
» et insufflationes, quæ ex Apostolica traditione Catholica
» Ecclesia recepit; et ob recondita in iis sacris cæremoniis
» divinæ erga nos bonitatis mysteria, sanctè, et inviolabili-
» ter custodire. » Ac Missionarii gravis negligentiæ arguuntur, quòd recursum non habuerint ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate dispensandi circa usum prædictorum Sacramentalium, declaraturque, malè se gessisse Episcopos, concedendo hujusmodi dispensationem inconsultâ Apostolicâ Sede. Hæc dispensatio concessa fuit ad decennium à Clemente XII. atque ad aliud decennium prorogata à S. M. Bened. XIV. anno 1744. « Omnibus tamen Missiona-
» riis districtè præcipiendo, ut hac dispensatione benignè
» à S. Sede indultâ, nonnisi certis in casibus, et cùm gra-
» vis id necessitas postulabit, de quo eorum conscientia
» oneratur, utantur, nec nisi in prædictis casibus salivæ
» usum in administratione baptismatis possint omittere, et
» occultas adhibere insufflationes; modo ii, qui se bapti-
» zandos offerunt, in ea non sint opinione, ut credant sali-
» vam, atque insufflationes hujusmodi ineptam esse, atque
» indecentem Sacramentalis Ritus materiam; qui enim adeò
» falsâ, atque distortâ persuasione imbuti essent, tanquàm
» indigni et incapaces Sacramenti Baptismatis licitè susci-
» piendi, ab eo repellendi essent. »

Secundò. Statuitur ne Christianis nomina imponant Idolorum, vel falsæ sectæ Pœnitentium, atque, *curent quantum fieri potest, ut*, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem baptizando à Baptizante nomen imponatur alicujus sancti in Martyrologio Romano descripti.

Tertiò. Monentur, ne Baptisma infantium, ex Christianis

parentibus ortorum, diù protrahatur, non sinè maximo dictorum Infantium salutis discrimine; « Sed sacrorum » Canonum memores, terminum breviorem, quàm fieri » possit, attentis circumstantiis, Genitoribus præsignent, » graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra » præfixum tempus ad Ecclesiam deferant Sacro Fonte » abluendos.

Quartò. Prohibetur contrahi matrimonium juxta morem regionis ab Infantibus sex, aut septem annorum, « ex Ge- » nitorum consensu, qui Matrimonium indissolubile de præ- » senti contrahant per impositionem Taly, seu aureæ Tes- » seræ nuptialis Uxoris collo pensilis, et ne hujusmodi » matrimonia irrita inter Christianos fiant, neque sponsos » ità conjunctos cohabitare sinant, donec completà legitimà » ætate, et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiæ » verum et Canonicum matrimonium contraxerint, juxta » formam à Concilio Tridentino præscriptam in locis, in » quibus decretum (dicti Concil. in cap. 1. sess. 24. de Refor. » Matrim.) publicatum est, et in posterum publicabitur, » neque ejus observantia sit impossibilis. »

Quintò. Prohibentur Christianæ mulieres ad collum appensum deferre *Taly*, quod imaginem licèt informem præsefert Pulleyaris, seu Pyllejaris Idoli nuptialibus cæremoniis præpositi, « et ne Uxores innuptæ videantur, uti pote- » runt alio Taly, vel Sanctissimæ Crucis, vel D. N. Jesu » Christi, vel B. M. V. vel aliâ quavis Religiosâ Imagine » ornato. »

Sexto. Declaratur, superstitione non carere funiculum centum et octo filis compositum, et croceo succo delinitum, quo plerique dictum *Taly* appendunt; quamobrem *prohibetur dictorum filorum numerus, et unctio.*

Septimò. Interdicuntur cæremoniæ Nuptiales juxta harum Regionum morem, « cùm undique noxiâ Gentilitatis labe » scateant, et difficillimum sit, eas à superstitiosis expur- gare. » Quamobrem Missionariis, eorumque superioribus injungitur, ut novis adhibitis diligentiis superstitiosa omnia a dictis cæremoniis expungant, » et signanter, præter sta- » tutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, » ramus arboris Aresciomara omninò auferatur, ferculo- » rum numerus, non minùs ac cibi præscripta qualitas va- » rietur: circuli super caput sponsorum ad tollenda malefi- » cia omittantur; et quod de ferculis dictum est, de luteis » vasis ibidem adhiberi solitis dictum et prohibitum intel- » ligatur. »

Octavo. » Fructus vulgò dictus Cocco, ex cujus fractione » prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temerè du- » cunt, vel omninò à Christianorum nuptiis rejiciatur, vel » saltem, si illum comedere velint, non publicè, sed » secretò et extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evan-

» gelicâ luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento » sunt immunes. »

Nonò. « Decernitur, non licere Animarum Pastoribus, » nec per se ipsos, nec per Catechistas, nec per alios quos- » cunque mulieribus menstruali morbo laborantibus prohi- » bere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium, du- » rante dictâ infirmitate, et dictæ purificationis tempore. »

Decimò. Prohibentur festivæ gratulationes, quæ in prima puellarum purgatione ibi fieri solent, Missionariisque injungitur, » ut non solùm eas, verùm etiam Genitores moneant, » quàm dissona sit virginei pudoris legibus ejusmodi obs- » cœna consuetudo, quæ à Gentilium impudentia videtur » inducta, ut i a labefactet i puellarum verecundiâ eas effre- » natè ad libidinem provocare valeant. »

Undecimò. Statuitur ne hominibus abjectæ et infimæ conditionis, vulgò dictis *Pareas* qui Christiani sint, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii : et ne ingravescentibus morbis cum gravissimo vitæ corporalis periculo, ii æternæ consulere cogantur, « Missionariis præcipi- » tur, ne infirmos hujusmodi conditionis ad Ecclesiam » deferendos exspectent, sed consultiùs domos ubi ægro- » tant, pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis ser- » monibus et precibus, Sacramentorumque pabulo recrean- » dos, atque demum eos in extremo vitæ discrimine consti- » tutos sancto infirmorum Oleo deliniant absque perso- » narum aut sexûs acceptione, damnaturque expressè » quæcunque praxis huic Christianæ pietatis officio contra- » ria. » Præterea monentur idem Missionarii, « ne ad Bap- » tismum admittant Indos, qui in ea sunt opinione, Pareas » à Deo esse reprobatos, et ideò nullam posse sperare salu- » tem, nisi eam opinionem deposuerint. »

Duodecimo. Prohibentur Christiani Tympanorum pulsatores, Tibicines, vel alterîus cujuscunque instrumenti musici sonatores, « ne in posterum audeant, nec in Pagodis, » nec extra, tum occasione sacrificiorum, tum quarum- » cunque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum so- » nare, aut canere, sub pœna excommunicationis latæ sen- » tentiæ; de qua Missionarii non solùm eos monere tene- » buntur; verùm etiam illam omnino executioni demandare, » et contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde » resipiscant, et publicis pœnitentiæ signis patratum scan- » dalum emendaverint. »

Tertiodecimo. « Declaratur Pontificiam constitutionem » Gregorii Papæ XV. incipien. *Romanæ Sedis Antistites*, ad » petitionem PP. Societatis Jesu editam, qua indigenis Chris- » tifidelibus lavacra non aliâ occasione, et fine, quàm cor- » poris reficiendi, et à naturalibus sordibus mundandi, ab » Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore, et » modo, quibus à Gentilibus adhiberi solent, æquè afficere

» Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat sub » quacunque alia causa, et fine, etiam ad effectum, ut » existimentur Sanias, seu Brachmanes præ cæteris dediti » hujusmodi ablutionibus, illis uti præsertim statutis eorum » horis, et ante, vel immediatè post quamcunque sacram » functionem. »

Quartodecimò. « Prohibetur, cineres ex Vaccæ stercore » confectos, et impiam Gentilium pœnitentiam à Rutren » institutam redolentes benedicere, eosque fronti Sacro » Chrismate delinitæ impigere, sive quæcunque alia signa » albi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in » fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte » utuntur, deferre; præcipitur verò, ut Sanctæ Ecclesiæ » consuetudò, pliique Ritus Cineres benedicendi, illisque » Christianorum caput Cruce signandi ad humanæ infirmi- » tatis memoriam recolendam, religiosè serventur, tem- » pore, ac modo ab Ecclesia præscripto, scilicet feriâ quartâ » Cinerum, et non aliàs. » Hæc tum ab aliis Summis Pontifi- cibus, tum à Bened. XIV. Const. quæ incipit, *Omnium sollici- tudinum*, definita sunt.

§. 2. Recensentur ea, quæ proscripta sunt in Const. Benedicti XIV. *Inter Omnigenas*, quæ est pro Incolis Regni Serviæ, et finitima- rum Regionum.

Primò universim prohibet, ne ad occultandam Christianæ Religionis professionem Christiani quidquam faciant, quod præ se professionem ferat Mahumeticæ sectæ, scilicet, ne Circumcisionem suscipiant: nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent, per labia sua assumant: abo- minanda infidelium Templa, quæ *Moscheas* vocant, fre- quentent; neve Ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanent, eo fine, ut Mahumetani credantur. « Quòd » hæc omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri ne- » queant sine Mahumetis errorum simulatione. »

Secundò, damnant usum sepeliendi Christianorum cada- vera in Turcarum sepulturis, cum Turcarum assistentia, et Mahumetanis ritibus.

Tertiò, qui hujusmodi decretis non pareant, incapaces declarantur Sacramentorum in vita, et si impœnitentes de- cesserint, suffragiorum post mortem, pœnisque subjician tur Canonicis Ministri illi, qui hos ad Sacramenta admittere præsumant.

Quartò, à Sacramentis quoque arcendæ jubentur mulie- res, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admissæ, vitam ibi agant ab omni religionis exercitio re- motam, etiamsi interiùs se fidem profiteri asserant, *quia fides sine operibus mortua est.*

Quintò, dùm mulieres anteà dictæ filios Parochis bapti- zandos exhibeant, si eorum vitæ periculum imminere videa-

tur, sacro lavacro abluere non dubitent, admonitis matribus, ut si filii convaluerint, ipsos in Christiana Religione sedulò educare procurent, Si verò filii validi sint, nihil Pontifex Summus expressè decernit, sed hortatur Ministros, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritûs Sancti, juxta illius dictatum, et prudentiæ suæ dictamina se gerant. Hos verò, « si ad baptismum admitti posse crediderint, matri» bus inculcare jubentur districtam obligationem, quam » habent hujusmodi Ecclesiæ filiis, si ad rationis usum per» venerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in dis» ciplina, et correptione Domini educare. »

Sextò, irrita atque nulla declarat matrimonia, quæ vel coram solo Turcarum Judice, *Caddi* dicto, vel per solos sponsos, et non ad præscriptum contrahuntur Concilii Triden., quòd in illis partibus publicatum, usuque receptum est: atque adeò eos, qui ita contraxerint, si convivant, tanquam in illicito concubinatu versari; arcendosque a Sacramentorum communione, *nisi de præterito pœnitentiam agant, et justo matrimonio in facie Ecclesiæ jungantur.*

Septimò, « Matrimonio à fidelibus ritè contracto, eisdem » minimè permittit, ne quidem ob causam uxorum à Tur» carum raptu servandarum, idem coram Caddi per Procu» ratorem Turcico ritu renovare; nisi tamen Mahumetanus » nuptiarum ritus sit mere civilis et nullam Mahumetis in» vocationem aut aliud quodcunque superstitionis genus » includat. »

Octavò, Proclamationes à Tridentino statutas, quæ in Concilio Albano Parochis Serviæ præscribuntur, ademptâ dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem, cùm fieri potest, observari præcipit.

Nonò, declarat non dissolvi matrimonium per uxoris fugam, et nuptias ab ea cum Turcis contractas; adeoque si vir deinceps nupserit, in concubinatu versari. Nec Sacramentorum capaces esse mulieres Christianas, vel vi à Turcis raptas, vel à puellis nuptas, quandiù in hoc concubinatu versantur, etiamsi a Turcis justæ Uxoris loco habeantur.

Decimò, jubet Episcopis et Missionariis, ne facultatibus sibi ab Apostolica Sede communicatis, inconsultò, vel erga immerentes utantur, neve terminos suæ potestatis transiliant; quamobrem vetat, dispensationem ullam concedi Mahumetanos ritus simulantibus, « vel iis in casibus quibus » matrimonia juxta Ritum Ecclesiæ Catholicæ, et validè, et » sanctè celebranda non esse prævideriut. » Atque monet inter facultates eis communicatas, non reperiri facultatem « dispensandi super impedimento publicæ honestatis, pro» veniente ex matrimonio rato, quod alias inter alterutram » partem, et alteriùs consanguineum in primo gradu, inter» cesserit; sed ante consummationem, vel morte, vel ali» ter legitimè solutum fuerit. »

Undecimò, præcipit « in celebratione nuptiarum observari tempora ab Ecclesia præscripta: » non vetat verò iis temporibus nuptiis interesse officii causâ, quæ à Turcis celebrentur, si sine scandalo, et Creatoris injuria fiat, ac dummodo in iisdem nihil fiat, quod superstitionem redoleat.

Duodecimò, vetat cognationis spiritualis gradus ultra illos extendi, quos Trid. Synod. præscripsit; declaratque nullam cognationem oriri « ex assistentia matrimonio præstita, » etiam ad contrahentium invitationem, sicut nec inter eos, » à quibus capilli pueris primò tondentur. »

Tertiodecimò, retineri præcipit Missalis, Ritualis, Cæremonialisque Romani usum, rejectis Ritibus, et precationibus aliunde petitis: cæremonias Baptismi, vel non omitti, vel citò suppleri; atque aquam Baptisterii juxta Ritum Romanum benedici, et in Baptismo adhiberi.

Quartodecimò, in sepeliendis cadaveribus omnes Turcarum superstitiones devitari jubet, « à quibus profectò originem trahunt superstitiosi quidam Ritus: veluti lotiones, » quæ incenso Thure, et certarum precum recitatione, quæ » à Catholica improbantur Ecclesia, peraguntur. »

§. 3. De reliquis Ritibus, qui vel proscripti sunt, vel rejiciendi videntur.

Hactenùs ritus recensuimus, qui proscripti sunt in Constitutionibus, quæ circa ritus Sinenses et Malabaricos, ac circa abusus illos prodierunt, qui in Christianam religionem irrepserant in Regno Serviæ finitimisque Regionibus. Nunc abusus illos recensebimus, quos Auctores apud alias gentes vigere referunt. Initium autem sumimus ab Abyssinis, dicemusque de reliquis ordine.

Abyssini, seu Æthiopes Circumcisionem adhibent, quam apud Ægyptios quoque nonnullos in usu esse, Auctores testantur. Supremæ Inquisitionis decreto anno 1657. statutum fuit: « non esse quocumque prætextu tolerandam circumcisionem. Pastores verò corrigere oportere subditos, quantum possunt, contumacesque arcendos esse à communione. » Et quidem jure atque merito; nam circumcisio ab hujusmodi gente adhibetur, vel ut Hebræorum, aut Mahumetanorum cæremonia est, vel ut Christum, qui circumcisus fuit, imitentur, sive, ut alii malunt, in signum honoris et nobilitatis, ut ostendant se ex Davidica gente originem trahere. At nullo ex iis modis Circumcisio licita esse potest: Ut enim Hebræorum, vel Mahumetanorum est cæremonia, ritus falsus est, vel falsæ religionis tessera, ut ex dictis liquet; A Christo Domino adhibita fuit, ut cæremonia legalis; hæc autem cæremonia Christianis prohibita est. Hinc S. Th. in 4. dist. 1. q. 2. art. 5. q. 3. ad tertium ait: « non posse honestari usum Circumcisionis ex quocumque fine honesto, » quia ex prohibitione factus est malus: Et actus malus non

» honestatur propter bonam intentionem. » Igitur ne quidem in signum nobilitatis usurpari poterit. (1)

Refert Thomas a Jesu Abyssinos in festo Epiphaniæ quolibet anno post benedictionem aquæ, mares fœminasque ter in aquam mergere prolatâ etiam baptismatis formâ. Hæc etiam cæremonia abusus est : abluere enim hominem proferendo baptismatis a Christo instituti formam, vel est baptismum conferre, aut baptismum simulare. Nefas autem est baptismum a Christo Domino institutum aut iterare aut fingere. Aiunt, se id facere in memoriam baptismatis Christi. At etsi liceat vel simplici ablutione, vel aliâ ex arbitrio institutâ cæremoniâ, Christi baptismum in memoriam revocare, nullo modo licitum esse potest pro hac cæremonia Sacramentum usurpare a Christo Domino pro animarum regeneratione institutum, quod iterari non licet, quodque sine injuria fingi, seu simulari non possit.

Ægyptii, ac Syrorum plerique in eo errore versantur, ut ante determinatum tempus, hoc est ante definitivum certum dierum numerum, nefas putent parvulos baptizare; quamobrem plures perire sinunt sine necessario ad salutem consequendam remedio. Accedit etiam, quod falsò credant, nunquam licere Laicis baptizare, aut validum non esse collatum ab ipsis baptisma.

Supra citatus Thomas a Jesu inter Jacobitas nonnullos esse refert, qui Baptizatorum fronti ferro candenti crucem imprimunt. Hæc autem cæremonia omnino rejicienda videtur. Nam præterquam quòd ardorem reddit omnibus ad salutem necessarium remedium, Seleucianorum redolere videtur hæresim ab Ecclesia damnatam, quæ etiam igne homines baptizandos esse contendebat.

Inter Syros quoque, Nestorianos plures vigere abusus, ritusque damnandos narrat Assemanus in sua Orientali Bibliotheca : scilicet horum nonnulli Baptismati Circumcisionem addunt; et qui peccatum originale negant, dum pueros baptizant, exorcismos omittunt, quos adultis tantùm convenire posse arbitrantur, in quibus reperiri potest peccatum. Rursus pueros morti proximos solo oleo consignant, ac inter eos nonnulli sunt, qui eos iterum baptizant, qui aliâ aquâ, præter eam, quæ oleo unctionis consecrata fuerit, baptizati sint. Inepte pariter credunt, pollui aquam baptismatis, sacrum oleum, vasa sacra, et alia hujusmodi, si à Laicis, vel à Sacerdotibus, qui jejuni non sint, tangantur: item pollui quoque credunt Altaria, si ad ea vel mulieres, vel Laici, aut Clerici Sacerdotesque non jejuni accedant;

(1) Si verum est, quod nonnulli narrant, Ægyptios nonnullos tum masculos tum feminas circumcidere, naturâ id exigente, quæ sine Circumcisione ad propria obeunda munia inepta foret, nihil reprehendi poterit, sed curandum unicè erit, ne ex hac Circumcisione scandalum alii patiantur, neve superstitionem involvat.

immò et Ecclesiam ipsam, si quis in eam sine calceis ingrediatur. At vanæ ineptæque credulitates sunt, ut vana credulitas appellatur Constitutione supracitatà *Demandatam*, *etc.* fides illa Græcorum, qui putant jejunium frangere Sacerdotes, si dum Sacrum faciunt, vestibus utantur, quas antea alter Sacerdos adhibuerit, vel si in Altari celebrent, in quo eodem die Sacerdos alter celebraverit. Hæ itaque, hisque similes cæremoniæ, quæ ad Dei augendum promovendumque cultum non conferant, sed ineptas potius in hominibus credulitates foveant, sunt omnino à sacris Officiis rejiciendæ, ut quisque ex iis, quæ Cap. 1. et 2. disputavimus, facile intelligere poterit.

Armeni Schismatici, ut Capite sexto diximus, dùm Sacrum faciunt, aquam cum vino non miscent, eaque omissione Jacobiticam hæresim profiteri creduntur. Hinc Apostolica Sedes nunquam Armenis, qui ad unionem cum Ecclesia Romana venerint, permittere voluit, licèt enixè petierint: ut ad vitandam Schismaticorum persecutionem, aut alia de causa aquæ cum vino mixtionem in Missæ sacrificio omitterent; sed præcepit semper, ut juxta Ecclesiæ præceptum, dum Sacrum faciunt, aquam cum vino misceant, idque non in *Sacristia*, nec clanculum, sed palam et publicè, ut in eorum Missali ab Apostolica Sede probato præscribitur. Exstant hac de re decreta sacræ Congregat. de P. F. 30 Januarii 1655. et Supremæ Inquisit. 1740. Ejusdem Congregat. de P. F. decreto 30. Januar. 1655. statutum fuit: Non licere Armenis ad Romanam Communionem venientibus, Trisagio quo uti solent in sacris Officiis, addere, *qui passus est pro nobis*. Vide quæ hac de re explicavimus Cap. 6. ubi de Jacobitis egimus.

Antequam Græcorum ritus improbatos, suspectosque recenseam, nonnulla indicare operæ pretium duco, quæ Nicolaus Papa I. *in resp. ad Consult. Bulgar.* superstitiosa, aut superstitionis suspecta declaravit. Primùm itaque ad ciborum delectum, quod spectat, veluti superstitiosam rejecit illorum opinionem, qui ut *animalia sive volatilia* comederent, inquirendum putabant num ferro, aut ictu hominis percussa mortua essent; quod nefas crederent ictu percussa, ac sine sanguinis effusione occisa comedere, num. 90. Distinctionem quoque inter munda, et immunda animalia, de medio per Evangelium sublatam fuisse declaravit, num. 45. ideoque sine superstitione servari non potuisse, si aut naturâ suâ quædam immunda putarentur, aut vigere adhuc crederetur lata per Mosem lex. Addit etiam num. 57. ferri neutiquam potuisse frivolam illorum Græcorum credulitatem, qui sine peccato comedi non potuisse opinarentur mactata ab Eunuchis animalia. Deindè observationes diei, et horarum in incipiendis, exercendisque negotiis, ut incantationes, et joca, ac carmina, et nonnulla auguria exercere, pompas, operationes-

quæ diaboli esse declaravit, quibus in Baptismo abrenuntiavimus. Rursus usum lapidis, quo ad corporis sanitatem recuperandam uti consueverant antequam Christiani essent, veluti superstitiosum prohibuit num. 62. Item morem aperiendi clausum codicem particulâ ligni, quâ aperitione scire se posse putabant, quod cuperent, n. 77. Ac demum delationem ligaturæ è gutture pendentis pro infirmitate curanda, ac phylacteria, veluti dæmoniacis inventa versutiis, rejecit atque damnavit.

Inter proscriptos Græcorum abusus in sacris cæremoniis, nonnulli falsi ritus occurrunt, quos Cardinalis de Torres, Archiepiscopus Montis-Regalis, in quadam Diœcesana Synodo damnavit. Primum itaque usum interdixit *Sinaxarii* quod recitare solebant post lectionem sextam Sabbati ante Dominicam Sexagesimæ, quia error in eo continebatur jam ab Ecclesia damnatus de animabus non recipiendis in cœlum, neque ad æternas ablegandis pœnas ante extremi judicii diem. Deinde vetuit ne olfacium fieret impii Gregorii Palamæ Archiepiscopi Thessalonicensis. Ac demum acclamationes quasdam censura perstrinxit, quibus eidem Palamæ, ac scelestissimo Photio plaudebant, ut refert Bened. XIV. de Synod. Diœc. lib. 6. c. 5

Præter ea, quæ diximus, nonnulla quoque recensere placuit, quæ ab Apostolica Sede statuta sunt pro tollendis nonnullis, qui apud Græcos vigent, abusibus, quo faciliùs sacri Ministri possint certam sibi constituere regulam, quâ abusus reliquos cognoscere, eosque è medio tollere valeant. Primò itaque statutum est, ne Sacerdotes celebrare audeant, quin, dum opus sit, Sacramentalem confessionem juxta Tridentinæ Synodi præscriptum anteà præmiserint, et ne pueris Altari servientibus Eucharistia concedatur, quin ii, qui ratione polleant, eamdem confessionem præmiserint. Secundò, ne permittatur mulieribus Altari servire, sive administrare. Tertio, ne Monachi, vel alii iter agentes, ut à periculis liberentur sive ex alio prætextu sacram ad collum appensam secum ferant Eucharistiam, neve eamdem domi, sive in propria cella retineant. Quartò, non esse Eucharistiam toto anno in Ecclesia servandam, et si in fine anni habeatur, consumi oportere; ac tollendum omnino abusum tundendi, vel miscendi cum sacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Eucharisticas feriâ V. in Cœna Domini, ut deinceps asseruentur. Quintò, ut Sacramentum Eucharisticum, quod pro infirmis conservatur in Ecclesiis, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur. Sextò, ne viri, et uxoris simul, et eodem tempore confessio ab eodem Sacerdote excipiatur. (1)

(1) *De communicatione in divinis cum Hæreticis, et Schismaticis.* Etsi Schismatici, et Hæretici nonnulla Christianæ Religionis dogmata profitentur, Sacramenta valide plerumque administrant, ac ritus nonnullos habent

cum Orthodoxis communes, tamen cum ipsis in Religionis functionibus communicare non licet : ne unitate cultûs, venerationis, ac precum cum iis uniti, qui tanquam putrida membra ab Ecclesiæ corpore abscissi sunt, atque evulsi, Orthodoxæ Fidei renuntiare, atque Schisma, vel Hæresim probare, et sequi videamur. Sed ut Catholicæ Religionis Ministri, qui orthodoxos instruunt, et regunt in Hæreticorum, Schismaticorumque regionibus commorantes faciliùs intelligant nullo prætextu, nullaque humanâ auctoritate communionem hanc posse permitti, ne quidem cum Schismaticis, et Hæreticis Orientis, qui nominatim non sunt denuntiati, primùm motiva illa indicabimus, quibus communicatio hujusmodi jure naturali, et divino prohiberi demonstratur : deindè verò hæc generalia principia ad particulares casus applicabimus, in quibus supremæ Inquisitionis decretis definitum est, communionem hanc esse omnino devitandam.

Primò itaque certum est, nullo modo licere exterius orthodoxam fidem negare, vel falsam sectam simulare, etiamsi interiùs recta fides animo retineatur. At, qui cum Hæreticis, et Schismaticis in Religionis actibus communicant, exterius orthodoxam fidem negant, vel falsam sectam simulant : quippe cum Hæreticis, vel Schismaticis in sacris peragendis communicando, hujusmodi communione, facto ostendunt suo, sese Orthodoxæ Religioni, à qua illi rejecti sunt et avulsi, renuntiare, atque eorumdem sectam approbare : aut saltem hæreticæ, vel schismaticæ communionis exteriùs sese manifestant, et simulant.

Secundò, quidquid proximo peccandi occasionem præbet, malum de se est, sive naturali lege prohibitum. Communicans autem in divinis cum Hæreticis et Schismaticis proximo occasionem peccandi præbet : nam Hæreticis, vel Schismaticis occasio est, ut credant ipsum probare tanquam veram eorum sectam, et fidem, quo fit, ut magis in errore confirmentur à Catholicis : occasio est, ut putent fidem orthodoxam negasse : ac præterea exemplo suo etiam simpliciores ad communicandum allicit, in quibus maximum est subversionis periculum.

Tertiò, periculum perversionis quisque vitare tenetur : communicatio verò in divinis cum Hæreticis, et Schismaticis rarò à perversionis periculo sejuncta est. Vix enim fieri potest, ut ob frequentem hujusmodi communionem ex animo aversionem illam non abjicianus, qua hæresim, aut schisma detestari tenemur. Atque ex historia Missionum constat, ob hanc communionem plures præsertim in Oriente perversos esse. Accedit etiam, quod hujusmodi communio rarò in Oriente haberi potest, quin communicetur vel in ritu schismatico, et hæretico aut in actibus potestativis falsæ sectæ. Nam Schismaticorum, atque Hæreticorum hujusmodi Ecclesiæ vel dicatæ sunt Schismaticis, sive Hæreticis quos impiè colunt ut Sanctos ; vel horum imagines, atque reliquias habent, vel festa in istorum honorem celebrantur, vel denique in sacris liturgiis inter Sanctos recensentur. Præterea in iisdem liturgiis commemoratio fit viventium Episcoporum, et Patriarcharum, qui Schismatici, vel Hæretici sunt, iique tanquam eximii orthodoxæ fidei prædicatores laudantur. Atque hinc patet quàm difficile sit cum hujusmodi Schismaticis, et Hæreticis in divinis communicare, quin vel in ritu communicemus schismatico, et hæretico, vel in actibus, qui schismatis, et hæreseos protestativi sint. Si qua par est attentione expendatur, quodlibet ex indicatis motivis per se sufficiens esse, ut omnino illicita sit communicatio in divinis cum Hæreticis, et Schismaticis, facilè quisque intelliget, nunquam in casu practico, ut aiunt, posse esse licitam. Qui fieri potest ut cum Hæreticis in sacris functionibus conveniamus, quin, vel occasio adsit periculi subversionis, vel occasio scandali, vel communicatio in ritu Schismatico, et Hæretico, vel approbatio quædam exterior, et simulatio falsæ sectæ : aut saltem, quin aliquis honor deferatur falsæ, et omnino detestandæ sectæ ? Atque hinc patet jure, atque merito, Sac. Cong. semper hujusmodi communicationem improbasse, ac semper ab dubia hac super re proposita respondere, *Non licere.*

Hæc satis sunt ad ostendendum illicitam esse hujusmodi communionem, nec ullâ posse humanâ auctoritate permitti; sed pro majori Missionariorum instructione decreta nonnulla indicabimus Sacr. Cong. quibus in casibus ab iisdem propositis omnino illicita decernitur.

Primo itaque Sac. Cong. Suprem. Inquis. die 5. decembris 1666. jussit, ut scriberetur Episcopo Tribunit: *Episcopus manuel Catholicos sibi subjectos, ne accedant ad missas, et alia officia divina in Ecclesiis Schismaticorum, eosdemque moneat in casu carentiæ missæ Catholicorum non teneri præcepto missam audiendi.* Et petentibus PP. Cappucinis Constantinopoli commorantibus : *An eodem decreto, quo prohibetur Catholicis Schismaticorum Missis, et eorum orationibus interesse, intelligatur etiam pro ipsismet locis, in quibus non reperiantur Sacerdotes Catholici, et de orationibus nihil contra fidem, et ritum Catholicum continentibus?* Eadem Sacr. Congreg. respondit *Affirmative* die 7. augusti 1704. Eodem modo ad similia dubia respondit Ann. 1710. 6. augusti, quæ pro Armenis Catholicis fuerant proposita.

Secundo. In Hæreticorum, et Schismaticorum Ecclesias, Oratoria, et Conventicula convenire non licet Divini cultus causâ, sive ad audiendas Hæreticorum conciones, vel vitandæ persecutionis, aut cujusvis damni gratiâ; vel ex curiositate; aut etiam animo delegendi eorum errores, quo faciliùs confutari queant. Vetuit hæc Paulus V. Cal. octob. ann. 1696. Epistola data ad Catholicos Anglos. Et Sac. Cong. Suprem. Inquis. die 27. maii 1671. decrevit nullo modo licere Catholicis hæreticorum concionibus interesse, neque militibus, *testimonium frequentationis concionum Hæreticorum exhibere, ut stipendia recipiant; et nisi ab iis abstinent, non esse dispositos ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

Tertio. Non licet Sacerdotibus Catholicis in Ecclesiis Hæreticorum, vel Schismaticorum sacrificium Eucharisticum, vel divina officia celebrare. Sacra Cong. de Prop. Fide 21. maii 1627. *Censuit non debere Missionarios divina celebrare in Ecclesiis, in quibus Hæretici sua profana, et sacrilega exercitia habent; at tamen Catholicis fiat satis, super altaribus portatilibus in privatis domibus positis sacrum peragendum esse.* Et 13. augusti 1627. *Mandavit scribi Archiepiscopo Sadicensi, ut provideat ne in Ecclesia S. Joannis de Cartola diœcesis Cattanensis Catholici cum Græcis schismaticis divina celebrent; nam quamvis altaribus diversis utantur, tamen propter Ecclesiæ identitatem est communicare cum Schismaticis in divinis.* Neque licet permittere Hæreticis, et Schismaticis, ut in nostris Ecclesiis celebrent, licèt *amota prius sit petra sacrata.* Ex cad. Cong. die 26. sept. 1695.

Quarto. Non licet extra casum necessitatis Sacramenta ex Hæreticis recipere; est enim iis jurisdictionem tribuere, qua carent, atque iisdem ut veris Ecclesiæ Ministris honorem deferre. Hinc Sac. Congreg. Suprem. Inquis. die 26 septemb. 1668. definivit, non licere Catholicis Hollandiæ proles suas Hæretico Ministro baptizandas offerre, ne cogantur mulctam 25. florenorum fisco solvere, neque ex iis Calvinisticam cœnam sumere, quanquam animo eam quidpiam profanum censerent. Die 20. julii 1708. decrevit, Catholicis Armenis Alippi non licere, ne quidem semel in anno, sumere Communionem Eucharisticam à Sacerdotibus Armenis Schismaticis. et 1709. die 28. augusti, statuit *Nullo modo licere ex Episcopo Schismatico Sacros Ordines suscipere, atque ordinatos ab hujusmodi Episcopis esse irregulares, et suspensos ab exercitio Ordinum.*

Quinto. Non licet Schismaticorum funus comitari, ex decreto 30. martii 1628. neque operam suam cum iisdem conferre ad sepeliendum cadaver Schismatici, vel Hæretici in Ecclesia Catholicorum, vel etiam Catholici juxta ritum Schismaticorum, ex Suprem. Inquisit. Decret. 23. julii 1609., et 6. Novemb. 1647. Nec denique orare cum Schismaticis pro eorum defunctis; id enim est probare schisma ostendendo in eo, sive extra veram Ecclesiam esse spem æternæ salutis, atque honorem Schismaticæ sectæ deferre.

Nota. Hæc pauca circa proscriptos ab Apostolicâ Sede Ritus, abususque damnatos indicasse sufficiat. Ex iis enim facile est cuique intelligere, Apostolicam Sedem damnare Ritus omnes, qui vel idololatriam, vel hæresim redoleant, sive ex animo, sive simulatè adhibeantur, ac eos qui vani, inutilesque sint; et abusus omnes proscribere, qui in Sacramentorum administratione ubique gentium occurrant, hoc est, Ritus consuetudinesque, quæ cum debita Sacramentis veneratione minime cohæreant.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

S. D. N. LEONIS D. P. PAPÆ XII.

QUIBUS SECTÆ OCCULTÆ ET CLANDESTINÆ DAMNANTUR

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quo graviora mala Christi Dei et Servatoris Nostri Gregi imminent, eò majorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in Beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi et regendi potestas, et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiæ specula positi sint, longiùs prospicere insidias, quas Christiani Nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen nunquam assequentur) exterminandam, easque tum Fidelibus indicare et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate suâ avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices Prædecessores Nostri vigilias Boni Pastoris perpetuò vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsâque animâ dàtà pro ovibus suis, sectas extremum Ecclesiæ exitium minantes prohibendas et penitùs delendas curarunt. Nec ex Annalium Ecclesiasticorum vetustate tantùm erui potest Pontificiæ hujus sollicitudinis memoria. Quæ Nostra et Patrum Nostrorum ætate gesta sunt à Romanis Pontificibus ut clandestinis hominum adversùs Christum malignantium sectis sese objicerent, id perspicuè evincunt. Ubi enim Clemens XII. Prædecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam *de' Liberi Muratori* sive *des Francs Maçons*, sive aliter appellatam, quam non modò suspectam, verùm etiam omninò Catholicæ Ecclesiæ inimicam multis argumentis certò noverat, eam damnavit luculentâ Constitutione, cui initium *In eminenti*, editâ Quarto Kalendas Majas Anno 1738., cujus tenor is est, qui subjicitur.

« Clemens Episcopus Servus Servorum Dei — Universis » Christifidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem — » In eminenti Apostolatûs specula, meritis licèt imparibus » divinâ disponente clementiâ constituti, juxta creditum No- » bis Pastoralis providentiæ debitum, jugi (quantum ex alto » conceditur) sollicitudinis studio iis intendimus, per quæ » erroribus vitiisque aditu intercluso, Orthodoxæ Religionis

potissimum servetur integritas, atque ab Universo Catholico Orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

» Sanè vel ipso rumore publico nuntiante Nobis innotuit longè latèque progredi, atque in dies invalescere nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula vulgò *de' Liberi Muratori*, seu *de Francs Maçons*, aut aliâ quavis nomenclaturâ pro idiomatum varietate nuncupatâ, in quibus cujuscunque Religionis et Sectæ homines, affectatâ quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto æquè ac impervio fœdere secundùm leges, et statuta sibi condita invicem consociantur, quæque simul clam operantur, tum districto jurejurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium pœnarum exaggeratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

» Verùm cùm ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem, hinc Societates seu Conventicula prædicta vehementem adeò fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem Aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit ac pravitatis, et perversionis notam incurrere: nisi enim malè agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque pervenit, ut plurimis Regionibus memoratæ Societates per seculi potestates tanquam Regnorum securitati adversantes proscriptæ, ac providè eliminatæ jampridem exstiterint.

» Nos itaque animo volventes gravissima damna, quæ ut plurimum ex hujusmodi Societatibus seu Conventiculis, nedum temporalis Reipublicæ tranquillitati, verùm etiam Spirituali Animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum Civilibus tum Canonicis minimè cohærere sanctionibus, cùm divino eloquio doceamur, diu noctuque more servi fidelis, et prudentis Dominicæ Familiæ præpositi, vigilandum esse, ne hujusmodi Hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis, ad latissimam, quæ iniquitatibus impunè patrandis inde aperiri posset viam obstruendam, aliisque de justis ac rationabilibus causis Nobis notis, easdem Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, Aggregationes seu Conventicula *de' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alio quocunque nomine appellatas de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac etiam Motu-proprio et ex Apostolicæ potestatis plenitudine damnanda, et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout præsenti Nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione damnamus et prohibemus.

» Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cujuscunque statûs, gradûs, conditionis, ordinis, dignitatis, et

» præeminentiæ, sive Laicis, sive Clericis, tam Secularibus quàm Regularibus, etiam specificà et individuà mentione et expressione dignis, districtè, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu aut quæsito colore audeat, vel præsumat prædictas Societates *de' Liberi Muratori* seu *Franco Macons*, aut alias nuncupatas inire vel propagare, confovere, ac in suis ædibus, vel domibus, seu alibi receptare, atque occultare, iis adscribi aggregari aut interesse vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive aliàs consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto directè vel indirectè, per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, Cœtibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat, sub pœna Excommunicationis per omnes ut suprà contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, à qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

» Volumus insuper, et mandamus ut tam Episcopi et Prælati, Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique Locorum deputati Inquisitores adversùs transgressores cujuscumque sint gradûs, statûs, conditionis, ordinis, dignitatis, vel præeminntiæ, procedant et inquirant, eosque tanquam de hæresi vehementer suspectos condignis pœnis puniant, atque coërceant: iis enim, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis pœnis coërcendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

» Volumus autem, quòd earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notari publici subscriptis, et sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

» Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo Quarto Kalendas Maii Pontificatûs Nostri Anno Octavo. »

Hæc tamen recolendæ Memoriæ Benedicto XIV. itidem Prædecessori Nostro satis non fuerunt. Pererebuerat enim sermonibus permultorum, latam in Clementis dudum mortui litteris Excommunicationis pœnam jam evanuisse, quòd Benedictus eas Litteras diserte non confirmasset. Erat profectò absurdum contendere superiorum Pontificum leges obsolescere, nisi a Successoribus expressè approbentur, et præterea manifestè patebat a Benedicto sæpiùs Clementis Constitutionem retam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de Sectariorum manibus extorquendam judicavit Benedictus editâ novâ Constitutione cujus initium — *Providas* — XV. Kalendas Aprilis Anno Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo primo, quâ Clementis Constitutionem totidem verbis relatam in formâ, ut aiunt, specifica, quæ omnium amplissima, et efficacissima habetur, confirmavit. Talis verò est Benedicti Constitutio.

« Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei — Ad perpetuam rei memoriam — Providas Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum leges atque sanctiones, » non solùm eas, quarum vigorem, vel temporum lapsu, vel hominum neglectu labefactari, aut extingui posse veremur, sed eas etiam quæ recentem vim, plenumque obtinent robur, justis gravibusque id exigentibus causis, novo » Auctoritatis Nostræ munimine roborandas confirmandasque censemus.

» Sanè felicis recordationis Prædecessor Noster Clemens » PP. XII. per suas Apostolicas Litteras Anno Incarnationis » Dominicæ Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo » quarto Kalendas Majas, Pontificatus sui Anno Octavo datas, et Universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est *In eminenti*, nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, » Collectiones, Conventicula seu Aggregationes vulgò *de' Liberi Muratori*, seu *de Francs Macons*, vel aliter nuncupatas » in quibusdam regionibus tunc latè diffusas, atque in dies invalescentes perpetuò damnavit atque prohibuit, præcipiens omnibus, et singulis Christifidelibus sub pœna Excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium quam per Romanum » Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel præsumeret hujusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, aut alias prout in eisdem Litteris latius et uberius » continetur, quarum tenor talis est videlicet, etc. etc. etc.

« Cùm autem, sicut accepimus, aliqui fuerint qui asserere, ac vulgo jactare non dubitaverint dictam Excommunicationis pœnam a Prædecessore Nostro, ut præfertur, » impositam non ampliùs afficere, propterea quod ipsa » per inserta Constitutio à Nobis confirmata non fuerit, quasi

» vero pro Apostolicarum Constitutionum à Prædecessore
» editarum subsistentia Pontificis Successoris expressa con-
» firmatio requiratur.

» Cumque etiam à nonnullis piis, ac Deum timentibus viris Nobis insinuatum fuerit ad omnia calumniantium subterfugia tollendà, declarandamque Animi Nostri eam ejusdem Prædecessoris mente ac voluntate uniformitatem magnopere expediens fore ut ejusdem Prædecessoris Constitutioni novum confirmationis Nostræ suffragium adjungeremus.

» Nos, licèt hucusque, dum pluribus Christifidelibus de violatis ejusdem Constitutionis legibus verè pœnitentibus atque dolentibus, seque a damnatis hujusmodi societatibus seu conventiculis omnino recessuros et nunquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa Excommunicatione tum antea sæpè tum maximè elapso Jubilæi Anno benignè concessimus, seu dum facultatem Pœnitentiariis à Nobis deputatis communicavimus, ut hujusmodi pœnitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem Nostro nomine, et auctoritate impertiri valerent, dum etiam sollicito vigilantiæ studio instare non prætermisimus ut à competentibus Judicibus et Tribunalibus adversùs ejusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa sæpè præstitum fuit, non quidem probabilia duntaxat, sed planè evidentia et indubitata argumenta dederimus, ex quibus Animi Nostri sensus, ac firma et deliberata voluntas quoad censuræ per dictum Clementem Prædecessorem, ut præfertur, impositæ vigorem et subsistentiam satis apertè inferri debuerant ; siquæ autem contraria de Nobis opinio circumferretur nos eam securi contemnere possemus, causamque Nostram justo Dei Omnipotentis judicio relinquere, ea verba usurpantes, quæ olim inter sacras Actiones recitata fuisse constat — *Præsta quæsumus Domine, ut mentium reprobarum non curemus obloquium, sed, eadem pravitate calcatâ, exoramus ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injustis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potiùs amare, quod præcipis :* Ut habet antiquum Missale, quòd Sancto Gelasio Prædecessori Nostro tribuitur, et à Venerabili Servo Dei Josepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quæ inscribitur *contra obloquentes.*

» Ne tamen aliquid per Nos improvidè prætermissum dici valeret, quo facilè possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere, audito priùs nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Prædecessoris Nostri Constitutionem præsentibus ut suprà de verbo ad verbum insertam in forma specifica, quæ omnium amplissima et efficacis-

» sima habetur, confirmare decrevimus. Prout eam ex certa » scientia, et Apostolicæ Auctoritatis Nostræ plenitudine ea » rumdem præsentium Litterarum tenore in omnibus et per » omnia perinde ac si Nostris Motu-proprio, Auctoritate, ac » Nomine primùm editæ fuissent, confirmamus, roborа- » mus, et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam ha- » bere volumus et decernimus.

» Porrò inter gravissimas præfatæ prohibitionis et dam- » nationis causas in præinserta Constitutione enuntiatas una » est, quod in hujusmodi Societatibus et Conventiculis cu- » jusemque Religionis, ac Sectæ homines invicem conso- » ciantur, qua ex re satis patet, quàm magna pernicies Ca- » tholicæ Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum » et impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in » hujusmodi Conventiculis fiunt, quibus proinde ea senten- » tia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Mi- » nucium Felicem in causa nimirùm diversa protulit: *Ho- » nesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt.* Tertia » est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter » servando adstringunt, quasi liceat alicui cujuslibet pro- » missionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus à le- » gitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur quæ- » cunque exquiruntur ad dignoscendum an aliquid in hujus- » modi Conventibus fiat quod sit contra Religionis, aut Rei- » publicæ statum, et leges. Quarta est, quod hujusmodi » Societates non minus civilibus, quàm canonicis sanctio- » nibus adversari dignoscuntur, cùm scilicet jure civili » omnia Collegia et Sodalitia præter publicam auctoritatem » consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum li- » bro XLVII. Tit. 22. *de Collegiis, ac Corporibus illicitis*, et ex » celebri Epistola C. Plinii Cæcilii Secundi quæ est XCVII. » Lib. X., in qua ait, edicto suo secundum Imperatoris man- » data vetitum fuisse, ne Hetæriæ essent, idest ne Societa- » tes et Conventus sine Principis auctoritate iniri et haberi » possent. Quinta est quod jam in plurибus Regionibus me- » moratæ Societates, et Aggregationes Secularium Princi- » pum legibus proscriptæ, atque eliminatæ fuerunt. Ultima » demum, quod apud prudentes et probos viros eadem So- » cietates et Aggregationes malè audirent, eorumque judicio » quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversi- » nis notam incurrerent.

» Denique idem Prædecessor in præinserta Constitutione » Episcopos, et Superiores Prælatos, aliosque Locorum Or- » dinarios excitat, ut pro illius executione, si opus fue- » rit, brachii secularis auxilium invocare non prætermittant.

» Quæ omnia et singula non solùm à Nobis approbantur, » et confirmantur, eisdemque Ecclesiasticis Superioribus respectivè commendantur, et injunguntur, verùm etiam Nos ipsi pro Apostolicæ sollicitudinis Officio præsentibus

» Nostris Litteris Catholicorum Principum omniumque Secularium Potestatum opem et auxilium quoad præmissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus, » cùm ipsi supremi Principes et Potestates electi sint à Deo » Defensores fidei, Ecclesiæque Protectores, ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut » Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia præstetur, quòd iis in memoriam revocarunt Tridentinæ Synodi Patres *Sess.* 25. *Cap.* 20., multoque anteà egregiè declaverat Imperator Carolus Magnus » suorum Capitularium *Tit. I. Cap.* 2. ubi post demandatam » omnibus sibi subditis Ecclesiasticarum sanctionum observantiam hæc addidit : *Nam nullo pacto agnoscere possumus » qualiter Nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles et » suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis ditionum suarum Præsidibus, et Ministris injungens, » ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiæ » legibus exhibendam omninò compellerent, gravissimas » quoque pœnas adversus eos indixit, qui hoc præstare negligerent, subdens inter alia. *Qui autem in his (quod absit) » aut negligentes, eisque inobedientes fuerint inventi, sciant » se nec in Nostro Imperio honores retinere, licèt etiam filii » Nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque Nobiscum, aut » cùm Nostris Societatem aut Communitatem ullam habere, » sed magis sub districtione et ariditate pœnas luent.*

» Volumus autem, ut earumdem præsentium transsumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis » originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel » ostensæ.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, » invocationis, requisitionis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc » attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, » ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit » incursurum.

» Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno » Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, decimo quinto calendas Aprilis Pontificatûs nostri anno undecimo. »

Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti hæc decreta fecissent, quanti tum Ecclesiæ tum Reipublicæ salus postulabat! Utinam sibi persuasissent in Romanis Pontificibus Beati Petri Successoribus non modò Ecclesiæ universæ Pastores, et Magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores, et diligentissimos periculorum quæ imminent indices suspicere se debere! Utinam potestate illâ suâ usi

essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia his à Sede Apostolica fuerant patefacta! Jam ab eo tempore rem planè confecissent. At cùm, sive sectariorum fraudes suas callidè occultantium, sive imprudentibus non nullorum suasionibus, causam hanc negligendam, vel saltem levissimè tractandam judicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quæ nunquam friguerunt, aliæ complures exortæ sunt multò illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quæ cæterarum princeps in Italia aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa nomine tamen diversos, acerrimè Catholicam Religionem, et Supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandam suscepit. Quâ calamitate ut Italiam, aliasque regiones, imo et ipsam Pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper Pontificio Regimine, illa irrepserat unà cum exteris hominibus ejus invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius Septimus, cui Nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis pœnis damnavit edita Idibus Septembribus anno millesimo octingentesimo vigesimo primo Constitutione, cujus initium — *Ecclesiam à Jesu Christo* —. Hujus etiam exemplum nostris hisce litteris inserendum esse censuimus, quod est ejusmodi —.

» Pius Episcopus Servus Servorum Dei. — Ad perpetuam » rei memoriam. — Ecclesiam, à Jesu Christo Servatore » nostro supra firmam petram fundatam, et adversùs quam » ipsemet Christus promisit numquam portas inferi prævalituras, tot sæpè ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, » ut nisi divina illa, et quæ transire non potest promissio » intercessisset, metuendum videretur ne ipsa illorum aut » vi, aut artibus, aut calliditate circumventa penitus interiret. Quòd verò superioribus temporibus evenit, id etiam » et præcipuè quidem luctuosâ hâc nostrâ ætate factum est, » quæ novissimum illud tempus esse videtur tantò antè ab Apostolis prænuntiatum, quo (*Jude* 18) venient illusores » secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Nec » enim quemquam latet, quanta scelestorum hominum » multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in » unum adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus, qui » id præcipuè curant, ut deceptis per Philosophiam et inanem fallaciam (*Col.* II. 8.) fidelibus, et ab Ecclesiæ doctrina avulsis, ipsam Ecclesiam, irrito licèt conatu, labefactent, et evertant. Quod ut faciliùs assequerentur, eorum plerique occultos cœtus, clandestinasque sectas coëgerunt, ex quibus futurum sperabant ut plurimos in suæ » conjurationis, et sceleris societatem liberiùs pertraherent. » Jampridem Sancta hæc Sedes his sectis detectis, magnâ

» liberâque voce contra eas clamavit, et consilia, quæ clam
» ab iis essent inita contra Religionem, imò et contra civi-
» lem Societatem patefecit. Jampridem omnium excitavit
» diligentiam, ut caverent, ne his sectis id conari liceret,
» quod nefariè meditabantur. Verùm dolendum est his Sedis
» Apostolicæ studiis non cum exitum respondisse, quem
» ipsa spectabat, et scelestos homines nunquam à suscepto
» consilio destitisse; undè consecuta tandem ea mala sunt,
» quæ Nosmetipsi perspeximus : Imò homines, quorum
» superbia ascendit semper, novas etiam secretas societates
» inire ausi sunt.

» Commemorari hoc loco debet societas nuper orta, et
» longè latèque in Italia aliisque in regionibus propagata,
» quæ licèt in plures sectas divisa sit, ac pro earum varie-
» tate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assu-
» mat, re tamen, sententiarum, et facinorum communione,
» et fœdere quodam inito, una est, et Carbonariorum ple-
» rumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem
» observantiam et miriñcum quoddam studium in Catholi-
» cam Religionem, et in Jesu Christi Servatoris Nostri per-
» sonam, et doctrinam, quem etiam societatis suæ rectorem
» et magnum magistrum nefariè aliquando audent appel-
» lare. Verùm sermones hi, qui super oleum molliti viden-
» tur, nihil aliud sunt quàm jacula ad tutiùs vulnerandos
» minus cautos, à callidis hominibus adhibita, qui veniunt
» in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

» Sanè severissimum illud jusjurandum, quo veteres
» Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur se
» nullo unquam tempore, nullove casu, vel patefacturos
» hominibus in societatem non adscriptis quidquam, quod
» eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis,
» qui in gradibus inferioribus versantur, aliquid, quod ad
» gradus pertineat superiores; clandestina illa præterea
» et illegitima conventicula, quæ, more à pluribus Hære-
» ticis usurpato, ipsi habent, et cooptatio hominum cujus-
» cunque Religionis et sectæ in suam societatem, etsi
» cætera deessent, satis persuadent nullam memoratis eo-
» rum dictis fidem haberi oportere.

» Verùm conjecturis et argumentis opus non est, ut ita
» de eorum dictis judicetur, quemadmodum superiùs indi-
» catum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio descri-
» bitur, quæ in Conventibus superiorum præsertim gra-
» duum adhiberi solet; eorum Catechismi, et statuta,
» aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima
» documenta, nec non eorum testimonia, qui cùm eam
» societatem deseruissent, cui antèà adhæserant, ejus erro-
» res et fraudes legitimis judicibus patefecerunt, apertè
» declarant, Carbonarios id præcipuè spectare ut magnam
» licentiam cuique dent, Religionem, quam colat, proprio

» ingenio, et ex suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia
» in Religionem inducta, qua vix quidquam excogitari po-
» test perniciosius, ut Jesu Christi passionem per nefarias
» quasdam suas cæremonias profanent, ac polluant, ut
» Ecclesiæ Sacramenta (quibus nova alia à se per summum
» scelus inventa substituere videntur) et ipsa Religionis
» Catholicæ mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apos-
» tolicam evertant, in quam, quoniam in ea Apostolicæ
» Cathedræ semper viguit Principatus (*S. Aug. Ep.* 43.),
» singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quæque,
» ac perniciosa moliuntur.

» Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta
» sunt, quæ Carbonariorum societas tradit de moribus præ-
» cepta, quamvis confidenter jactet, se à suis Sectatoribus
» exigere, ut charitatem ac omne virtutum genus excolant,
» et exerceant, ac diligentissimè ab omni vitio abstineant.
» Itaque libidinosis voluptatibus impudentissimè ea favet,
» docet licere eos interficere, qui datam de secreto, quod
» superiùs memoratum est, fidem non servaverint; et licèt
» Apostolorum Princeps Petrus præcipiat, ut Christiani
» (1. *Petr.* II. 14.) omni humanæ creaturæ propter Deum
» subjecti sint, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus
» tanquam ab eo missis, etc., jubeatque Paulus Apostolus
» (*Rom.* III. 1.), ut omnis anima potestatibus sublimiori-
» bus subdita sit; ea tamen societas docet integrum esse,
» seditionibus excitatis, reges cæterosque imperantes, quos
» per summam injuriam tyrannos passim appellare audet,
» suâ potestate expoliare.

» Hæc, aliaque hujus Societatis dogmata, et præcepta
» sunt, ex quibus ea exstiterunt in Italia facinora nuper à
» Carbonariis commissa, quæ adeò gravem honestis, piis-
» que hominibus mœrorem attulerunt. Nos igitur, qui spe-
» culatores domûs Israël, quæ est sancta Ecclesia, consti-
» tuti sumus, et qui pro pastorali Nostro munere cavere
» debemus, ne Dominicus Grex nobis divinitus creditus
» ullum damnum patiatur, existimamus in causa tam gravi
» non posse ab impuris horum hominum conatibus cohi-
» bendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis
» recordationis Clementis XII. et Benedicti XIV. Prædeces-
» sorum Nostrorum, quorum alter quarto calendas majas
» anni millesimi septingentesimi trigesimi octavi Constitu-
» tione — *In eminenti* —, alter decimo quinto calendas apri-
» lis anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi
» Constitutione — *Providas* —, damnarunt et prohibuerunt
» societates *dei liberi Maratori* seu *Francs Maçons*, aut alio
» quocunque nomine pro regionum, et idiomatum varietate
» appellatas, quarum societatum fortasse propago, vel certè
» imitatio hæc Carbonariorum societas existimanda est. Et
» quamvis jam duobus Edictis per Nostram Status Secreta-

» riam propositis hanc societatem graviter Nos prohibueri-
» mus, memoratos tamen prædecessores Nostros sequen-
» tes, graves pœnas in hanc societatem solemniori quidem
» ratione decernendas putemus, præsertim cùm Carbonarii
» passim contendant se duabus illis Clementis XII, et Bene-
» dicti XIV. Constitutionibus non comprehendi, nec senten-
» tiis, et pœnis in illis latis subjici.

» Auditâ igitur selectâ Congregatione Venerabilium Fra-
» trum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et de ejus consilio,
» ac etiam Motu proprio, et ex certa scientia ac matura de-
» liberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitu-
» dine prædictam societatem Carbonariorum aut alio quo-
» cunque nomine appellatam, ejus Cœtus, Conventus,
» Collectiones, Aggregationes, Conventicula damnanda,
» et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout præ-
» senti Nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione damnamus
» et prohibemus.

» Quocirca omnibus et singulis Christi fidelibus cujus-
» cunque statûs, gradûs, conditionis, ordinis, dignitatis,
» ac præeminentiæ sive laicis, sive clericis tam secularibus,
» quàm regularibus etiam specificâ, et individuâ mentione,
» et expressione dignis districtè et in virtute sanctæ obe-
» dientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut
» quæsito colore audeat, vel præsumat prædictam Societa-
» tatem Carbonariorum, aut aliàs nuncupatam inire vel
» propagare, confovere, ac in suis ædibus, seu domibus
» vel alibi receptare, atque occultare, illi, et cuicunque
» ejus gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potes-
» tatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convoce-
» tur, eidem aliquid ministrare, seu aliàs consilium, auxi-
» lium, vel favorem palàm, aut in occulto directè vel
» indirectè per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec
» non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut
» hujusmodi Societati, aut cuicunque ejusdem gradui ad-
» scribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quo-
» modolibet juvent, ac foveant, sed omnino ab eadem So-
» cietate, ejusque Cœtibus, Conventibus, Aggregationibus,
» Conventiculis prorsus abstinere se debeat, sub pœna
» excommunicationis per omnes ut suprà contrafacientes
» ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, à qua
» nemo per quemquam nisi per Nos, seu Romanum Ponti-
» ficem pro tempore existentem, præterquam in articulo
» mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obti-
» nere.

» Præcipimus præterea omnibus sub eadem excommunica-
» tionis pœna Nobis et Romanis Pontificibus successoribus
» Nostris reservata, ut teneantur denuntiare Episcopis, vel
» cæteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic
Societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quæ
» commemorata sunt, se inquinasse.

» Postremò, ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus, et proscribimus omnes Carbonariorum, » ut aiunt, catechismos et libros, quibus à Carbonariis deserbiuntur, quæ in eorum conventibus geri solent, eorum » etiam Statuta. Codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos, et » quibuscumque fidelibus sub eadem pœna majoris excommunicationis eodem modo reservatæ prohibemus memoratos libros, vel eorum aliquem legere, aut retinere, ac » mandamus, ut illos vel locorum Ordinariis, vel aliis, ad » quos eosdem recipiendi jus pertinet, omninò tradant.

» Volumus autem quòd præsentium litterarum nostrarum transsumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsùs adhibeatur, » quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

» Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo vigesimo primò idibus septembris Pontificatûs nostri anno vigesimo » secundo. »

Non multò post editam hanc à Pio VII. Constitutionem ad supremam Beati Petri Cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuò omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quæ potentia. Hæc inquirentes facilè intelleximus crevisse illarum insolentiam præcipuè ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea præsertim memoranda est, quæ — *Universitaria* — dicitur, quòd sedem et domicilium in pluribus studiorum Universitatibus habeat, in quibus Juvenes à nonnullis Magistris, qui eos non docere, sed pervertere studeat, ejusdem Mysteriis, quæ iniquitatis mysteria verissimè appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.

Inde verò existit quòd tanto etiam post tempore, quo primùm perditellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatæ, et elatæ sunt, et post reportatas à potentissimis Europæ Principibus præclarissimas victorias, quibus illæ comprimendæ sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinæ tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illæ sectæ perpetuò moliuntur? Quæ im-

piarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt? Quot, et quàm gravia non rarò decernere, vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate præsunt, ut publicam tranquillitatem teneantur?

Inde etiam existunt acerbissimæ calamitates, quibus Ecclesia ferè ubique vexatur; et quas sine dolore, imò sine mœrore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissimè sanctissima ejus dogmata, et præcepta; ejus dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas, qua suo quodam jure frui deberet non perturbatur modò, sed omninò evertitur.

Nec putandum est, omnia hæc mala, aliaque, quæ prætermissa à Nobis sunt, clandestinis his sectis perperam et per calumniam adscribi. Libri, quos de Religione et Republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, majestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imò non raro nullum esse Deum, et hominis animam unà cùm corpore interire docent; Codices et Statuta, quibus sua consilia, et instituta explicant, apertè declarant, cuncta, quæ jam memoravimus, et quæ ad legitimos Principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licèt nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se conjunctas.

Quæ cùm ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iteràm clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem ut nulla ex iis jactare possit se Apostolicâ sententiâ nostrâ non comprehendi, atque hoc prætextu homines incautos et minùs acutos in errorem inducat. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et etiam Motu proprio, et certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, Societates occultas omnes tam quæ nunc sunt, tam quæ fortasse deinceps erumpent, et quæ ea sibi adversùs Ecclesiam, et Supremas civiles potestates proponunt, quæ superiùs commemoravimus, quocunque tandem nomine appellentur, Nos perpetuò prohibemus sub eisdem pœnis, quæ continentur Prædecessorum Nostrorum Litteris in hac Nostra Constitutione jam allatis, quas expressè confirmamus.

Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cujuscunque statûs, gradûs, conditionis, ordinis, dignitatis, ac præeminentiæ sive laïcis, sive clericis, tam secularibus, quàm regularibus etiam specificâ, et individuâ mentione, et expressione dignis districtè, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore audeat, vel præsumat prædictas Societates, quocunque nomine appellentur, inire vel propagare, confovere,

ac in suis ædibus, seu domibus vel alibi receptare, atque occultare, illis, et cuicunque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu aliàs consilium, auxilium, vel favorem palàm, aut in occulto, directè, aut indirectè, per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere ut hujusmodi Societatibus, aut cuicunque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omninò ab iisdem Societatibus, earum Cœtibus, Conventibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsùs abstinere se debeat sub pœna excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, à qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Præcipimus præterea omnibus sub eadem excommunicationis pœna Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris reservata, ut teneantur denuntiare Episcopis, vel cæteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his Societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quæ modò commemorata sunt, se inquinasse.

Præcipuè vero jusjurandum illud impium planè, ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur, neminì patefacturos, quæ ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea superioribus sive Ecclesiasticis, sive Laicis patefecerint, omninò damnamus et planè irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est jusjurandum, quòd in *justitia* pronuntiandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad injustam eædem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem societatem moderentur, jus habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum, et indignissimum est, Deum ipsum veluti scelerum testem et fidejussorem appellare? Rectissimè Patres Concilii Lateranensis III. inquiunt can. 5. « *Non enim* » *dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, quæ contra* » *utilitatem Ecclesiasticam, et Sanctissimorum Patrum veniunt* » *instituta.* » Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia, sive amentia, qui cùm non modò in corde suo, sed etiam palam, et in publicis scriptis dicant *Non est Deus*, audeant tamen jusjurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.

Hæc à Nobis constituta sunt ad furiosas et scelestas has omnes sectas comprimendas et damnandas. Nunc verò vestram Ven. Fratres Catholici Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, operam non postulamus modò, sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et Universo Gregi, in

quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in vos non parcentes Gregi. Sed nolite metuere, nec facile animam vestram pretiosiorem quàm vos. Illud tenete, à vobis maximâ ex parte pendere hominum vobis commissorum in Religione, et rectè factis constantiam : Quamvis enim iis vivamus diebus, *qui mali sunt*, eoque tempore, quo plures *non sustinent sanam doctrinam*, perdurat tamen permultorum Fidelium in Pastores suos observantia, quos jure suspiciant veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum ejus. Utimini igitur in Ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per vos sectariorum dolos, et quantâ diligentiâ eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant, Vobis auctoribus et magistris, pravam eorum doctrinam, qui sanctissima Religionis nostræ mysteria, et purissima Christi præcepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut vos verbis alloquamur Prædecessoris nostri Clementis XIII. in sua Epistola Encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiæ Catholicæ dici 14. Septembris anni 1758. *Repleti simus obsecro fortitudine Spiritûs Domini, judicio, et virtute, ne tanquam canes muti non valentes latrare, Greges nostros patiamur fieri in rapinam et Oves nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes nosmetipsos objiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem. Quòd si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de Episcopatûs vigore ; et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate : nec Christiani ultrà aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.*

Summo etiam studio vestrum flagitamus præsidium charissimi in Christo Filii nostri Catholici Principes, quos singulari et prorsùs paterno amore diligimus. Revocamus propterea vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cujus in Dignitate Successores et nominis licet indigni Hæredes sumus ad Leonem Imperatorem scribens usus est. *Debes incunctanter advertere Regiam potestatem Tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quæ sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.* Quanquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modò ad Catholicam Religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro Imperio subjectorum incolumitatem, sectæ illæ à vobis coërcendæ sint. Religionis enim causâ, hoc præsertim tempore, cum societatis salute ita conjuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non

minus Religionis, quàm vestræ potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitùs labefactare moliuntur. Neque certè paterentur, si possent, aut Religionem, aut Regiam ullam potestatem superesse.

Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cùm maximè videntur vestræ potestatis amplificationi studere, tum ejus eversionem præcipuè spectent. Docent illi quidem permulta ut suadeant nostram, et Episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiantur imminuendam, et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda jura, tum ex iis, quæ propria sunt Apostolicæ hujus Cathedræ, et *Ecclesiæ principalis*, tum ex iis, quæ ad Episcopos pertinent, qui in nostræ sollicitudinis partem sunt vocati. Verùm hæc illi non modo ex teterrimo quo inflammantur in Religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore, ut gentes quæ vestro Imperio subjiciuntur, si fortè perspiciant everti terminos, quos de rebus sacris Christus, et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam Regiminis formam immutandam et destruendam

Vos etiam omnes, ô Dilecti Filii, qui Catholicam Religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem omnino evitate. Quæ enim veri nominis utilitas exoriri vobis poterit ex conjunctione cum hominibus, qui nullum Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios Conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique clament se publici Ecclesiæ, et Societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis jam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum Ave jubet Joannes in secunda sua Epistola *Cap.* 10., et quos primogenitos Diaboli appellare majores nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestræ in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod Religioni adversetur, imò nihil vel prædicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quæ graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant,

qui superiores gradus assecuti non sunt, perspicuè tamen patet perniciosissimarum harum Societatum vim, et audaciam ex omnium qui iis nomen dederunt, consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt prætergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. Cap. I. *qui talia agunt, digni sunt morte, et non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Postremò eos, qui cùm jam essent illuminati, et gustavissent donum cœleste, et participes facti essent Spiritûs Sancti, deindè tamen miserrimè prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus, earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Ejus enim vice fungentes, qui professus est non venisse se vocare justos, sed peccatores, et se Pastori æquiparavit, qui relicto reliquo grege, sollicitè ovem quærit, quam perdidit, eos hortamur, et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei Jesu Christi filii ejus misericordia, et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterùm ad Jesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modò non despiciet, sed imò ad instar amantissimi Patris, qui Filios prodigos jamdudum exspectat, libentissimè accipiet. Nos verò ut quàntum in Nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad pœnitentiam, suspendimus ad integrum Anni spatium post publicatas Nostras has Apostolicas Litteras in Regione, in qua morantur, tum obligationem denuntiandi suos in sectis illis Socios, tum etiam reservationem Censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denuntiatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus à quocunque Confessario, modò sit ex eorum numero, qui à locorum in quibus degunt Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui fortè in Urbe morentur, adhibendam constituimus. Quòd si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ità pertinax sit, (quod Deus Misericordiarum Pater avertat) ut committat, illud temporis spatium, quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat, et verè resipiscat, eo elapso, continuò et obligatio denuntiandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denuntiatis antea complicibus, vel saltem juramento emisso de iis quamprimùm denuntiandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quàm à Nobis, vel à Nostris Successoribus, aut ab iis, qui à Sede Apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

Volumus autem, quòd præsentium Nostrarum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesias-

tica constitutæ inmittis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus Litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, confirmationis, innovationis, mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Vigesimo quinto Tertio Idus Martii. Pontificatûs Nostri Anno Tertio.

B. CARD. PRO-DATARIUS.

Pro Domino Card. Albani.
F. Capaccini Substitutus.

VISA
De Curia. D. TESTA.
F. Lavizzarius.

Loco ✠ Plumbi.
Registrata in Secretaria Brevium.

Supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, et publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Urbis, Cancellariæ Apostolicæ, ac Magnæ Curiæ Innocentianæ atque in Acie Campi Floræ, et Locis solitis et consuetis per me Aloysium Norri Apostolicum Cursorem.

Josephus Cherubini Magister Cursorum.

S. D. N. GREGORII D. P. PAPÆ XVI.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS.

GREGORIUS PAPA XVI.

VENERABILES FRATRES,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Mirari vos arbitramur, quòd ab imposita Nostræ humilitati Ecclesiæ universæ procuratione nondum Litteras ad vos dederimus, prout et consuetudo vel à primis temporibus invecta, et benevolentia in vos Nostra postulasset. Erat id quidem Nobis maximè in votis, ut dilataremus illico super vos cor Nostrum, atque in communicatione spiritûs eà vos adloqueremur voce, qua confirmare Fratres in persona Beati Petri jussi fuimus. (1) Verùm probè nostis, quanam malorum arumnarumque procellâ primis Pontificatûs Nostri momentis in eam subitò altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione Nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissimâ tot discrimînum recensione susceptum inde mœrorem refricare; Patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui, disjectis perduellibus, præsenti Nos eripuit periculo, atque, turbulentissimâ sedatâ tempestate, dedit à metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israël; sed ingens curarum moles, quibus in conciliandâ publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc Nostræ huic objecit voluntati.

Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturnâ, impensæque Nostræ benignitatis indulgentiâ non deliniri, sed ali potiùs conspiciebatur, debuimus tandem, ingenti licèt cum mœrore, ex collata Nobis divinitùs auctoritate, virgâ compescere (2); ex quo, prout jam probè conjicere potestis, operosior in dies instantia nostra quotidiana facta est.

Ast cùm, quòd ipsum iisdem ex causis distuleramus, jam possessionem Pontificatûs in Lateranensi Basilica ex more instituntoque majorum adiverimus, omni demum objectâ

(1) Luc. XXII. 32.
(2) 1. Cor. IV. 21.

cunctatione, ad vos properamus, Venerabiles Fratres, testemque Nostræ erga vos voluntatis epistolam damus lætissimo hoc die, quo de Virginis Sanctissimæ in Cœlum Assumptæ triumpho solemnia festa peragimus, ut quam Patronam ac Sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, Ipsa et scribentibus ad vos Nobis adstet propitia, mentemque Nostram cœlesti afflatu suo in ea inducat consilia, quæ Christiano Gregi futura sint quàm maximè salutaria.

Mœrentes quidem, animoque tristitiâ confecto venimus ad vos, quos pro vestro in Religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maximè anxios novimus. Verè enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos, sicut triticum, filios electionis. (3) Verè *luxit, et d fluxit terra.... infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* (4)

Loquimur, Venerabiles Fratres, quæ vestris ipsi oculis conspicitis, quæ communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exsultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despicitur sanctitas sacrorum, et quæ magnam vim, magnamque necessitatem possidet, divini cultûs majestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana hinc pervertitur doctrina, erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non jura, non instituta, non sanctiores quælibet disciplinæ tutæ sunt ab audacia loquentium iniqua.

Vexatur acerrimè Romana hæc Nostra Beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiæ firmamentum; et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiæ auctoritas oppugnatur, ipsiusque juribus convulsis, substernitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam injuriam odio populorum subjicitur, in turpem redacta servitutem. Debita Episcopis obedientia infringitur, eorumque jura conculcantur. Personant horrendum in modum Academiæ ac Gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occultè ampliùs et cuniculis petitur Catholica Fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperté jam et propalam infertur. Institutis enim exemploque Præceptorum, corruptis adolescentium animis, ingens Religionis clades, morumque perversitas deterrima percrebuit. Hinc porrò freno Religionis sanctissimæ projecto, per quam unam Regna consistunt, dominatûsque vis ac robur firmatur, conspicimus ordinis publici exitium, labem principatûs, omnisque legitimæ potestatis conversionem invalescere. Quæ quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione Societatum est repetenda, in quas quidquid in hæresibus, et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, fla-

(3) Luc. XXII. 53.
(4) Isaiæ. XXIV. 5.

gitiosum, ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione confluxit.

Hæc, venerabiles Fratres, et alia complura, et fortassis etiam graviora, quæ in præsens percensere longum esset, ac vos probè nostis, in dolore esse Nos jubent, acerbo sanè ac diuturno, quos in Cathedra Principis Apostolorum constitutos zelus universæ Domûs Dei comedat præ cæteris, opus est. Verùm cùm eo Nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare duntaxat innumera hæc mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus connitamur; ad opem fidei vestræ confugimus, vestramque pro Catholici Gregis salute sollicitudinem advocamus, venerabiles Fratres, quorum spectata virtus ac religio et singularis prudentia et sedula assiduitas animos Nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat perjucundà. Nostrarum quippe est partium, vocem tollere, omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: Nostrum est, oves in ea duntaxat pabula compellere, quæ salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspicione perniciosa. Absit, Charissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores, et perculsi metu dimittant oves, vel, abjectâ curâ gregis, otio torpeant ac desidiâ. Agamus idcirco in unitate spiritûs communem Nostram, seu veriùs Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio.

Id porro apprimè præstabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis, et doctrinæ, illud assiduè revolventes animo, *universalem Ecclesiam quacunque novitate pulsari* (5), atque ex S. Agathonis Pontificis monitu (6), *nihil de iis, quæ sunt regulariter definita, minui debere, nihil mutari, nihil adjici, sed ea et verbis, et sensibus illibata esse custodienda.* Immotâ inde consistet firmitas unitatis, quæ hac B. Petri Cathedrâ suo veluti fundamento continetur, ut unde in Ecclesias omnes venerandæ communionis jura dimanant, ibi *universis et murus sit, et securitas, et portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium.* (7) Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel jura Sanctæ hujus Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum cum ipsa conjunctionem, qua unà cædem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sinceræ studium inculcate, inclamantes cum S. Cypriano (8), *falsò confidere se esse in Ecclesia, qui Cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia.*

In hoc ideo elaborandum vobis est, assidueque vigilandum,

(5) S. Celest. PP. Ep. 21. ad Ep. Galliar.
(6) S. Agatho PP. Ep. ad Imp. apud Labb. Tom. 11. pag. 235. Ed. Manst.
(7) S. Innocent. PP. Ep. 11. apud Constant.
(8) S. Cypr. de unitate Eccles.

ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, judicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiæ universæ regimen et administrationem penès Romanum Pontificem esse, cui *plena pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam potestas à Christo Domino tradita fuit*, uti Patres Florentini Concilii disertè declararunt. (9) Est autem singulorum Episcoporum Cathedræ Petri fidelissimè adhærere, depositum sanctè religiosèque custodire, et pascere, qui in eis est, gregem Dei. Presbyteri verò subjecti sint, oportet, Episcopis, quos *uti animæ parentes suscipiendos ab ipsis esse*, monet Hieronymus (10): nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in susceptо ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere *sine sententia Episcopi, cujus fidei populus est creditus, et à quo pro animabus ratio exigetur.* (11) Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversùs præstitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiæ, quantum in ipsis est, perturbare.

Nefas porrò esset, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiæ leges sunt excipiendæ, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et jurium Ecclesiæ, Ministrorumque ejus ratio continetur, vesanâ opinandi libidine improbari, vel ut certis juris naturæ principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam, civilique auctoritati subjectam.

Cùm autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet, Ecclesiam *eruditam fuisse à Christo Jesu, ejusque Apostolis, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri* (12), absurdum plane est, ac maximè in eam injuriosum, *restaurationem* ac *regenerationem* quamdam obtrudi, quasi necessariam, ut ejus incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censeri ipsa possit vel defectui, vel obscurationi, vel aliis hujuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut *recentis humanæ institutionis jaciantur fundamenta*, illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut, quæ divina res est, *humana fiat Ecclesia.* (13) Perpendant verò, qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici ex S. Leonis testimonio *Canonum dispensationem esse creditam*, ipsiusque duntaxat esse, non verò privati hominis, *de paternarum regulis sanctionum* quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit S. Gelasius (14), *decreta Canonum librare*,

(9) Concil. Flor. Sess. 25. In definit. apud Labb. Tom. 18. col. 527. edit. Venet.
(10) S. Hieron. Ep. 2. ad Nepot. al. 24.
(11) Ex Can. Ap. 38. apud Labb. tom. 1. pag. 38. Edit Mansi.
(12) Conc. Trid. Sess. 13. dec. de Eucharist. in procœm.
(13) S. Cypr. Ep. 52. Edit. Baluz.
(14) S. Gelasius PP. in Ep. ad Episcop. Lucaniæ.

decessorumque præcepta metiri, ut quæ necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, temperentur.

Hic autem vestram volumus excitatam pro Religione constantiam adversùs fœdissimam in Clericalem cælibatum conjurationem, quam nostis effervescere in dies latiùs, connitentibus cum perditissimis nostri ævi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personæ obliti, muneris-que sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiæ proruperunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere Principibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de turpissimis hisce conatibus longo vos sermone distinere, vestræque potiùs religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt intenta, sartam tectam custodiri, vindicari, defendi, ex sacrorum canonum præscripto, omni ope contendatis.

Honorabile deinde Christianorum connubium, quod *Sacramentum magnum* nuncupavit Paulus *in Christo et Ecclesia* (15), communes nostras curas efflagitat, ne quid adversus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili ejusdem vinculo minùs rectè sentiatur, vel tentetur induci. Impensè id jam commendarat suis ad vos Litteris felicis recordationis Prædecessor Noster Pius VIII : adhuc tamen infesta eidem molimina succrescunt. Docendi itaque sunt sedulò Populi, matrimonium semel ritè initum dirimi ampliùs non posse, nexisque connubio Deum indidisse perpetuam vitæ societatem, nodumque necessitudinis, qui exsolvi, nisi morte, non possit. Memores, sacris illud rebus adnumerari, et Ecclesiæ proinde subjici, præstitutas de ipso ejusdem Ecclesiæ leges habeant ob oculos, iisque pareant sanctè, accuratèque, ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur, ac justa consociatio. Caveant, ne quod sacrorum canonum placitis, Conciliorumque decretis officiat, ullâ ratione admittant, probè gnari, exitus infelices illa habitura esse conjugia, quæ vel adversùs Ecclesiæ disciplinam, vel non propitiato priùs Deo, vel solo æstu libidinis jungantur, quin de sacramento, ac de mysteriis, quæ illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in præsens comploramus Ecclesiam, *indifferentismum* scilicet, seu pravam illam opinionem, quæ improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione æternam posse animæ salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At facili sane negotio in re perspicua, planèque evidenti, errorem exitiosissimum à populis vestræ curæ concreditis propelletis. Admonente enim Apostolo (16), *unum esse Deum, unam fidem,*

(15) Ad Hebr. XIII. 4.
(16) Ephes. IV. 5.

unum baptisma, extimescant, qui è religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, repulentque animo ex ipsius Salvatoris testimonio, *esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt* (17), seque infeliciter dispergere, quia cum ipso non colligunt, ideoque *absque dubio æternum esse perituros, nisi teneant Catholicam fidem, eamque integram, inviolatamque servaverint.* (18) Hieronymum audiant, qui, cùm in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* (19) Falsò autem sibi quis blandiretur, quòd et ipse in aqua sit regeneratus. Opportunè enim respondet Augustinus (20): *Ipsam formam habet etiam sarmentum, quod præcisum est de vite: sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?*

Atque ex hoc putidissimo *indifferentismi* fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet *libertatem conscientiæ*. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa, atque immoderata libertas opinionum, quæ in sacræ, et civilis rei labem latè grassatur, dicti antibus per summam impudentiam nonnullis, aliquid ex ea commodi in Religionem promanare. At *quid pejor mors animæ, quàm libertas erroris?* inquiebat Augustinus. (21) Freno quippe omni adempto, quo homines contineantur in semitis veritatis, proruente jam in præceps ipsorum natura ad malum inclinata, verè apertum dicimus *puteum abyssi* (22), è quo vidit Joannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terræ. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum, rerumque, ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis rei publicæ prædualibet capitalior, cùm experientiâ teste vel à prima antiquitate notum sit, civitates, quæ opibus, imperio, gloria floruere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderatâ opinionum, licentiâ concionum, rerum novandarum cupiditate.

Huc spectat deterrima illa, ac nunquam satis exsecranda et detestabilis libertas artis librariæ ad scripta quælibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, Venerabiles Fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potiùs quibus errorum portentis obruamur, quæ longè ac latè ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque, et scriptis mole quidem exiguis, malitiâ tamen per-

(17) Luc. XI. 23.
(18) Symbol. S. Athanas.
(19) S. Hier. Ep. 58.
(20) S. Aug. in Psal. contra part. Donat.
(21) S. Aug. Ep. 166.
(22) Apocalyps. IX. 3.

magnis, è quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terræ. Sunt tamen, proh dolor! qui eo impudentiæ abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulatè compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitatum tempestate ad Religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profectò est, omnique jure improbatum, patrari data opera malum certum ac majus, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Nunquid venena liberè spargi, ac publicè vendi, comportarique, imò et obbibi debere, sanus quis dixerit, quòd remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, cripi eos ex interitu identidem contingat?

Verùm longè alia fuit Ecclesiæ disciplina in exscindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum ætate, quos legimus grandem librorum vim publicè combussisse. (23) Satis sit, leges in Concilio Lateranensi V. in eam rem datas perlegere, et Constitutionem, quæ deinceps à Leone X. fel. rec. Prædecessore Nostro fuit edita, ne *id quod ad fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertantur, ac Christi fidelium saluti detrimentum pariat.* (24) Id quidem et Tridentinis Patribus maximæ curæ fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito saluberrimo decreto de Indice librorum, quibus impura doctrina contineretur, conficiendo. (25) *Pugnandum est acriter*, inquit Clemens XIII. fel. rec. Prædecessor Noster in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis Litteris (26), *pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda pernicies: nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitatis facinorosa elementa in flammis combusta depereant.* Ex hac itaque constanti omnium ætatum sollicitudine, qua semper Sancta hæc Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare, et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissimè, quantopere falsa, temeraria, eidemque Apostolicæ Sedi injuriosa, et fecunda malorum in Christiano Populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis, et onerosam rejiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent à recti juris principiis abhorrere, jusque illius decernendæ, habendæque audeant Ecclesiæ denegare.

Cùm autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga Principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maximè erit, ne populi

(23) Act. Apost. XIX.

(24) Act. Conc. Lateran. V. sess. 10. ubi refertur Const. Leonis X. Legenda est anterior Constitutio Alexandri VI. *Inter multiplices*, in qua multa ad rem.

(25) Conc. Trid. Sess. 18. et 25.

(26) Litt. Clem. XIII. *Christianæ*, 25. Nov. 1766.

inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, *non esse*, juxta Apostoli monitum, *potestatem nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* (27) Quocirca et divina et humana jura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus à fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare connituntur.

Atque ac planè ex causa, ne tantâ se turpitudine fœdarent veteres Christiani, sævientibus licèt persecutionibus, optimè tamen eos de Imperatoribus, ac de Imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quæ sibi mandabantur Religioni non contraria, accuratè promptèque perficiendis, sed et constantiâ, et effuso etiam in prælîs sanguine luculentissimè comprobasse. *Milites Christiani*, ait S. Augustinus (28), *servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in cœlis erat. Distinguebant Dominum æternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Hæc quidem sibi ob oculos proposuerat Mauritius Martyr invictus, Legionis Thebanæ Privicerius, quando, uti S. Eucherius refert, hæc respondit Imperatori (29): *Milites sumus, Imperator, tui, sed tamen servi, quod liberè confitemur, Dei.... Et nunc non nos hæc ultima vitæ necessitas in rebellionem coegit: tenemus cervi arma, et non resistimus, quia mori, quàm occidere satius volumus.* Quæ quidem veterum Christianorum in Principes fides eò etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano (30), hunc temporis Christianis *non defuisse vim numerorum, et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. Hesterni sumus*, inquit ipse, *et vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum.... Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?.... Si tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique pudore Dominationem vestram tot qualiumcunque amissio civium, immo et ipsâ destitutione punisset. Procul dubio exparuissetis ad solitudinem vestram.... quæsissetis, quibus imperaretis: plures hostes, quàm cives vobis remansissent: nunc autem pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum.*

Præclara hæc immobilis subjectionis in Principes exempla, quæ ex sanctissimis Christianæ Religionis præceptis necessariò proficiscebantur, detestandam illorum insolen-

(27) Rom. XIII. 2.
(28) S. Aug. in Psalt. 124. n. 7.
(29) S. Eucher. apud Ruinart. Act. SS. MM. de SS. Maurit. et Soc. n. 4.
(30) Tertul. in Apologet. cap. 37.

tiam, et improbitatem condemnant, qui projecta, effrenataque procacis libertatis cupiditate æstuantes, toti in eo sunt, ut jura quæque Principatuum labefactent, atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sanè scelestissima deliramenta, consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum, aliorumque hujusmodi Filiorum Belial, qui humani generis sordes, ac dedecora fuere, meritò idcirco ab Apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profectò ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, *liberos se esse ab omnibus :* quòd ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosora quælibet audacissimè aggrediuntur.

Neque lætiora et Religioni, et Principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam à Regno separari, mutuamque Imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissima libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta exstitit ac salutaris.

At ad cæteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus, et in communi discrimine dolore quodam angimur præcipuo, accessere consociationes quædam, statique cœtus, quibus, quasi agmine facto cum cujuscumque etiam falsæ religionis ac cultûs sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, verè tamen novitatis, seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis prædicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quælibet auctoritas discerpitur.

Hæc perdolenti sanè animo, fidentes tamen in Eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, Venerabiles Fratres, ut induti scutum fidei contendatis præliari strenuè prælia Domini. Ad vos potissimùm pertinet, stare pro muro contra omnem altitudinem extolleniem se adversùs scientiam Dei. Exerite gladium spiritûs, quod est Verbum Dei, habeantque à vobis panem, qui esuriunt justitiam. Adsciti, ut sitis cultores navi in vinea Domini, id unum agite, id hoc simul laborate, ut radix quælibet amaritudinis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges læta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras præsertim disciplinas, et ad philosophicas quæstiones animum appulere, hortatores, auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter à veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint, Deum esse *sapientiæ ducem, emendatoremque sapientium* (31), ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum. (32) Superbi, seu potius insipientis homi-

(31) Sap. VII. 15.
(32) S. Irenæus, lib. 4. Cap. 10.

nis est, fidei mysteria, quæ exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostræque mentis rationi confidere, quæ naturæ humanæ conditione debilis est, et infirma.

Cæterùm communibus hisce votis pro rei et sacræ, et publicæ incolumitate Charissimi in Christo Filii Nostri Viri Principes suâ faveant ope, et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium. Animadvertant sedulò, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiæ salute laboratur; imò pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, *si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei adiatur corona.* Positi quasi parentes, et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient, et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit Religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore: *Rex regum, et Dominus dominantium.*

Sed ut omnia hæc prosperè ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad Sanctissimam Virginem *Mariam*, quæ sola universas hæreses interemit, Nostraque maxima fiducia, imo tota ratio spei Nostræ. (33) Suo ipsa patrocinio in tanta Dominici gregis necessitate studiis, consiliis, actionibusque Nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab Apostolorum Principe *Petro*, et ab ejus Coapostolo *Paulo* humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur præter id, quod positum est. Hac jucundâ spe freti, confidimus, Auctorem et Consummatorem fidei *Jesum Christum* consolaturum tandem fore Nos omnes in tribulationibus, quæ invenerunt Nos nimis, cœlestisque auxilii auspicem Apostolicam Benedictionem, vobis, Venerabiles Fratres, et ovibus vestræ curæ traditis peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem XVIII. Kalendas Septembris die solemni Assumptionis ejusdem B. V. *Mariæ* Anno Dominicæ Incarnationis MDCCCXXXII. Pontificatûs Nostri Anno II.

(33) Ex S. Bernardo, Serm. de Nat. B. M. V. §. 7.

SANCTÆ APOSTOLICÆ SEDIS

RESPONSA CIRCA LUCRUM EX MUTUO,

Ab anno 1822 ad annum 1833.

(Juxta Exemplar Taurini impressum 1833. [1])

ALOISIUS *ex Marchionibus* FRANSONI, *supremi Ordinis SS. Annuntiationis Cancellarius, Dei et S. Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Taurinensis.*

In universa rei Moralis scientia invenire non erit quæstionem magis agitatam, jactatam, et hinc indè oppugnatam, quàm argumentum de Lucro ex Mutuo : immensæ quæstionis est pro qua parte magis pugnet ratio Controversiæ, de qua in utramque partem potest disputari, cùm adhuc desideretur Supremum judicium disputationibus finem imponens, ac propterea inter contrarias partes decertantes hærent Fidelium conscientiæ.

Cùm itaque ad Nostram pervenerit notitiam, quasdam ad rem prodiisse Sanctæ Sedis Apostolicæ ad quæsita responsiones traditas tàm Episcopo Rhedonensi sub die decima octava augusti millesimi octingentesimi trigesimi, quàm domino Denavit, professori theologiæ in seminario Sancti Irenæi Lugdun. sub diebus decima sexta septembris millesimi octingentesimi trigesimi, et undecima novembris millesimi octingetesimi trigesimi primi; item Episcopo Vivariensi sub die trigesima prima augusti millesimi octingentesimi trigesimi primi, Capitulo collegiato Locarni sub diebus trigesima prima augusti et septima septembris millesimi octingentesimi primi, domino Josepho Antonio Avvaro, sacræ theologiæ doctori et regio ejusdem facultatis professori Pinerolii ibidemque Canonico theologo et provicario generali sub die undecima februarii millesimi octingentesimi trigesimi secundi; ac tandem Episcopo Aquensi sub die vigesima tertia novembris millesimi octingentesimi trigesimi secundi : quarum responsionum ope, licèt extrema manus disceptationibus hujusmodi minimè imponatur, anxietatibus tamen opportunè medetur, et tuta Confessariis agendi norma præbetur; curavimus propterea ut præfatarum responsionum transumta authentica in unum colligerentur, codicemque plurium ipsarum hujusmodi responsionum in actis hujus Curiæ nostræ Archiepiscopalis inseri mandamus; decernentes, jus fasque esse Cancellario Nostro laudatæ collectionis exemplaria requirentibus tradere, hujusmodique exemplaribus sigillo nostro archiepiscopali munitis plenam

et indubiam fidem esse adhibendam; singulisque præmissis addi mandamus transumta licèt nondum authentica Responsorum datorum tàm cuidam mulieri Lugdunensi sub die tertia julii millesimi octingentesimi secundi, quàm Episcopo Veronensi sub die decima quarta augusti millesimi octingentesimi trigesimi primi, idque sub spe obtinendi etiam eorum authenticitatem.

In quarum, etc. Dat. Taurini die decima quinta februarii anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio.

Firmat. ✠ **ALOISIUS ARCHIEPISCOPUS.**

Sigillat. et manualit. subscript.

Theologus **JACOBUS GENTA** Cancellarius.

Ità in originali in registris hujus curiæ archiepiscopalis Taurinensis existente. In fidem, etc. Dat. Taurini die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. **Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Cancel.**

I.

DECRETA

SUPREMÆ CONGREGATIONIS SANTI OFFICII,

Quæ Em. et Rev. DD. Card. Inquisitores Generales, præhabitis DD. Consultorum suffragiis, ad consulentium preces edederunt.

FERIA IV. 3. JULII 1822.

Ad preces cujusdam innominatæ mulieris Lugdunensis, Em. D. Card. Galeffi transmissas, quibus, descripto generali rerum statu post notos publicos eventus, et leges à civili auctoritate latas, in Galliis obtinente, exponebat, se sua capitalia quibusdam tradidisse, ut fructus ex illis juxta taxam à lege civili præscriptam perciperet: suum autem Directorem ipsi absolutionem denegare, nisi proventus indè receptos restitueret, aut obligationes erga eos, qui solverent, emitteret.

Quærebat ergò,

1. An ad restitutionem perceptorum fructuum esset obligata.
2. An duntaxat postquam ejus bona fides desierat.
3. Quandonam cessatio bonæ fidei locum haberet.
4. An sufficeret de ea audivisse, etiamsi loquentis opinio non fuisset adoptata.

(*Decretum Congregationis Sancti Officii.* 1822, 3 *julii.*) Em. decreverunt: Oratrici pro nunc dicatur, quòd responsa ad propositos casus ipsi opportuno tempore dabuntur. Interim verò, licèt non peractâ ullâ illarum restitutionum, de quarum obligatione S. Sedem consuluit, à proprio Confessario absolvi sacramentaliter posse, dummodo verè parata sit stare mandatis.

Hujusmodi decretum Em. D. Card. Galeffi traditum, ab eoque transmissum fuit, qui de illo gratanter recepto certior factus est.

Transmissum fuit è Cancellaria S. Officii.

Ità in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. **Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Canc.**

2.

(*Expositio Episc. Rhedonensis.*) Episcopus Rhedonensis in Gallià exponit Sacræ Congregationi Inquisitionis, non eamdem esse Confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecuniâ negotiatoribus mutuo datâ ut eâ ditescant.

De sensu Epistolæ encyclicæ *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utrâque parte momenta afferuntur ad tuendam eam quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Indè querelæ, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam à Sancta Sede non semel eâ de re consultâ; tunc isti Confessarii exigunt ut pœnitens promittat se filiali obedientiâ obtemperaturum judicio Summi Pontificis, si intercedat qualecunque sit: nec, hac promissione obtentâ, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecuniâ sic mutuo datâ, et videatur in bonâ fide; isti Confessarii, etiamsi aliundè noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nullâ eâ de re interrogatione factâ, quando timent ne pœnitens admonitus restituere aut à tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus Episcopus Rhedonensis,

1. Utrùm possit horum posteriorum Confessariorum agendi rationem probare.

2. Utrùm alios Confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causâ possit hortari ut istorum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum eâ de quæstione judicium ferat.

Loco † Sigilli. † C. L., Episcopus Rhedonensis.

FERIA IV, DIE 18 AUGUSTI 1830.

(*Responsio Summi Pontificis Pii* VIII. 1830, 18 *augusti.*) Sanctissimus Dominus Noster Dominus Pius divinâ Providentiâ PP. VIII, in solitâ audientiâ R. P. D. Assessori S. Officii impertitâ, auditâ relatione superiorum dubiorum unà cum voto Eminentissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit

Ad primum: Non esse inquietandos:

Ad secundum: Provisum in primo.

Loco † Sigilli S. Inquisitionis. Pro D. NICOLAO SOLDINI,
S. Romanæ et universalis Inquisitionis Notario:
ANGELUS ARGENTI, Secretarius.

Gratis apud S. Officium.

(*Authenticitas.*) CLAUDE-LOUIS DE LESQUEN, par la miséricorde divine et la grâce du Saint Siége Apostolique, Evêque de Rennes,

Attestons que la copie ci-dessus du Bref à nous adressé par le Saint-Office est entièrement conforme à l'original déposé au secrétariat de notre évêché.

Donné à Rennes, sous le seing de notre Vicaire-Général, notre Sceau et le contre-seing de notre Secrétaire, le 10 juillet 1832.

Lieu † du Sceau. Par mandement de Monseigneur:
DEMOS, Prosecrétaire.

Jam editum Avenione, typis Seguin, et Vesontione, typis Outhenin-Chalandre, à Rmo Vic.-Gen. Em. Archiepiscopi D. Gousset, in opusculo *Justification de la Théologie morale du, etc.*

Ità in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. Th. JACOBUS GUNTA, Not. Ap. et Canc.

3.

QUÆSITA

AD SACRAM PŒNITENTIARIAM FACTA,

Cum Responsis ejusdem Sacræ Pœnitentiariæ.

(*Quæsita Professoris theologiæ in seminario Lugdun.*, Quando S. Pœnitentiariæ dubia circa materiam usuræ proponuntur, semper remittit ad doctrinam S. P. Benedicti XIV, quæ revera sat clara et perspicua est pro iis qui bonâ fide eam perscrutari volunt.

Attamen sunt quidam Presbyteri, qui contendunt licitum esse percipere auctarium quinque pro centum solius vi Legis principis, absque alio titulo vel damni emergentis vel lucri cessantis; quia, inquiunt, lex principis est titulus legitimus, cum transferat dominium auctarii sicut transfert dominium in præscriptione, et sic prorsùs annihilant legem divinam et legem ecclesiasticam quæ usuras prohibent.

Cùm hæc ità se habeant, orator infrascriptus, existimans nullo pacto esse licitum recedere à doctrinâ Benedicti XIV, denegat absolutionem sacramentalem Presbyteris qui contendunt Legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

Quare infrascriptus orator humiliter supplicat, ut sequentia dubia solvantur:

1. Utrùm possit in conscientiâ denegare absolutionem Presbyteris præfatis.

2. Utrùm debeat,

Lugduni, 25 mai 1830. DENAVIT, Prof.

(*Responsio sacræ Pœnitentiariæ.* 1830, 16 *sept.*) Sacra Pœnitentiaria, diligenter ac matùre perpensis dubiis propositis, respondendum censuit, Presbyteros de quibus agitur non esse inquietandos quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

Datum Romæ, in Pœnitentiariâ, die 16 septembris 1830.

E. DE GREGORIO, M. P. F. FRICA, S. P. Secretarius.

(*Authenticitas Em. de Gregorio.* 1833, 11 *januarii.*) Præfata Responsa, alias per sacræ Pœnitentiariæ Officium data, vera esse et omni fide digna testamur. Datum Romæ, in S. Pœnitentiariâ, die 11 januarii 1833.

Loco † Sigilli Sacræ Pœnitentiariæ. E. Card. DE GREGORIO, M. P.

Jam edita Avenione, et Vesontione, ut suprà, N. 2.

Ita in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Canc.

4.

Venerabili in Christo P. Episcopo Veronensi, salutem et sinceram in Domino charitatem

EX SACRA POENITENTIARIA.

(*Responsio Sacræ Pœnitentiariæ Episcopo Veronens.* 1831, 14 *augusti.*) Sacra Pœnitentiaria, perfectis expositis à Ven. in Christo Patre Episcopo Veronensi in supplici libello 1. mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit à resolutione quatuor dubiorum quæ in eo proponebantur, sed Oratori communicat Responsa data à supremâ Congregatione Sancti Officii ad alia quædam dubia eamdem materiam respicientia. Hæc autem sunt hujusmodi:

1. Utrùm Confessarius possit in conscientiâ denegare absolutionem Presbyteris qui contendunt Legem principis esse titulum sufficientem per-

cipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

2. Utrùm debeat.

Resp. ad utrumque : Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere : adeòque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

ALIA DUBIA.

1. An Confessarius ille possit absolvi, qui licèt Benedicti XIV et aliorum Summorum Pontificum de usurâ definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse præter sortem lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omninò alium, præterquam Legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum.

2. An peccet Confessarius qui dimittit in bonâ fide pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo.

Resp. ad primum : Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere : adeòque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

Ad secundum : Provisum in præcedenti, dummodò pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat Encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collocatione pecuniæ perceptum juxta disposita à lege civili. Ejus hæredes quærunt :

1. An Encyclicam rectè acceperit.

2. Etiam supposito quòd malè acceperit, persuasus tamen rectè accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.

Resp. ad primum : Acquiescant, dummodò parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad secundum : Provisum in primo.

ALIA DUBIA.

1. An possit eorum Confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecuniâ negotiatoribus mutuo datâ, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant absolvant, quandò nempè is'i, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam à S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis si intercedat : et similiter agunt, quandò pœnitentes lucrum percipientes in bonâ fide, de eo non confitentur, licèt aliundè noverint ipsos percipere lucrum ut suprà, nullâ eâ de re factâ interrogatione, quandò timent ne pœnitentes admoniti restituere aut à tali lucro abstinere recusent.

2. Utrùm Episcopus possit hortari rigidiores Confessarios consulendi causâ ipsum adeuntes, ut priorum Confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum eâ de quæstione judicium ferat.

Respondetur ad primum : Non esse inquietandos :

Ad secundum : Provisum in primo.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiariâ, die 14 augusti 1831.

V. D. SOLIMEI, S. P. Secr.

Transmissum fuit ab eodem Episcopo.

Ita in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Canc.

5.

BEATISSIME PATER,

(*Observationes Ep. Vicariensis circa Responsum datum Ep. Rhedonensi.*) Pervenit ad me judicium SS. Pii VIII, sub datâ diei 18 augusti 1830, ad postulata Episcopi Rhedonensis super agendi ratione Confessariorum erga pœnitentes, qui inter disceptationes theologorum circa mutuum expositas in supplici libello, mediam se posse sequi viam arbitrantur.

Idem judicium loquitur de voto Eminentissimorum Cardinalium Inquisitorum Generalium : et Rescripto subjiciuntur Responsa data ab iisdem eâdem die ad diversa dubia relativa ad opinionem eorum, qui contendunt Legem principis solam esse titulum sufficientem aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo.

Ex isto judicio et istis responsis datis nova exorta sunt dubia, novæ disceptationes, nova quæsita. Nam dictum judicium in pluribus diœcesibus divulgatum est, et hæc est occasio talium disceptationum.

In exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam theologi reperiri in Lege principis : sed unicè de mutuo dato negotiatoribus, et de sensu Encyclicæ *Vix pervenit* circa talc mutuum negotiatoribus factum.

Undè alii dicunt, judicium SS. Pontificis Pii VIII in se solo attendendum esse, et separatim à responsis datis ab eminentissimis Cardinalibus, ità ut sensus istius judicii sit : Sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam à S. Sede eâ de re non semel consultâ : ideòque si pœnitentes promittant se filiali obedientiâ obsecuturos judicio SS. Pontificis si intercedat, non esse inquietandos Confessarios qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic judicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt à litterâ Encyclicâ Benedicti XIV, ut 1. et 2. de Synodo diœcesanâ ejusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab instructione datâ p. Carolo Felici, 17 aprilis 1749, et à diversis responsis datis à S. Sede Apostolica.

Alii, non concipientes quâ viâ præfatum judicium conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum ; si sic seorsim attendatur, putant dictum judicium non sic esse intelligendum, sed conjunctim cum responsis datis ab Em. Cardinalibus, ad quæ remittere videtur SS. Pontifex, qui dicit in proœmio judicii : « Auditâ relatione superiorum dubiorum cum voto » Eminentissimorum Cardinalium, » et judicium esse referendum ad dubia de titulo Legis principis, qui titulus damnatus non fuit à S. Sede.

Sed oritur nova difficultas circa sensum responsionum S. Officii. Eminentissimi enim Cardinales loquuntur de Lege principis sine addito, non verba facientes de conditione quam in medium proferunt patroni tituli ex tali Lege desumpti ad percipiendum interesse, nempè quod princeps Lege suâ declaret non quidem licitum esse percipiendi in mutuo usuras (quæ jure naturali et divino sunt prohibitæ), sed se ex causa publicâ et in quibusdam circumstantiis concedere jus ad moderatas præstationes à subditis suis exigendas, ità ut tunc transferat dominium sicut per legem præscriptionis.

Punctum istud magni momenti est in Galliis, ubi Lex civilis omninò silet de dato jure ad percipiendum usuras, et potiùs supponit mutuantem ad lucrum jus certum habere. Motivum illius Legis, à gubernii illius temporis legislatoribus expositum, erat quòd gubernii consultores interesse consideraverant ut justam compensationem beneficiorum quæ eventura erant mutuanti ex usu pecuniæ mutuatæ, si eum usum sibi retinuisset. In discussione Legis hæc insuper habuit tribunatûs orator : « Legitimitas » stipulationis lucri in mutuo pluries agitata, et tàm impoliticè proscripta » propter æquivocationem verborum, ampliùs dubia non erit. Apud om- » nes certum est pecuniam esse signum valoris, omnesque consentiunt » valorem locari posse ; at nolunt, nec possunt convenire, signum valoris » pariter posse locari. » Legis gallicanæ hæc sunt verba : « Licitum est » stipulari interesse pro solo mutuo sive pecuniæ, sive aliarum rerum » mobilium. »

Porrò si legislatores gallicani habuerunt lucrum in mutuo perceptum vel ut justam compensationem beneficiorum quæ mutuanti evenire poterant ex usu pecuniæ sibi retentæ, vel ut pretium locationis signi valoris, quod juxta illos locari poterat; si Lex simplicem permissionem stipulandi lucrum in mutuo concedat; certum videtur, Legem civilem in Galliis noluisse transferre dominium hujus lucri, et aliud acquisitum mutuanti supposuisse. Undè si alii dicant responsionem eminentissimorum Cardinalium applicandam esse Legi gallicanæ, prout est in codice civili; alii illud negant propter motiva allata.

Itaque quæritur :

(*Quæsita.*) 1. An præfatum judicium S. Pontificis intelligendum sit ut verba ipsius sonant, et separatim à titulo Legis principis, de quo eminentissimi Cardinales loquuntur in his responsis, ità ut unicè agatur de mutuo negotiatoribus facto.

2. An titulus ex Lege principis, de quo eminentissimi Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat Legem principis declarare licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in codice civili Francorum, quin dicat se concedere jus tale lucrum percipiendi.

Ad pedes Sanctitatis vestræ enixè provolutus, suppliciter et cum filiali affectu orat pro resolutione humillimus nec non obsequentissimus servus.

† P. Fr. Episcopus Vivariensis.

FERIA IV, DIE 31 AUGUSTI 1831.

(*Decretum Cong. S. Officii.*) In Congregatione generali S. Officii habitâ in conventu sanctæ Mariæ supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis superioribus precibus R. P. D. Episcopi Vivariensis, iidem Eminentissimi et Reverendissimi DD., præhabitis DD. Consultorum suffragiis, dixerunt :

Provisum in decretis feriæ IV, 18 augusti 1830, atque dentur decreta.

(*Approb. S. P. Gregorii XVI.* 1831, 31 *augusti.*) Eàdem die et feriâ SS. D. N. Gregorius, div. Provid. PP. XVI. in aud. R. P. D. Assessori S. Officii resolutionem ab Em. captam approbavit.

DECRETA

FERIÆ IV, 18 AUGUSTI 1830.

Edita ab Em., et sub eadem feria approbata à S. M. Pio VII. super sequentibus dubiis.

(*Decreta Em. Inquisitor.* 18 *augusti* 1830.) 1. Utrùm Confessarius possit in conscientia denegare absolutionem Presbyteris, qui contendunt Legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

2. Utrùm debeat.

Resp. ad utrumque : Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere : adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

ALIA DUBIA.

(*Responsio ad alia dubia.*) 1. An Confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum de usurâ definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse præter sortem lucrum quinque pro centum etiam ab iis qui nullum omninò alium præter quàm legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum.

2. An peccet Confessarius qui dimittit in bona fide pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum Lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis aut periculi extraordinarii titulo.

Resp. ad primum : Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit

se subjicere ; adeoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

Ad secundum : Provisum in præcedenti, dummodo pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat Encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collocatione pecuniæ perceptum juxta disposita à Lege civili : ejus hæredes quærunt :

1. An Encyclicam rectè acceperit.

2. Etiam supposito quod malè acceperit, persuasus tamen rectè accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.

Resp. ad primum : Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad secundum : Provisum in primo.

ALIA DUBIA.

(*Renovatur responsio data Ep. Rhedonensi.*) Episcopus Rhedonensis in Gallià exponit Sacræ Congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecuniâ negotiatoribus mutuo datâ, ut eâ ditescant.

De sensu epistolæ Encyclicæ *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utrâque parte momenta afferuntur ad tuendam eam quam quisque amplexus est sententiam tali lucro faventem aut contrariam. Indè querelæ, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli Confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali lucro faventem multos habere patronos, et insuper non cuisse damnatam à S. Sede non semel eà de re consultà ; tunc illi Confessarii exigunt ut pœnitens promittat se filiali obedientiâ obtemperaturum judicio SS. Pontificis, si intercedat, qualecunque sit ; nec, hac promissione obtentà, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem tali mutuo contrariam. Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecuniâ sic mutuo datâ, et videatur in bonâ fide ; isti Confessarii, etiamsi aliundè noverint ab eo perceptum esse aut etiamnum percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nullà eà de re interrogatione factà, quando timent ne pœnitens admonitus restituere aut à tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergò dictus Episcopus Rhedonensis :

1. Utrùm possit horum posteriorum Confessariorum agendi rationem probare.

2. Utrùm alios Confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causâ possit hortari ut istorum agendi rationem sequantur donec S. Sedes expressum eà de quæstione judicium ferat.

† E. G. Episcopus Rhedonensis.

Resp. ad primum : Non esse inquietandos.

Ad secundum : Provisum in primo.

Testor ego infrascriptus notarius S. Romanæ et universalis Inquisitionis, decreta, de quibus supra, revera esse talia qualia lata sunt in Feriâ IV, 28 augusti 1830, et in Feriâ IV 31 augusti 1831.

Datum Romæ, ex Cancellariâ S. Officii, hac die 24 septembris 1831.

Angelus Argenti, S. Rom. et univ. Inq. Notarius.

(*Authenticitas.*) Concordant cum documentis valdè authenticis in secretario depositis. Vivarii, die 2 mensis januarii, anni 1833.

Loco † Sigilli. † P. F. Episc. Vivariensis.

Dicta sex dubia cum responsionibus jam edita Avenione et Vesontione, et supra N.° 2.

Ità in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. Th. Jacobus Genta, Not. Ap. et Canc.

6.

QUESITI DEL CAPITOLO DI LOCARNO.

BEATISSIMO PADRE.

(*Esposizione del Capitolo di Locarno.*) Il Capitolo di questa collegiata di Locarno, diocesi di Como, territorio Svizzero, ha la maggior parte delle proprie prebende in danaro, ricavato principalmente dall'estinzione delle decime avvenuta per decreto governativo: il qual danaro egli impiegar deve, per viverne de' frutti, ed adempire ai pesi annessi ai benefizj.

Per le circostanze de' tempi e dei luoghi, o non si trova affatto come investire il danaro suddetto in stabili fruttiferi, i quali scarseggiano assai in proporzione della popolazione, o per la carenza di detti stabili non frutterebbe che il due e mezzo per cento annualmente, il che peggiorerebbe eccessivamente le prebende già per sè stesse meschine.

I censi si vogliono proibiti da queste leggi municipali, è sono mal sicuri, non esistendo in queste parti l'officio delle ipoteche, che accerli la libertà è sufficienza de' fondi su' quali voglionsi stabilire. Inoltre quegli stessi, che per fare i loro interessi ci chiedono il danaro, ricusano ordinariamente di sottoporsi a' censi, e amano meglio di riceverlo a prestanza col contribuire il quattro o il cinque per cento annualmente.

Ciò premesso, si domanda:

(*Quesiti.*) 1. Se la necessaria onesta sostentazione dei Beneficiati, che dee provenire dal frutto dei capitali di tali prebende, è dessa in tali circostanze un sufficiente titolo equivalente agli altri già approvati dalla Chiesa, per cui sia lecito un tale contratto di dare il danaro dotale di dette prebende a interesse del quattro o cinque per cento, dietro ipoteca di beni stabili e cauzione di persone note e solvibili, affine di assicurare la perpetuità delle prebende.

2. Se questo titolo, supposto ammissibile, si possa estendere anche a favore delle chiese, monasteri, e altri luoghi pii, come anche dei pupilli e di altre persone che si ritrovano nelle circonstanze medesime di sopra descritte, ed hanno bisogno di far fruttare il proprio danaro per sostentarsi onestamente.

3. Se le leggi e procedure civili, che ormai approvano generalmente tali contratti e li fanno eseguire, non che il comune tacito consenso dei popoli, che per l'uso invalso de' secoli sembra li abbiano per maggior commodo e facilità sostituiti ad altri contratti più complicati e difficili, bastino a giustificarli.

4. Se sia attendibile l' autorità del nostro Ordinario, e di molti savi e dabbene Ecclesiastici, che, avute di mira le circonstanze suddette, opinano favorevolmente, e simili contratti approvano.

5. Qual considerazione meritino in proposito le ragioni, che adduce Scipione Maffei ne' suoi tre libri *Dell' Impiego del danaro*, dedicati a Benedetto XIV, ed approvati dall' Inquisitore di Padova l'anno 1744.

6. Se la bolla *De usuris* emanata dalla fel. mem. di Benedetto XIV l'anno 1745 probabilmente in sequela dell' opera del Maffei, al n. 3. di essa, e all' articolo *De Contractu autem*, e seg. si possa interpretare favorevolmente a tali contratti.

7. Supposti illeciti tali contratti, che si ha a risolvere intorno a quelli già fatti, ed ai frutti già percepiti?

8. Se tali contratti si possano rendere leciti almeno coll' assumere il pericolo fortuito del fondo assegnato in pegno a carico della prebenda, colle dovute proposizioni, come nei censi.

I sottoscritti Oratori umilmente da V. S. desiderano ed implorano una chiara ed opportuna decisione di questi loro dubbj per regolamento delle proprie e delle altrui coscienze generalmente agitate in proposito.

Locarno, 13 maggio 1831.

L'agente aggiunge la generale e grandissima scarsezza di numerario o dei fondi, e questi ordinariamente in possesso di pochi.

Tolta la prestanza di danari, i possidenti per la maggior parte inabili al commercio e alle arti, consumati i pochi capitali, si ridurrebbero facilmente alla miseria.

Gli altri non potrebbero, sprovisti di danaro proprio e di fondi stabili da cambiare in contanti, non potrebbero avvantaggiare coll'industria.

Mancando Monti di Pietà, sarebbero obbligati sovente a vendere la piccola eredità paterna, e sovente a vilissimo prezzo, nelle loro necessità.

L'agitazione delle coscienze è oltre modo grande. Onde diversi Ordinarj, tutto considerato, si sono pronunciati in favore. Altrimenti nascerebbe un discetto generale, e totale impedimento degli affari e dell' industria.

FERIA IV, AUGUSTI 1831.

(*Responsio Cong. S. Officii*, 1831, 31 *augusti*) Propositis superioribus capitulî collegiatæ Locarni precibus, quæ jam per manus unà cum DD. Consultorum suffragiis distributæ fuerant, Em. et Rev. DD. dixerunt:

Ad 1, 2, 3, 4, non esse inquietandos, et acquiescant, dummodò parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad 5, 6, 7, 8, consulant Encyclicam Benedicti XIV *Vix pervenit*, et probatos auctores.

FERIA IV, 7 SEPTEMBRIS 1831.

(*Approbatio S. Pontificis Gregorii XVI.* 1831, 7 *sept.*) Sanctissimus D. N. Gregorius XVI, in solità audientià R. P. D. Assessori S. Officii impertità, Eminentissimorum Resolutiones approbavit.

(*Authenticitas.*) La risoluzione de' Casi portata dagli Em. como sopra *In Audientia SS.* è pienamente conforme a questa ricevuta dal Capitolo di Locarno.

Como, 19 septembre 1832.

Luogo ✠ del Sigillo. Giuseppe PEVERELLI, Vic. Gen. Cap.

Ita in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco ✠ Sigilli. Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Canc.

7.

AD SACRAM POENITENTIARIAM

ITERUM EXPONIT ORATOR INFRASCRIPTUS

(*Denavit, professor Theologiæ in seminario Sancti Irenæi Lugdunensis.*

(*Iterata expositio professor. Denavit.*) Ex responso Sacræ Pœnitentiariæ ad oratorem infrascriptum directo die 16 septembris 1830, absolvendi sunt presbyteri qui contendunt Legem principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo absque alio titulo à theologis communiter admisso, donec S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: et huic responso humiliter et libenter acquiesco.

Attamen, salvo Sacræ Pœnitentiariæ responso præfato, consultis auctoribus probatis, et attentà doctrinà omnium ferè seminariorum Galliæ, ac præsertim eorum quæ à Presbyteris congregationis Sancti Sulpitii diriguntur, sententia quæ rejicit titulum Legis civilis tanquam insufficientem videtur longe probabilior, securior, et sola in praxi tenenda, donec S. Sedes definierit.

Quapropter fidelibus, qui à me consilium petunt utrùm possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum à theologis communiter admissum præter titulum legis civilis, respondeo, eos non posse præfatum auctarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem si exigant. Pariter denego absolutionem iis qui, perceptis hujuscemodi usuris, id est vi solius tituli legis, nolunt restituere.

Quæritur 1. Utrùm duriùs et severiùs me habeam erga hujuscemodi fideles.

2. Quæ agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec S. Sedes definitivam sententiam emiserit.

Lugduni, 24 septembris 1831. DENAVIT, Prof.

(*Iterata Responsio S. Pœnitentiariæ.* 1831, 11 *novemb.*) Sacra Pœnitentiaria, perpensis dubiis quæ ab oratore proponuntur, respondet :

Ad primum, affirmativè : quandoquidem ex dato à sacrâ Pœnitentiariâ responso liquet, fideles hujusmodi, qui bonâ fide ità se gerunt, non esse inquietandos.

Ad secundum : Provisum in primo : undè orator priori sacræ Pœnitentiariæ responso sub die 16 septembris 1830 sese in praxi conformare studeat.

Datum Romæ, in sacrâ Pœnitentiariâ, die 11 nov. 1831.

A. F. de Retz, S. Pœnitentiariæ Regens.
F. Fricca, S. Pœnitentiariæ Secretarius.

(*Authenticitas.*) Præfata responsa, aliàs per sacræ Pœnitentiariæ officium data, vera esse et omni fide digna testamur. Datum Romæ, in S. Pœnitentiariâ, die 11. januarii 1833.

Loco † Sigilli S. Pœnitentiariæ. E. Card. De Gregorio, M. P.

Jam edita Vesontione iisdem typis Outhen in-Chalandre et ab Episcopo Bellicense, (de Belley) in suo Rituali.

Ità in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco † Sigilli. Th. Jacobus Genta, Not. Ap. et Canc.

8.

EM. ET REV. DOMINE,

(*Expositio Professoris Avvaro.*) Regia lex pedemontana universim et sine ulla restrictione permittit ut quisquis alteri cuicunque pecuniam mutuat, stipulare et exigere possit annuum auctarium 5 pro 100 supra sortem. Hinc in Pinarolensi aliisque finitimis diœcesibus gravissima inter Theologos fervet controversia, an in casibus, in quibus ex unâ parte nullus adest titulus lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendæ, ex alterâ verò præceptum charitatis erga proximum non obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, licet mutuanti illud auctarium recipere et retinere? Alii enim auctarium illud omninò usurarium et illicitum, alii vero ab omni usuræ labe immune prorsùs licitumque esse propugnant : et quod controversiam valdè implicatiorem reddit, omnes gloriantur se niti auctoritate Benedicti XIV, aut saltem eum sibi nullatenùs adversari.

Nimirùm theologi qui primam sententiam tuentur, dicunt auctarium, de quo agitur, à Benedicto XIV reprobatum fuisse, implicitè quidem in Encyclicâ diei 1 novembris 1745, *Vix pervenit*, ut patet ex attentâ ejus lectione, explicitè verò in opere *de Synodo diœcesana*, lib. X. cap. IV. n. 1. et 2. his verbis : « Græcis ex parte consensit Calvinus, qui ad cap. XVIII » Ezechielis licere docuit aliquod moderatum lucrum, non quidem à pau» pere, sed à divite, præcisè ratione mutui, exigere. *Errorem* à Calvino » obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinæus in suo » tractatu *De Usuris*, ubi n. 10. *audacter* affirmat usuram non esse prohi» bitam, nisi in quantum est contra charitatem. Eamdem *pravam* opinio» nem amplexatus, aliâ ratione defendit Claudius Salmasius in duplici » tractatu, altero inscripto de usuris, altero de trapezitico fœnore, qui» bus in locis usuram, nisi charitatem lædat, ab omni culpâ absolvit, eo » quod sit merces locatæ pecuniæ. *Impiæ* Calvini et Molinæi opinioni » non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici, illi scili» cet qui, quùm agitur de mutuo quo pecunia aliave res datur ad nego» tiationem, à fœnoris labe excusant lucrum quod ex mutuo percipitur, » dummodò sit moderatum, modumque servet à patriæ legibus defini» tum. » Porrò etsi Benedictus XIV, in Synodo diœcesanâ solum loquatur ut privatus doctor, ipse tamen sine dubio omnium optimè sciebat quid in suâ Encyclicâ reprobare voluisset, adeòque quidquid circa usuram posteà scripsit in Synodo, et signanter cit. cap. 4. ubi n. X. doctrinam in Encyclicâ definitam summatim refert, habendum est tanquam ejusdem Encyclicæ explicatio, à qua recedere piaculum sit.

Theologi verò qui tuentur secundam sententiam, dicunt auctarium illud non percipi ex mutuo *ipsius ratione mutui, vel solius causâ mutui, vel vi mutui ipsius, vel præcisè ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto*, quod veluti usurarium atque omni jure illicitum meritissimè reprobavit Benedictus XIV tùm in Encyclicâ, §. 3, n. 1 et 2, tum citato loco de Synodo, n. 11; sed *ratione, causâ, vi, ac titulo extrinseco legis civilis* dominium auctarii ex mutuatario in mutuantem transferentis, eo modo quo rerum dominium ex uno inalium transfertur per legitimam præscriptionem; vel *ratione publici boni*, quòd, mutatis circumstantiis, in præsenti rerum statu, absque illo auctario, vix aut ne vix quidem obtineri posset; vel *ratione ultronei*, tacili ac mutui consensûs in auctarium à lege permissum ex parte totius generatim societatis, cui inest jus disponendi de rebus suis prout ei libuerit, et specialim ex parte eorum qui modò pecunia abundant et modò indigent, ac modò pecuniam mutuo dant, modò verò accipiunt; vel *ratione consuetudinis* in orbe catholico ferè ubique receptæ, etiam apud homines timoratæ conscientiæ, auctarium moderatum et à patriæ legibus definitum exigendi; vel ob alias hujusmodi causas, quas Benedictus XIV nullibi explendit aut memoravit. Ad argumentum autem quod ex Encyclicâ et ex opere de Synodo diœcesanâ deducunt primæ sententiæ patroni, quadrupliciter respondent.

Respondent 1, Benedictum XIV in Encyclicâ *Vix pervenit* hoc unum statuisse, tunc scilicet ex mutuo nullum auctarium, etiam moderatum, ultra sortem recipi posse, cùm quis vel teneatur simplici ac nudo mutuo, absque ullo auctario, alteri succurrere; quod ex præcepto charitatis, ex eoque solo, locum habet in multis casibus, idque ex eo quòd tunc nullus cum mutuo concurrere potest legitimus titulus aliquid supra sortem exigendi: vel mutuum dat in iis casibus in quibus nullum alium justum contractum, præter unum mutuum, celebrare potest; quod etiam accidit in multis circumstantiis, v. gr. cùm alteri credit vinum, oleum, etc., ut patet ex §. 3, n. 5, ubi postquam definivit falsò et temerè affirmari reperiri semper ac præstò ubique esse vel unà cum mutuo titulos alios legitimos, vel seclusò etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicunque creditur, totiès semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere: «eumque qui ità affirmaret» non modo divinis documentis et catholicæ Ecclesiæ de usurâ judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversari; hujus definitionis rationem reddit, et concludit his notabilibus verbis: «Neminem enim id saltem latere potest, » quod multis in casibus teneatur homo simplici ac nudo mutuo alteri » succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari » à te ne avertaris:* et quòd similiter multis in circumstantiis, præter » unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit.» Ac proindè juxta Benedictum XIV, quotiès mutuo datur pecunia, et præceptum charitatis non obligat ad eam mutuandam simplici ac nudo mutuo, semper unà cum mutuo reperiri posse, quin imò præstò ubique esse legitimum aliquem titulum, v. gr. *Legem civilem, publicum bonum, etc.*, cujus præsidio liceat auctarium moderatum ultrà sortem recipere, juxta tritam illam regulam: *In necessariis expressio unius est exclusio alterius:* aut saltem Benedictum XIV huic sententiæ nullatenùs adversari.

Respondent 2.° huic quoque sententiæ nullatenùs adversari Benedictum XIV, in iis quæ circa usuram scripsit cit. cap. 4 de Synodo, n. 2 et 3: quia ibi solùm docet perpetuæ catholicæ Ecclesiæ de usurâ doctrinæ post Græcos schismaticos contradixisse tum Calvinum, qui erroneè docebat aliquod moderatum lucrum ex mutuo *præcisè ratione mutui* (in quo sita est usuræ essentia) licitè à divitibus exigi posse; tum Carolum Molinæum, qui audacter affirmabat hujusmodi *usuram* à Calvino admissam, et suapte naturâ malam, non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; tum Claudium Salmasium, qui eamdem *usuram*, nisi charitatem læderet, ab omni culpâ pravè absolvebat, falso eo prætextu, quòd sit merces locatæ pecuniæ; tum demùm paucos quosdam doctores illos catholicos, qui impii Calvini et Molinæi opinioni *subscribere* non verentes,

unà cum ipsis audacter affirmabant et erroneè docebant *usuram non esse prohibitam nisi quantùm est contra charitatem*, atque à fœnoris labe excusari lucrum quod à negotiatoribus exigitur percipiturque ex mutuo *præcisè ratione mutui*, dummodò sit moderatum, modumque servet à patriæ legibus definitum. Hæc omnia profectò ne latum quidem unguem differunt à doctrinâ quæ continetur in Encyclicâ. At verò, aliud est usurarium et illicitum esse auctarium, etiam moderatum, et à patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo *præcisè ratione mutui*; aliud est usurarium ac illicitum esse moderatum illud auctarium à patriæ legibus definitum, quod percipitur ex mutuo non *præcisè ratione mutui*, sed *ratione legis civilis*, vel ob extrinsecas alias causas paulò suprà commemoratas: primum affirmat Benedictus XIV, de altero ne verbum quidem facit.

Respondent 3°, in hypothesi quòd Benedictus XIV, in Synodo huic sententiæ reipsà adversaretur, nullo modo culpandum fore qui, solidis rationibus innixus, à privatâ ejus opinione seu explicatione modestè recederet, cùm ille ipse in fine præfationis ad Synodum diœcesanam apertè profiteatur *omnibus in rebus, quibus nullum ex publicâ Ecclesiæ auctoritate pondus accessit*, qualis procul dubio est explicatio de quâ agitur, *nihil se in Synodo definire ac veluti decretorium exhibere velle*, allatâ etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV, qui etsi commentaria sua in libros Decretalium scripserit cùm summum Pontificatum gereret, non tamen « hoc sibi » unquàm arrogavit, ut quidquid in eo opere scripsisset, pro re definitâ » haberetur, sed facilè passus est opiniones suas, quas tanquam priva» tus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet, etc. »

Respondent 4°, in hypothesi quoque quòd Benedictus XIV huic sententiæ adversaretur in Encyclicâ, jam indè nullum ampliùs argumentum peti posse ad reprobandum moderatum illud auctarium à lege permissum, quod percipitur in præsenti rerum statu: quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, immò verò manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia quibus nititur catholicæ Ecclesiæ de usurâ et mutuo doctrina, quæque eadem semper ac omninò invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

Ego, diligenter consideratâ, prout tenues ingenii mei vires ferunt, Benedicti XIV doctrinâ, ut moderatius, sic probabilius illud existimo: dubitari meritò posse utrùm ea doctrina, se sola, huic controversiæ dirimendæ sufficiat, nec ne. Verùm cùm, etiam positâ hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tutâ conscientiâ recipi possit; ut, sublatâ omni incertitudine, sit mihi parata facultas aptè respondendi quibusdam Confessariis qui novissimè circa eamdem controversiam me consuluerunt, tum et aliis qui, ratione munerum quibus perfungor, sive intra sive extra sacrum Pœnitentiæ tribunal consulturi sunt, Vestram Eminentiam suppliciter rogo obsteborque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quæstionum, quas hic subjicio;

(*Quæsita.*) 1. An auctarium, de quo agitur, licitum sit. Et quatenùs hæc quæstio ex doctrinâ Benedicti XIV aliisque Sedis Apostolicæ judiciis directè resolvi nequeat,

2. An Pœnitentes qui auctarium illud sive bonâ sive dubiâ aut malâ fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint nullâ factâ aut promissâ hic et nunc restitutione, dummodò seriò promittant se esse paratos ad exsequendum quidquid super hoc negotio Sedes apostolica determinaverit. Et quatenùs affirmativè, prout asserunt nonnulli ad hanc aliasque similes quæstiones jam pluries nomine S. Officii et Sedis Apostolicæ provisoriè rescriptum fuisse, de quibus tamen rescriptis eorumque tenore mihi non constat,

3. An iis pariter, qui neque ullum habent titulum lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendæ, neque versantur in casibus in quibus præceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato aut convento annuo auctario 5 pro 100, supra sortem prout Lex regia permittit, sub eâdem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicæ super hoc negotio determinationibus.

Maximâ fretus fiduciâ quòd Eminentia vestra votis meis, in re mihi adeò necessaria, benignè obsecundavit, sum eroque semper,

Eminentiæ Vestræ,

Humil. obseq. et dedit. servus,

JOSEPH ANTONIUS AYVARO, sacræ theologiæ doctor, et regius ejusdem facultatis professor, canonicus theologus, et Provicarius Generalis.

Pinerolii, die 22. januarii 1832.

SACRA PŒNITENTIARIA

(*Responsio Sacræ Pœnitentiariæ.* 1832, 11. *februarii.*) Dil. in Christo Josepho Antonio Ayvaro transmittendas censuit Resolutiones aliàs datas ad quædam dubia circa usuras, scilicet:

1. Utrùm Confessarius possit in conscientiâ denegare absolutionem Presbyteris qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

2. Utrùm debeat.

Resp. ad utrumque: Non esse inquietandum quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere: adeòque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

ALIA DUBIA.

(*Renovatur Responsio data Ep. Veronensi.*) 1. An Confessarius ille possit absolvi, qui, licèt Benedicti XIV et aliorum SS. Pontificum de usurâ definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse præter sortem lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omninò alium præter quàm legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum.

2. An peccet Confessarius qui dimittit in bonâ fide pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo.

Resp. ad primum: Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere: adeòque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

Ad secundum: Provisum in præcedenti, dummodò pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat Encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniæ perceptum juxta disposita à lege civili: ejus hæredes quæruut:

1. An Encyclicam rectè acceperit.

2. Etiam supposito quod malè acceperit, persuasus tamen rectè accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.

Resp. ad primum: Acquiescant, dummodò parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad secundum: Provisum in primo.

ALIA DUBIA.

1. An possit eorum Confessariorum agendi ratio probari, qui, dùm tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecuniâ negotiatoribus mutuo datâ, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut dicescant, absolvunt, quandò nempè isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam à S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis si intercedat: et similiter agunt quandò pœnitentes, lucrum percipientes in bonâ fide, de eo non confitentur, licèt aliundè noverint ipsos percipere lucrum ut suprà, nullà de eà re factâ interrogatione, quandò timent ne pœnitentes, admoniti, restituere aut à tali lucro abstinere recusent.

2. Utrùm Episcopus possit hortari rigidiores Confessarios consulendi causâ ipsum adeuntes, ut priorum Confessariorum agendi rationem

sequantur, donec S. Sedes expressum eà de quæstione judicium ferat.

Resp. ad primum : Non esse inquietandos.

Ad secundum : Provisum in primo.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiariâ, die 16 februarii 1832.

E. Card. DE GREGORIO, M. P.
D. Fratellini, S. P. Secr.

(*Authenticitas.*) Suprascriptas preces et resolutiones, omninò concordare cum precibus à Josepho Antonio Avvaro porrectis Pœnitentiario majori sub die vigesimâ secundâ januarii, et cum resolutionibus eidem transmissis à sacra Pœnitentiariâ sub die undecimâ februarii currentis anni millesimi octingentesimi trigesimi secundi, idque Nobis constare ex earumdem collatione cum originali, cujus authenticum exemplar etiam in episcopali hac curiâ asservatur, testamur.

Datum Pinerolii, in curiâ episcopali, die quartâ decembris anni millesimi octingentesimi trigesimi secundi.

Archidiaconus Dominicus GALVANO, Vic. Gen.
Loco † *Sigilli.* DONATUS JOSEPH BOIRAL, Canc.

Ità in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini, die 16 februarii 1833.

Loco † *Sigilli.* Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Canc.

9.

RESPONSUM

S. PŒNITENTIARIÆ APOSTOLICÆ

Ad preces Episcopi Aquensis Sanctæ Sedi porrectas ad impetrandam normam circa varias quæstiones quæ de Usura diversimodè ab auctoribus definiuntur, idque pro quiete tàm Fidelium quàm Confessariorum.

(*Responsum S. Pœnitentiariæ Ep. Aquensi.* 1832. 23. *nov.*) Sacra Pœnitentiaria Ven. in Christo Patri Episcopo oratori communicandas censuit resolutiones aliàs datas ad quædam dubia circa usuram, scilicet :

DUBIA.

1. Utrùm confessarius possit in conscientiâ denegare absolutionem Presbyteris qui contendunt Legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem, absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.

2. Utrùm debeat.

Resp. ad utrumque : Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere : adeòque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

ALIA DUBIA.

(*Renovatur responsum datum Ep. Veronensi.*) An Confessarius ille possit absolvi, qui, licèt Benedicti XIV et aliorum summorum Pontificum de usurâ definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse præter sortem lucrum quinque pro centum, etiam ab iis qui nullum omnino alium præterquam legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum.

2. An peccet Confessarius qui dimittit in bonâ fide pœnitentem qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo.

Resp. ad primum : Confessarium de quo in dubio, non esse inquietandum quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit cui paratus sit se subjicere : adeòque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento Pœnitentiæ.

Ad secundum : Provisum in præcedenti, dummodò pœnitentes parati sint stare mandatis S. Sedis.

ALIA DUBIA.

Vir quidam persuasus erat Encyclicam Benedicti XIV non inhibere

lucrum ex collocatione pecuniæ perceptum juxta disposita à Lege civili. Ejus hæredes quærunt :

1. An Encyclicam rectè acceperit.

2. Etiam supposito quod malè acceperit, persuasus tamen rectè accepisse, an hæredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.

Resp. ad primum : Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

Ad secundum : Provisum in primo.

ALIA DUBIA.

1. An possit eorum Confessariorum agendi ratio probari, qui, dùm tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecuniâ negotiatoribus mutuo datâ, pœnitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quandò nempè isti, objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam à S. Sede, promittunt tamen obedire judicio S. Pontificis si intercedat : et similiter agunt quandò pœnitentes, lucrum percipientes in bonâ fide, de eo non confitentur, licèt aliundè noverint ipsos percipere lucrum ut suprà, nullâ de eâ re factâ interrogatione, quandò timent ne pœnitentes, admoniti, restituere aut à tali lucro abstinere recusent.

2. Utrùm Episcopus possit hortari rigidiores Confessarios consulendi causâ ipsum adeuntes, ut priorum Confessariorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum eâ de quæstione judicium ferat.

Resp. ad 1 : Non esse inquietandos.

Ad 2 : Provisum in primo.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiariâ, die 23 novembris 1832.

Loco † *Sigilli.* A. F. de RETZ, S. P. Regens.

D. FRATELLINI, S. P. Secret.

(*Authenticitas.*) V. et factâ collatione, concordat cum originali Romæ, ut suprà signato, et apud nos existente.

Dat. Aquis, die 2 januarii 1833.

Loco † *Sigilli.* † CAROLUS JOSEPH., Episcopus.

Can. Paulus Brezzi, à Secretis

Ità in registris hujus curiæ archiepiscopalis. In fidem, etc. Taurini die 16 februarii 1833.

Loco † *Sigilli.* Th. JACOBUS GENTA, Not. Ap. et Canc.

FINIS APPENDICIS.

INDEX

INDEX

TOMI DUODECIMI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO SECUNDA.

CAPUT VIII. *De Exorcismis et Benedictionibus.* Pag. 1

§. 1. De Exorcismis. 1

§. 2. Quid sit Benedictio. 5

§. 3. Qui sint præcipui Ritus Benedictionum. 7

§. 4. Cur reserventur Benedictiones quædam Episcopis, aliæ Presbyteris permittantur. 9

§. 5. De Benedictione sacrorum Oleorum et Chrismatis, quæ fit ab Episcopo feriâ V. in Cœnâ Domini. 10

§. 6. De Benedictione Campanarum. 21

§. 7. De ritu Consecrationis et Dedicationis Ecclesiæ et altaris. 29

§. 8. Explicantur præcipui ritus consecrationis Ecclesiæ vel altaris. 40

§. 9. De Benedictione aquæ Baptismalis. 57

§. 10. De Benedictione aquæ lustralis, et de usu hujus aquæ. 62

CAPUT IX. *De supplicationibus, quæ Processiones nuncupantur.*

§. 1. De Processionum origine, variisque speciebus. Quæ mens Ecclesiæ sit, qui scopus in variis Processionibus. 69

§. 2. De ordine et ritu Processionum: itemque de precibus quæ in illis fieri solent; maximèque de Sanctorum Litaniis. 78

CAPUT X. *De piis usibus nullâ Ecclesiæ lege præscriptis, sed fidelium arbitrio relictis.*

§. 1. De Peregrinationibus sacris. 85

§. 2. De piis societatibus, quas Confraternitates vocant. 93

§. 3. De Rosario et Coronâ B. Mariæ Virginis, Gallicè, *Rosaire* et *Chapelet.* 102

§. 4. De piis usibus quos approbat Ecclesia, Itemque de iis quos tolerat solùm. 104

CAPUT XI. *De Visitatione Episcopali.* 107

CONCLUSIO, COLLECTIO ET REPETITIO TOTIUS OPERIS. *De iis quæ hominem viatorem beatum efficiunt, donec æternam beatitudinem consecutus sit.* 113

APPENDIX.

Tractatus de sacris Christianorum Ritibus. 129

CAPUT I. *De Rituum definitione, et divisione.* 130

CAPUT II. *Regulæ explicantur, quibus facilius superstitiosi Ritus cognosci queant.* 137

CAPUT III. *De natura, origine, utilitate, ac necessitate sacrorum Rituum.* 142

Prop. I. Sacer Ritus esse non potest actus illicitus. 143

Prop. II. Ritus sacri eadem, qua instituti sunt auctoritate, mutari possunt. 143

Prop. III. Si Ritus ex hominum causa ad superstitionem, vel hæresim fovendam adhibeatur, aut in Dei injuriam cedat, prudenti œconomiâ mutatur, et quandoque etiam aboletur. 143

Prop. IV. Ritus legitimâ auctoritate institutus vel comprobatus, si in Dei cultum, et gloriam augendam referatur, licitè et utiliter adhibetur, licèt anteà ritus fuerit falsæ religionis, et idololatræ gentis. 143

Prop. V. Exterior Dei Cultus et Ritus sacri nonnisi à Deo originem habent. 144

Prop. VI. Sacri Ritus in hac providentia non solùm sunt utiles, sed etiam necessarii. 144

CAPUT IV. *De Christianæ Ecclesiæ Ritibus, ubi præcipui circa eosdem errores Hæreticorum, qui sunt hac ætate nostrâ in Occidentali Ecclesia, recensentur, et confutantur.* 146

Prop. I. Exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus Christianæ Religionis simplicitati non adversatur. 147

Prop. II. In Christi Ecclesia vera inest instituendorum Rituum potestas. 150

Prop. III. Hujusmodi Ecclesiæ potestas cum auctoritate conjuncta est ferendi leges. 152

Prop. IV. Potestas circa Sacra à Deo Ecclesiæ concessa, non inest in seculi Principibus. 155

Prop. V. Potestas erga Sacra, sive jus ferendi leges ad Dei cultum et Ecclesiæ disciplinam pertinentes, à Christo Ecclesiæ suæ collatum, in solis Episcopis residet, qui jure divino Presbyteris aliisque Ministris superiores sunt. 158